UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Panis Evangelici Fragmenta Qvadragesimalia Tripartita

Ex sanctissimo Dei Verbo copiosé & sedulo collecta, Sanctorum Patrum, variorumque Auctorum sententiis & conceptibus mirificè aucta; Et Omnibus Quidem Anni Dominicis; præcipuè tamen singulis Quadragesimæ Dominicis & Feriis per binas ad minus, sæpius denas aut septenas Conciones fideli Populo ...

Lingendes, Claude de

Coloniae Agrippinae, 1689

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-56356

Visual Library

Th. 3317.

H. V. 27.

PANIS EVANGELICI

FRAGMENTA QVADRAGESIMALIA TRIPARTITA,

Ex sanctissimo Dei Verbo copiosé & sedulò collecta, Sanctorum Patrum, variorumque Auctorum sententiis & conceptibus mirificè aucta;

ET OMNIBUS QUIDEM ANNI Dominicis; præcipuè tamen singulis Quadragesimæ *Dominicis & Feriis per binas ad minus, sæpius denas aut septenas Conciones fideli Populo distribuenda proponit*

R. P. CLAUDIUS de LINGENDES, è Societate IESU, quem ante paucos annos è sacro Suggestu dicentem Lutetia, totaque propemodùm Gallia suspexit.

TOMUS SECUNDUS.

Cum Indice Materiarum in omnes Anni Dominicas locupletissimo.

Colligite, quæ superaverunt, Fragmenta. *Ioan. 6. in Dom. 4. Quadrages.*

COLONIÆ AGRIPPINÆ

Apud WILHELMUM & FRANCISCUM METTERNICH, Bibliopp. An der hohe Schmidt. ANNO M. DC. LXXXIX

Cum Superiorum Permissu & Privilegio.

APPROBATIO

Visitatoris & Vice-Provincialis Societatis IESV per Provinciam Rheni Superiorem.

EGo infrascriptus Societatis Iesu per Provinciam Rheni superiorem Visitator & Vice-præpositus Provincialis, potestate mihi ad id factâ ab Adm. Reverendo Patre IOANNE PAULO OLIVA, Vicario Generali, concedo *Wilhelmo & Francisco Metternich*, Bibliopolis colonienſibus facultatem, ut *Panis Evangelici Fragmenta Quadrageſimalia R. P. Claudii de Lingendes*, Societatis nostræ Theologi, antehac à Patribus nostris lecta & approbata recudantur. In cujus rei fidem has literas manu propria subscriptas, & consueto officii sigillo munitas dedi.

JOANNES BERCHTOLDUS Soc Jesu,
Visitator & Vice Provincialis per provinciam Rheni superioris.

SYNOPSIS
CONCIONVM
Quæ in hoc II. Tomo continentur.

IN FERIAM QUARTAM & SEQUENTES
Post Dominicam primam Quadrageſimæ.

CONCIO *XXXIV.* *Quæ prima eſt de miraculis Chriſti, probat ex iis ejus Divinitatem.* Pag. 1

XXXV. *Quæ ſecunda eſt de miraculis Chriſti, ſolvit objectiones quæ fiunt contra ea, & diſputationem ſatis implicatam de falſis Magorum vel Hæreticorum miraculis evolvit.* 12

XXXVI. *Quæ tertia eſt de miraculis Chriſti; refellit valide eos, qui fidem illorum aliorumve impugnant, & expeditam Evangelij defenſionem contra Atheos ſubjicit.* 24

IN FERIAM QUINTAM & SEXTAM
Post Dominicam Primam Quadrageſimæ.

XXXVII. *Quæ prima eſt de oratione, ejus naturam, neceſſitatem, & præcipuas proprietates exponit.* 37

XXXVIII. *Quæ ſecunda eſt de oratione, oſtendit eam eſſe impetratoriam, & quomodo.* 46

XXXIX. *Quæ tertia eſt de oratione, agit de infallibilitate impetrationis, & de conditionibus hujus infallibilitatis.* 52

XL. *Quæ quarta eſt de oratione, Totam mulieris Chananææ Hiſtoriam tractat.* 62

XLI.

XLI. *Quæ quinta est de Oratione, agit de modo quo facienda est.* 72

IN DOMINICAM SECVNDAM QVADR.

XLII. *Quæ prima est de Transfiguratione, Finem investigat huius Mysterij, itaque illud ipsum exponit, ut ad augendam nostram fidem nullum profuisse ostendat.* 85

XLIII. *Quæ secunda est de transfiguratione; quid ex eo Mysterio acceperint fides nostra spes & amor, declarat.* 91

IN FERIAM SECUNDAM
Post Dominicam Secundam Quadragesimæ.

XXIV. *Quæ prima est de morte in peccato; terribilem illam sententiam:* In peccato vestro moriemini, *per varias propositiones exponit.* 101

XLV. *Quæ secunda est de morte in peccato, apertius declarat quam horrenda sit eadem propositio, utpotè ex qua colligi debeat, homines maximâ ex parte damnari.* 110

IN FERIAM TERTIAM
Post Dominicam secundam Quadragesimæ.

XLVI. *Quæ prima est de Humilitate, dicit mirandum esse, cùm tam rara sit ea virtus, cum ad eam sint tot incitamenta & subsidia.* 118

IN FERIAM QUARTAM
Post Dominicam secundam Quadragesimæ.

XLVII. *Quæ secunda est de Humilitate, rationem reddit, cur tam pauci eâ virtute sint præditi.* 128

XLVIII. *Est de præstantia patientiæ, præsertim Apostolicæ, in qua verè est calix Christi.* 135

IN FERIAM QUINTAM ET SEXTAM
Post Dominicam secundam Quadragesimæ.

XLIX. *Quæ prima est de divite Epulone & Lazaro, tractat locum de scandalo*

apparente in utriusque conditione. 145

L. *Quæ est secunda de Divite & paupere, continet primam remotionem illius scandali, eam scilicet quæ petitur ex vita præsenti.* 155

LI. *Quæ est tertia de Divite & paupere, exhibet secundam remotionem ejusdem scandali, eam nempè quæ petitur ex altera vita.* 162

LII *Quæ est quarta de Divite & paupere, proponit & Jolvit quasdam de illis quæstiones.* 174

LIII. *Quæ est quinta de Divite misero, Tota est de pœna damni in Damnatis.* 185

LIV. *Quæ est sexta de Divite, est de pœna sensus in Damnatis.* 194

LV. *Quæ est septima de Divite, est de æternitate pœnarum inferni & dici potest Fer. 6.* 204

LVI. *Quæ est octava in idem Evangelium de Divite & Lazaro, est de gloria Cælesti ex occasione sinus Abrahæ, in quem Lazarus ab Angelis delatus est* 219

IN DOMINICAM TERTIAM QUADRAGES. & in Feriam secundam sequentem.

LVII. *Quæ prima est de Dæmonibus, probat dari inter eos aliquam Regni formam: ex quo multa ad mores non parum utilia colligit.* 231

LVIII. *Quæ est secunda de Dæmonibus, agit de corporum invasione ab illis, seu de Energumenis: & ex argumento, ut videtur, tam sterili, conclusiones elicit valdè fructuosas.* 241

LIX. *Quæ est tertia de Dæmonibus, ostendit Christum eorum Regnum destruxisse, institutione veræ religionis, & stabilita morum contrarietate.* 252

LX. *Quæ est quarta de Dæmonibus, probat eorum Regnum à Christo destructum, authoritate summa & suprema potestate.* 262

LXI. *Prima est de relapsu in peccatum.* 272

LXII. *Quæ & dici potest Fer. 2. sequenti; secunda est de relapsu in peccatum.* 283

IN FERIAM TERTIAM Post Dominicam Tertiam quadragesimæ.

LXIII. *Est de correctione Fraterna, & in ea duo præcipuè ostenduntur, quanta scilicet sit huius præcepti necessitas, & quam malè servetur.* 291

IN

CONCIONVM.

IN FERIAM QUARTAM, & QUINTAM
Post Dominicam Tertiam Quadragesimæ.

LXIV. *Quæ prima est de scandalo, Explicat ejus naturam & gravitatem per analogiam ad contagionem.* 302
LXV. *Quæ secunda est de scandalo, Exponit quinam peccent hoc genere peccati, & quæ sint illius species.* 315

IN FERIAM SEXTAM
Post Dominicam tertiam quadragesimæ.

LXVI. *Quæ prima est in Evangelium de Samaritana: explicat totam Historiam Colloquij CHRISTI cum ista Muliere, docetque, qua arte illam lucratus sit.* 325
LXVII. *Quæ secunda est in idem Evangelium, ostendit, quæ sit adoratio DEI in spiritu.* 338
LXVIII. *Quæ tertia est in idem Evangelium, aperit quæ sit adoratio DEI in veritate, & agit contra crassiores species hypocrisis.* 349
LXIX. *Quæ quarta est in idem Evangelium, agit iterum de adoratione DEI in veritate contra subtiliores species hypocrisis.* 357

IN DOMINICAM QUARTAM QUADRAG.

LXX. *Quæ prima est in Evangelium de multiplicatione panum & populi studio, ut Christum Regem faceret, ostendit Regum esse pascere populum, & quam benè id fecerit Christus, & sensu & modo Regio.* 368
LXXI. *Quæ est secunda in Evangelium, de multiplicatione panum, Quærit & aperit cur Christus fugerit, cum eum in Regem eligere vellent judæi.* 377

IN FERIAM SECUNDAM
Post Dominicam tertiam quadrag.

LXXII. *Invehitur acriter in eam templorum profanationem, quæ fit per Chri-*

Christianorum in eis immodestiam & pietatem. 599

IN EANDEM FERIAM SECUNDAM VEL TERTIAM Post Dominicam Quartam Quadragesimæ.

LXXIII. *Quærit & aperit, cur DEVS tam paucis sese ex toto dedit.* 397

FERIA QUARTA

DOMINICÆ PRIMÆ QUADRAGESIMÆ

CONCIO PRIMA

PROBATUR DIVINITAS CHRISTI EX EIUS MIRACULIS

Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Matth. 12.

CUM expulisset Christus Dominus Dæmonium surdum, mutum & cæcum, & admiratæ essent turbæ, & inde colligerēt eum esse filium Davidis seu Messiam, Pharisæi qui factum negare nō poterant, causam calumniandi ceperunt, quasi in virtute Beelzebut Principis Dæmoniorum, inferiorem Dæmonē expulisset: sed cùm Christus potentissimis argumentis calumniam evertisset, nonnulli ex Scribis & Pharisæis rem aliò detorserunt, petito à Christo alio miraculo. *Magister volumus à te signum videre*: Marcus & Lucas indicant, eos petiisse signum de cœlo, unde S. Lucas cap. 11. *Et alij tentantes signum de cœlo quærebant ab eo*: quod Christus eis negavit: 1. quia jam fecerat sufficientia signa ut crederent: 2. quia ex curiositate petebant, & Christi miracula non fuerunt ad ostentationem, sed semper utilia hominibus, ut sanationes, resurrectiones & alia beneficia: 3. quia infideliter petebant, putabant enim Christum id non posse, unde dicitur quod tentantes peterent: sed unum aliquod majus signum pollicetur nempe signum pollicetur nempe signum Jonæ Prophetæ. Quid autem illud sit non priùs explicare aggrediar quàm opem petivero à Deo per Virginem. AVE MARIA.

AGITUR hodie, Auditores, de probando validè stabiliendóque nostræ fidei articulo, qui fundamentum est aliorum omnium: loquor de Divinitate Jesu Christi: neque ago solùm cum Atheis sæculi nostri, ac Deistis, quorum numerus crescit in dies, verùm

verùm etiam cum Christianis, fidelibus admodumque religiosis: cum illis videlicet, ad impetrandam ipsis fidem, cum his vero ad eandem in ijs augendam, atque ut adducam eos ad intelligendum, quanta sibi sit causa præstandi se firmos constantésque in veritate fidei suæ. Quoniam verò probationes rerum earum quas credimus, magno numero suppetunt, unam duntaxat suscipere volo, quam esse validissimam puto: eam videlicet quam Judæi postularunt sæpissimè à Filio Dei, quâ sic eos convicit ut inexcusabiles reddiderit; atque etsi illam ipsis denegavit eo quo petebant modo, & ex ipsorum mente plenâ infidelitatis, concessit tamen validiorem, & quæ nihil refutationis admitteret. Probatio miraculorum est, quam ad unum syllogismum tot amredigo, cujus sola explicatio omnem hujusce Concionis materiam effectura est. Præbete vos sermoni meo attentos, argumentum hoc planè meretur, totâque attentione vestrâ dignum est. Ecce argumentationis meæ syllogismum. Quicquid comprobatum fuit testatumque miraculis manifestis, & de quibus ambigi non possit, certissimum est, neque potest improbari: atqui Jesu Christi divinitas manifestis indubitatisque miraculis comprobata fuit & testata, igitur divinitas Jesu Christi certissima est, neque improbari potest. Veniamus ad priorum duarum propositionum probationem, unde sequitur apertè probatio consequentiæ, quæ est ejulmodi, verissima est Jesu Christi divinitas & improbari non potest. Incipio à probatione primæ propositionis, nempe, quod comprobatum fuit testatumque miraculis manifestis & de quibus ambigi non possit, certissimum est neque potest improbari. Probatio petitur ex naturâ Miraculi. Cùm enim ex D. Thoma 1. part. q. 105. art. 8. q. 114. art. 4. Miraculum sit effectus seu opus superans vires omnes creatas, nullam aliam causam principalem habere potest præter Deum: cùm itaque assumitur ad confirmationem alicujus rei, non potest non habere testimonium infallibile: quia Deus testari non potest mendacium, cùm sit summè verus, qui nec falli potest nec fallere, non falli cùm omnia norit, non fallere cùm sit infinitè bonus & verax: Hinc sequitur.

1. Quod non possit Deus dare alicui facultatem patrandi miracula ad libitum, & ad rei falsæ confirmationem: Inprimis quia Deus hoc modo testimonium daret mendacio: & ita non esset infinitè verax, aut enim hac ratione falleretur aut falleret, quod utrumque æqualiter est impossibile. Quod enim est in nobis jusjurandum addicti nostri confirmationem, est in Deo exhibitio miraculi, cujus perpetratio connexionem habere non potest cum rei falsæ propositione. 2. Quia Deus non potest suam authoritatem imminuere, quod tamen faceret, si hoc homini concederet: Et enim uti non potest se suo dominio exuere, ita non potest aliquid de suâ authoritate detrahere, atqui eâ ratione plus illam criminationi exponeret, quam si ipse falsum dicere posset: quia cùm sit summè prudens ita suum mendacium dissimularet, ac tegeret, ut homines non deprehenderent; sed hominum inconsulta temeritas Dei authoritatem passim objiceret hominum reprehensioni. 3. Quia Deus non potest homini potestatem facere, ut Deum cogat testari falsum: nam alioqui cogeret mentiri, atqui hoc fieret, nam miraculum factâ propositione rei falsæ, propter virtualem connexionem quam habet cum ipsâ, est rei falsæ assertio, fit autem ea connexio propter invocationem divini nominis, & consequens opus supernaturale.

2. Se-

2. Sequitur & convincitur infallibilitas & certitudo probationis quæ petitur ex miraculis, quia nullam habere possunt connexionem cum falsitate, & eâ infallibilitate nulla major singi potest, fundatur enim in quadam perfectione Deo planè necessariâ: sicut igitur quæ ad Deum pertinent sunt necessaria, ita quæ nituntur perfectionibus Deo necessarijs, tmaximam habent necessitatem, quæ nulli alteri certitudini creatæ convenire potest: Quare Christus hinc convicit Judæos planè fuisse inexcusabiles, quod miraculis convicti non credidissent: Joan. 15. *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent,* (de peccato loquitur incredulitatis) *nunc autem viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum, sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.* Sicut autem res divinæ sunt alterius ordinis quàm res omnes creatæ, ita hæc certitudo, omnem aliam sic vincit, ut propter illam, fidem omnem denegemus alteri omni assertioni quæ contrarium affirmat: Ita sensibus fidem derogamus, rationi humanæ, & alterius cujuscunque testimonio, si fidem nostram convellere nitatur, & hoc sensu dixit Apostolus ad Galat. 1. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit:* Hinc fit ut licet pro aliâ naturali cognitione, & affirmatione nemo cogatur mori, tamen quilibet teneatur pro fidei testimonio sanguinem fundere.

3. Sequitur miraculorum necessitas præsertim in primâ religionis institutione, cùm res nova credenda proposita est: Quamobrem fundando stabiliendoque Christianismo miracula fuere necessaria, ut ne arguerentur homines levitatis quòd tam facile, & tamen adeò firmiter credidissent res tam novas, tam inauditas, atque si ausim ita loqui, humanitùs tam incredibiles: secundum Sapientis verba Eccli. 19. *Qui credit citò, levis est corde:* Unde Christus Joan. 10. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre:* Et Joan. 15. *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit peccatum non haberent, nunc autem viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum:* Ratio est evidens, quia cùm fides quam exposcimus, ad mysteria nostra credenda sit talis, ut petatur summa firmitas, atque adhæsio intellectus, illa verò haberi non possit nisi nitatur firmissimo fundamento, quale tantùm esse potest, aut ipsius rei evidentia, aut suprema authoritas, quæ alia non est quàm divina, cujus nullum aliud esse potest certum testimonium externum quàm miracula; sanè igitur & natura credendorum quæ superant omnem naturam creatam, & modus fidei, nempe summa certitudo, & infallibilitas, postulant testimonium miraculorum.

Atque ea ratio est, propter quam ad adventum hominum illorum, qui reformationem prætendunt, nobisque doctrinam planè novam attulere, unusquisque commotus est, atque ab ijs petijt ad quinti sui Evangelij probationem, ut aliqua miracula producerent. Recusarunt initio, cùm eam non possent reformationis suæ probationem elicere, adeò ut quemadmodum Eralmus ipse scripto prodidit, ne unum quidem equum claudicantem sanare potuerint: ajunt Luthèrum voluisse aggredi adutendum exorcismis adversus quendam à Dæmone possessum, sed discipulo ipsius Staphilia testante, ab illo pessimè acceptus est, ac prout meritus erat, quantacunque cum Dæmone familiaritas & necessitudo ipsi esset, à quo fuisset præfocatus nisi ja-

nuam ſecuri perfregiſſet ad eximendum ſe poſſeſſi manibus quem liberare ſtudebat. Calvinus cũ quodã convenerat vt mortuũ ſe fingeret: infunere uxor facti conſcia prophetam inclamat: ille altâ voce *adoleſcens tibi dico, ſurge*, ſed qui mortuum finxerat, reipsâ mortuus eſt inventus. Boſius de ſignis Eccleſiæ lib. 5. Signo 11. narrat in Poloniæ finibus, quendam Anabaptiſtarũ principem undique homines convocaſſe, ut ſuo baptiſmo intereſſent, futurum ut Spiritus Sanctus adeſſet, & omnia plena eſſent miraculis: die dictâ concurritur, ubi in balneum pedem intulit, apparuit pro Spiritu Sancto ingens Dæmon, qui hominem capillis apprehenſum, attollendo in aërem, & in aquas demergendo & allidendo, omnibus aufugientibus, ſuffocavit. Gaſtius qui pleraque notabilia de Anabaptiſtis ſcripſit, memorat in libro Baſileæ edito, anno. 1544. quod cùm ex ipſis poſtularetur aliquod miraculum ad doctrinæ ſuæ confirmationem, nonnulli eorum curavere noctu, magnam piſcium copiam in lacum amplo oppido proximũ deferri, quorum ad comprobationem fidei ſuæ, luculentum fecere piſcatum, cum admirationem omnium qui nullum unquam eo in lacu piſcem viderant. Ad id, mihi venit in mentem doli per ſimilis à Mahometo editi, qui quidem poſt longam cum Arabibus miracula expoſcentibus altercationem, juſſit humi ad quandam altitudinem in celſi montis vertice infodi pleraſque urnas lacte plenas, cùmque pleps conquereretur de fame, poſt invocatum Dei nomen, humum perfodi curavit, & diſtribui munus illud tanquam cœlo demiſſum, hoc artificij genere rude ac ſtupidum vulgus admiratione defigens. Nolim tempus abſumere narrando ineptias, fabulaſque perridiculas nuperrimorum iſtiuſmodi reformationis artificum. Ajo tantùm, mundi Salvatorem obſignaſſe Apoſtolorum diplomata & patentes, (ut loquimur) litteras authoritate miracula patrandi. Marci ultimo, *Ite docete omnes gentes*, &c. *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur*, &c. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Et S. Paul. 1. Corint. 2. *Sermo meus & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis, ut fides veſtra non ſit in Sapientiâ hominum, ſed in virtute Dei*. Virtutem Dei vocat miracula facta in teſtimonium fidei & prædicationis Apoſtolorum. Quid de te dicam magne Indorum Apoſtole S. Franciſce Xaveri, Sol Oriẽtis, Doctor Gentilitatis, miraculum Superioris ſæculi, prodigium Indiæ, Japonum ſidus, Societatis noſtræ decus, propagator Eccleſiæ, amor & deliciæ totius orbis? Qui nos odere, ij etiam ipſi te diligunt, qui nos deſpiciunt te laudant, qui nos abjiciunt, te approbant. Virtutum tuarum ſplendor invidiam & maledicendi licentiam ſuperavit. Quonam modo ſolitudines in paradiſum mutaſti, urbanitate poliviſti barbaros, ſylvarũ incolis dediſti humanitatem, Chriſtianas feciſti Indias, ſalubrib⁹ baptiſmi undis animas ad millia duodecies cẽtena purgaſti? Miſſionis tuæ fiduciam habebas cùm Apoſtolicus eſſes Nuncius, Sanctæque Sedis Legatus. Sed quandoquidem S. Pauli Apoſtoli exemplo prædicabas Evangelium ijs qui nullum unquam de Deo, fideique noſtræ Myſterijs verbum inaudierant, Deus Miſſionem tuam authoritate miraculorum uti ſigillo munivit. 1. Omnis generis ægritudines curavit, quin etiam pueros mittebat ad ægros cum omnibus adeſſe non poſſet, qui recitato ſymbolo eos ſanabant: 2. Donum habuit linguarum, immo ſimul à varijs diverſarum linguarum hominibus intelligebatur, quaſi

quasi diversis simul linguis loqueretur, ut quondam Apostoli: immò unicâ responsione sæpè varijs Barbarorum interrogatis satisfecit: 3. Donum habuit prophetiæ, absentia vidit, cogitationes intellexit, futura longè ante prædixit: 4. Aquam salsam dulcem effecit, quo miraculo multi è Mahometanis converfi sunt: 5. In promontorio Comorino puerum iam uno die sepultum excitavit, unde multos convertit, & in processu Canonisationis ipsius, agniti sunt viginti homines vitæ restituti: 6. Sæpè visus est sublatus à terrâ, & in aëre suspensus dum Eucharistiam genibus flexis populo porrigeret, & aliàs sæpiùs dū oraret: 7. Sæpè sedavit tempestates, ac semel injecto in mare Crucifixo suo, quem amissū cancer marinus obambulāti in littore restituit: 8. Vrbē totā in Maurica regione, Christo rebellem, pluviâ ardenti cinere mixtâ castigavit, atq; ad Dei obsequium reduxit. Quid simile visū, quid auditū apud Hæreticos, qui tamen cum novum dogma obtulerint, ac Missionem extra, ordinariam jactarint, debuerunt miraculis confirmare quod attulerunt, neque enim novum dogma sine miraculis stabiliri potuit. Ita ab initio Moyses miracula edidit: Item ut Aræ religio stabiliretur nova miracula provisa sunt: Item ut lex in Monte Sina promulgaretur, quot miracula præcesserunt? novum Sacerdotium miraculis confirmatum: ut Salomonis Templo daretur authoritas, nova miracula intercesserunt: Ipse Joannes Baptista, ut baptismum pœnitentiæ institueret, & novam ceremoniam, totus fuit miraculum perpetuum: Mircaulo conceptus; in utero exilivit, natus Patris linguam solvit; multos annos egit in deserto; vitâ Angelis superior, sine tecto, sine veste, sine cibo, sine humano cōvictu: ut intelligas necessarie fuisse miracula, cū aliquid insolitū est propositum: & ex hac necessitate ostenditur efficacia miraculorū quæ apta sint quidlibet etiam insolitū persuadere, cùm testificationi miraculorū falsum subesse non possit, unde authoritas divina in illis agnita est, cui nemo resistere potest, & quam nemo potest recusare, ideòque dixit S. Augustinus se in Ecclesiâ retineri vinculis miraculorum: Item miraculis deberi mundi converfionem: & illud Ricardi à S. Victore. Domine, si quod credimus, error est, à te decepti fuimus, nam ea quæ credimus, confirmata signis & prodigijs fuere; quæ non nisi per te facta sunt. Ex dictis hactenùs, patet veritas primæ propositionis, quæ est ejusmodi. Quod testatum fuit & comprobatum miraculis manifestis & de quibus ambigi non possit certissimum est, neque potest improbari. Quandoquidem probavimus ex naturâ miraculi quod opus est superans omnes vires creatas, ac proinde nullum habere principium aliud potest nisi Deum.

Sequitur secunda propositio, hisce terminis concepta. Atqui divinitas Jesu Christi comprobata fuit & testata miraculis manifestis & de quibus non possit ambigi: hujus propositionis probatio potissimè continetur quatuor libris Evangeliorum in quibus innumera narrantur Christi miracula, in quorum patratione asseritur Christi divinitas: unde S. Joannes cap. 20. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: Hæc autem scripta sunt ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus*: Sed placet rem enucleatiùs vobis exponere. Ex Toleto, Annotatione 2. in cap. 3. Joan. per sequentes veritates. Ut hoc rectè fiat. Nota in hac propositione, duo contineri, 1. miracula Christi fuisse manifesta, & incontestabilia: 2. facta

fuisse in confirmationem hujus veritatis, Christum esse Deum.

Incipiamus à primo. Ut itaque Christi miracula dicantur fuisse manifesta, & inconteſtabilia : Necesse fuit. 1. ut ea miracula essent vera, & existentia, & non tantùm apparentia, quasi essent præstigiæ & ludificationes sensuum, & non re ipsâ & in veritate facta: at non potuit illud esse apparens quod experiebantur ipsi erga quos talia opera fiebant: cæcus enim experiebatur se videre: qui suscitatus erat, se vivere : leprosus se mundatum sentiebat : infirmus se cognoscebat sanatum: hæc omnia si fuissent apparentia, profectò nec cæcus vidisset nec suscitatus viveret, nec infirmus sanatus fuisset, at ipsi reddentes effectibus testimonium vera miracula fuisse comprobabant : ita cum visus est Lazarus suscitatus inter convivas, eadem præstare quæ ante mortem faciebat, cùm & ipse in se idem sentiret, se videre, se movere, se audire, & alia quæ sunt opera vitæ, irrefragabile dedit testimonium suæ resurrectionis. Quæ fiunt tantùm circa objecta sensuum, possunt aliquando decipere ex solâ apparentiâ, at quæ in ijs ipsis fiunt, qui sentiunt, necesse est vera esse, per visum enim apparentem nemo videret & nemo vivere potest per vitam apparentem, nam quæ tantùm videntur, non sunt : quod si aliquis contrarium dicat, nec ipse de se certus esse potest, an vivat, an videat, an cogitet, an velit, immò an sit, nam ipsa experientia in se per suum sensum, aliam non potest habere probationem quàm se, nemo enim aliter scire potest se videre, quàm per ipsum visum.

Deinde quæ sunt tantum apparentia diu non consistunt, nec omni loco & tempore, nec omnibus apparent : at affectus mirabiles Christi diu durabant, omni loco, & tempore, & omnibus talia videbantur, non igitur fuerunt præstigiæ & sensuum ludibria.

Ad hæc, ad majorem horum effectuum certitudinem sæpè Deus permisit ut ejus adversarij operibus ipsius contradicerent, ut post exactum examen explorata magis innotescerent : ita miraculum illuminationis cæci nati omnibus modis exagitatum est, vocati sunt parentes ut filium suum agnoscerent an verè cæcus natus fuisset, & ipse diligenter examinatus est de modo quo fuisset curatus, unde cùm factum negare non possent ad aliam calumniam de moribus se converterunt & ad temporis circumstantiam, quod nimirum sabbatho lutum fecisset Jesus.

2. Necesse fuit ut Christi miracula nullâ vi naturali vel Diabolicâ fieri potuerint sed tantùm virtute supremâ, & illimitatâ. Dixi. 10. Christi miracula virtute naturali fieri non potuisse. 1. Quia nulla virtus naturalis est quæ visum cæco à nativitate vel mortuo vitam restituere possit, quod antiqui Philosophi constanter asseruerunt, cùm dixerunt nullum dari regressum à privatione ad habitum : 20. Quia virtus naturalis operatur per virtutem proportionatam effectui : at Christus aliquando quædam adhibuit quæ effectui erant contraria: Ita visum restituit cæco nato per lutum in oculos immissum, quod naturali ordine & proportione aptius erat ad visum tollendum quàm ad donandum. 3. Quia virtus naturalis agit in tempore, & per medium, & determinata est : Christus verò sine morâ operabatur : *Si vis potes me mundare, Volo, mundare* : Item operabatur in locis distantibus. *Vade, filius tuus vivit*, & Chananææ *fiat tibi sicut vis* : & effectus mirabiles producebat solo verbo, unde ille, *sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus*

meus, & sanatus est puer in illâ horâ. Denique innumera & multiplicia edebat miracula, cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam, ægris sanitatem, mortuis vitam dabat, à Dæmone obsessis liberationem præstabat, quæ omnia virtus naturalis non poterat.

Dixi 2. miracula Christi non potuisse fieri virtute Diabolicâ contra calumniam Judæorum, qui dicebant in Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia: Adverte Dæmones tria tantum posse efficere motum localem, applicationem agentium naturalium, quorum vires agnoscunt, & quæ velocissimè, & occultissimè adhibere possunt, denique posse sensibus illudere. Hoc posito, dico Dæmones multa posse facere supra vires humanas, & quæ, si earum ratio habeatur, aut videantur, aut verè sint miracula, videantur quidem propter apparentiam, & sensuum illusionem, sint autem, quoniam fiunt ab ijs per motum localem aut per applicationem agentium. Ita potuerunt Magi Pharaonis aquam vertere in sanguinem, & alia multa mirabilia fecerunt: Quando autem nulla est facultas creaturæ, quæ possit hunc effectum præstare, ad præstigias & sensuum illusiones Dæmon se convertit, & omnis alia ejus operatio cessat: Ex his itaque quæ Christus fecit, aliqua fuerunt, si solum effectum spectemus, quæ à Dæmonibus fieri potuerunt, multa tamen fuerunt quæ nullâ arte fieri potuerunt ab illis, ea scilicet quæ nullâ virtute naturali effici poterant, ut mortuos suscitare, cæco nato visum restituere, & similia: Præterea ex ijs quæ si secundum se spectentur, Dæmones facere potuerunt per applicationem agentium naturalium, ea Christus fecit solo verbo, & imperio, sine applicatione ullius virtutis naturalis: Ad hæc, in instanti, & sine ullâ morâ, quod Dæmones præstare non poterant, cùm agentia naturalia non operentur nisi in tempore; & ideo si modum & celeritatem quibus Christus operabatur spectemus, nullum ejus miraculum absolutè efficere potuerunt: ex quibus infertur evidenter ea quæ Christus operabatur, nullâ ratione virtuti Dæmonum adscribi potuisse, sed divinæ virtutis opera fuisse tantummodo, quod & sufficientissimè Christi miracula comprobarunt.

Dixi 3. Christi miracula facta fuisse virtute supremâ & illimitatâ; quod probatur & ex ijs quæ fecit, quæ vim omnem naturalem superarunt, & ex modo, nempe imperio, & solo verbo, & quia omnis generis miracula fecit, ita ut nihil illi fuerit non tantùm impossibile, sed vel difficile. Sanè Christus circa res omnes suam ostendit potentiam; circa Angelos, Dæmones, homines, animantes, cœlos, solem, terram, mare, elementa, ventos, inferos, mortuos, morbos omnis generis, sepulchra, saxa, velum templi, arbores, tempestates & omnia. Joan. 3. dixit ei Nicodemus: *Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis nisi fuerit Deus cum eo:* id est, nisi in virtute Divinâ: quasi diceret, signa quæ tu facis, non sunt Magorum seu arte Dæmonis facta, non sunt naturalis alicujus virtutis, sed divinæ potentiæ quæ omnia potest: Ex quo planè constat quod posui, Christi miracula verè fuisse manifesta, & inconteſtabilia, hoc est talia, ut negari non possit vera fuisse miracula, hoc est opera quæ alium authorem habere non potuerunt præter Deum, qui est causa principalis miraculorum.

Sequitur probanda altera pars; nempe eiusmodi miracula facta fuisse in confirmationem hujus veritatis, Christum fuisse Deum: Ratio est. Quia licet, sic ratio præcisè habeatur effectuum, hoc absolutè probare

bare non videantur, tamen id de facto probaverunt: Dixi 1. Ejusmodi miracula, si soli effectus spectentur, non probasse præcisè eum qui hæc faceret, Deum esse. Quia illa omnia fieri potuerunt à Deo per Prophetam aliquem qui tantum esset homo: nam Deus omnipotens, sicut per meros homines mortuos suscitavit, ut per Eliam, & Elisæum, & solem stare per Iosuè, & per Isaiam à cursu suo retrocedere decem lineis fecit, & per Martyres, & alios Sanctos, & aliquando per peccatores miranda operatus est, ita potuit per quemlibet hominem facere illa omnia quæ Christus fecit, & quæ Deus per humanitatem sibi unitam operatus est: immò Ioan. 14. de suis fidelibus dixit, *Majora horum facient*: si igitur in miraculis Christi non aliud spectemus quàm effectus ipsos, non probant eorum factorē esse Deum, sed tantùm virtute divinâ fuisse facta, sicut dixit Nicodemus, *nisi fuerit Deus cum eo*, hoc est nisi in virtute Divinâ.

Dixi 2. Ejusmodi tamen miracula de facto probasse eum qui hæc faceret esse Deum, & consequenter Iesum Christum fuisse Deum: Et,

Probatur 1. ratione finis, propter quem Christus faciebat miracula, qui non fuit alius quàm ut demonstraret se esse Deum, & Filium Dei.

Nota 1, miracula divinæ virtutis, fieri in confirmationem alicujus veritatis quæ humanâ ratione destituitur, nam ut ait Apostolus *signa infidelibus*: Vnde Gregor. lib. 27. Moral. cap. 11. Idcircò fiunt exteriora miracula, ut mentes hominum ad interiora perducantur, quatenus per hoc quod mirum visibiliter ostenditur, ea quæ admirabiliora sunt invisibilia credantur; Miracula itaque sunt in defectum probationis, & sunt auxilium rationis humanæ, ut assentiatur alicui veritati, supplentque argumentorum defectum: sunt enim velut sigillum Dei, ut quod affirmatur, à Deo esse credatur, & ita de eo nullatenus dubitetur.

Nota 2. Non omnia miracula fieri ad eandem veritatem confirmandam, sed ad diversas, & varias veritates: Ita Exod. 4. Deus misit Moysem ut liberaret populum suum à servitute Ægyptiacâ, & ad confirmandam hanc veritatem se missum à Deo, ut populum educeret, ipse miraculorum patrandorum potestatem accepit à Deo, ut fides ei haberetur: Exod. 7. idem Deus eundem ad Pharaonem misit ut populum dimitteret, & ùt Hoc probaret dedit ei miracula: 3. Reg. cap. 18. Elias ut Deum Israël probaret verum esse Deum, ignem de cœlo immisit in holocaustum: 4. Reg. cap. 1. *Si homo Dei sum*, ait, *ignis de cœlo descendat, & devoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cœlo*: hæc & similia miracula probabant vera esse ea in quorum confirmationem fiebant: Si enim eorum dicta falsa fuissent, & mendacia, & non ea opera Deus effecisset, quia nec Deus mendax est, nec mendacij testimonium perhibet: eodem modo Araonis electio confirmata est dùm virga ejus floruit. Ita Gedeonis electio in Ducem, per vellus & siccum & madefactum: & alia sunt exempla innumera quæ passim in Scriptura leguntur.

Nota: 3. Neminem Prophetarum aut aliorum hominum per quos divina virtus miracula edidit, ea fecisse in confirmationem veritatis illius quam Christus suis miraculis confirmabat, nempe se esse Messiam, & verum Dei Filium: Hinc est quod illorum miracula, vel cujuscunque alterius, etiamsi ea omnia fecisset, quæ Christus fecit, non potuissent probare eos esse Filios Dei, quia talia miracula non erant in hujus veritatis confirmationem facta: tamen sicut illorum miracula probabant vera esse

ea,

ea, in quorum probationem fiebant, ita & miracula Christi, immo multò efficaciùs, probabant ipsum esse Deum, quia in hunc finem fiebant, quem sæpè Christus expressit, ut & ipsi Iudæi intelligerent quid per miracula probaret: Matth. 9. *Vt sciatis quia Filius hominis in terra habet potestatem dimittendi peccata, tibi dico surge*, &c. *& surrexit*. Hæc verba supponebant quæ à Iudæis dicta fuerant *Quis potest peccata dimitere nisi solus Deus?* Respondet ut sciatis me hanc habere potestatem quæ solius Dei est, mèque esse Deum, hunc sanabo, & sic Paralyticum alloquitur, *tibi dico, surge*: Ita Lazarum suscitaturus Ioan. 11. sic Patrem suum alloquitur. *Propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti: Hæc cum dixisset, voce magnâ clamavit, Lazare veni foras, & statim prodiit qui fuerat mortuus*: Denique in doctrinâ suâ semper se à Patre missum, & filium Dei docuit, & operibus Patris se id confirmare docebat: *Si non facio opera Patris mei nolite credere mihi: Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in patre*: Miracula ergo tali ratione facta, & propter hoc facta, sufficienter probarunt eum esse Filiũ Dei, quia negari non poterat ea facta esse divinâ virtute. Hinc Iudæi cùm satis intelligerent admissis semel miraculis in ejus rei probationem negari non posse talem veritatem, calumniati sunt ejusmodi miracula non fuisse facta virtute divinâ, alioqui enim nullus relinquebatur negandi locus; sed contenderunt facta fuisse virtute Dæmonis, quod ostendimus fieri non potuisse. Noverat hanc doctrinam ipse Dæmon, qui miraculum unum, & non admodùm magnum sibi sufficiens existimavit ut eum Dei Filium esse agnosceret, si tamen in hujus rei probationem factum esset: Matth. 4. *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*, certus futurus si ederetur tale miraculum, divini virtute factũ iri, cũ jã sciret id suâ virtute fieri nullo modo posse. Sed satis; sequitur n. manifestè miracula Christi, considerato fine propter quem fiebant, sufficientissimè probasse eum esse Filium Dei, & non tantùm divinâ virtute, ut alios Prophetas, sed propria virtute, ut Dei Filium ea fecisse.

2. Probatur ratione prædictionis. Etenim alia inter signa cognoscendi Messiam Deus dederat in Prophetis miracula, quæ erat facturus, quod declaravit Isaiæ 53. *Ecce Deus veniet, & salvabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum*: & in alijs Prophetis multa Christi opera continentur: Hoc argumento Christus usus est respondens Ioannis discipulis, qui sic eum nomine Ioannis interrogarant, *Tu es, qui vẽturus es, an aliũ expectamus?* nã varijs corã illis patratis miraculis subdidit, *Ite & renuntiate Ioanni, quæ vidistis & audistis, cæci vident, claudi ambulant*, &c. quasi diceret, in me implẽtur, quæ Prophetæ implẽda in Messia prædixerũt: Hoc argumẽto usus est Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone ad probandum, hristum Dominum verum fuisse CMessiam: Quia nullus Propheta fecit omnia miracula quæ fecit Christus, hic unum, alius aliud miraculum fecit, sed nemo tot ac tanta qualia prædicta sunt: Hoc ipsum Dominus dixit Ioan. 15. *Si non venissem, & opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*: Igitur Christi miracula, etiamsi non facta fuissent nominatim in confirmationem divinitatis Christi, tamen ex Prophetarum dictis, quibus Iudæi fidem habebant, satis superque probabant ipsum esse Christum & Filium Dei, multò magis utrumque simul conjunctum.

Ex his omnibus manet probata hæc veri-

tas, Christi miracula facta fuisse in hujus propositionis confirmationem, quod Iesus Christus sit Deus: In superioribus autem ostendimus, Christi Miracula fuisse manifesta & indubitata, itaque manet ex omni parte probatam fuisse secundam nostri syllogismi partem, quæ sic habet, atqui divinitas Jesu Christi comprobata fuit testataque miraculis manifestis & indubitatis; cui si jungas primam propositionem quam initio hujus sermonis probavimus, nempe, quicquid comprobatum testatumque fuit miraculis manifestis, & de quibus ambigi non possit, certissimum est ac indubitatum sequitur per manifestam consequentiam, quod initio probandum suscepimus, & cujus probationem Iudæi quæsierunt ex aliquo signo, quod omnium maximum Christus dedit, nempe signum Ionæ Prophetæ, quod aliàs fusiùs explicabitur, sequitur (inquam) divinitatem Christi Domini certissimam esse, & probatissimam.

Atque hæc est hujus discursus prima conclusio, ex miraculis manifestam esse Christi divinitatem, quam negare, non tantum impium & blasphemum est, sed etiam post tot miraculorum testimonia, irrationabile, insanum, ac furiosum. Sed quoniam eò jam pervenimus, ut quidam de re omnium maximâ aut dubitent, aut ei obloquantur, aut etiam eam negent, placet etiam cum impiis de re tantâ disceptare: Age ergo hominum impjissime, cur de Christi divinitate disputas, cur dubitas, cur eam negas? Hoc Deus Pater asserit, & miraculis testatur, nec tibi fidem facere potest? Age, inquam, quæ in rebus omnibus major certitudo tibi esse potest? an scientiarum? quarum propria principia fermè ignorantur: & quæ passim jactantur vacillant: an sensuum? qui quotidie, vel te judice falluntur: an authoritatis humanæ? quæ quotidie mutatur, & tam exiguam fidem meretur, ut crebrorum arguatur mendaciorum: an major esse potest quàm Dei loquentis authoritas? an certior esse potest aut illustrior authoritatis Dei manifestatio, quàm miraculorum exhibitio? quæ vero illustriora, quæ clariora, non dicam esse, sed fingi possunt, quàm quæ Christi divinitatem asseruerunt? an fortasse modus fingi potest clarior id agnoscendi? quis tandem? an ut ipsam divinitatem videres sensibilem? si immediate? Næ ridiculus es, qui divinitatem corpus esse putes: si mediate? certè Deus non aliâ ratione videri potuit, quàm quâ visus est, secundùm illud Baruch. 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus cõversatus est:* quod & confirmat Joañes Apostolus. *Et vidimus gloriã ejus, gloriã quasi unigeniti à Patre plenũ gratiæ & veritatis.* Sed id capere non potes? benè est: an propterea res non est quia non capis? quã multa credis quæ non capis, de intellectu, de sensibus, de mũdo, de Deo, quæ si negares ab hominibus ejicereris? an nescis hæc capi non debere, sed credi? ad ea verò credenda, te apertissimis convinci rationibus Deo attestante? Etenim cum duo à me sint proposita, de quo ambigis? an de primo? nempe miracula edi non posse ad rei alicujus falsitatem, itaque fieri non posse, ut illud falsum sit quod miracula attestantur: sed si capis quid sit miraculum, quid mendatium, quid Deus, aut homo esse definis, aut facilè intelligis, nullum mendacium posse aliquo miraculo confirmari. An de secundo dubitas? facta esse miracula quæ jactantur in ejus rei confirmationem: sed homo es impudentissimus, & gratis te excæcas, qui tot testibus fidem derogare velis: quasi tot Regibus ac Principibus, tot Sapientibus, tot Philosophis, tot Doctoribus oculatior esses, qui sibi gratis imponi passi sint, cùm tu unus sapiens, ac prudens exti-

extiteris:Sed nimirum uti scripsit Joannes Apostolus 1.Epist. cap. 4. *Ipsi de mundo sunt, ideò de mundo loquuntur, & mundus eos audit: Nos ex Deo sumus: Qui novit Deum, audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & spiritum erroris:* utriusque discretio petitur ex regulâ fidei, & hæc sumitur ex DEI testimonio.

2. Conclusio. Si Iesus verus est Deus, si Messias in lege promissus, igitur ei conveniunt quæcunque in lege de vero Messia dicuntur:de illo dixit Isaias cap. 9. *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis:* igitur verè Mediator noster est & Salvator: itaque in illo omnis spes, & fiducia mea:Ille Rex meus. Dux meus, Protector meus: Iste Exemplum meum, Magister meus, Doctor meus: Illum unicè diligere debeo, illi uni servire:ab eo vitæ exempla, ab illo documenta accipere debeo:igitur quæcunque mihi vitæ præcepta dedit ea consequi debeo, & ejus institutis insistere:Verum igitur est beatiores esse pauperes divitibus, item beatius esse dare quàm accipere:longè optatius esse injuriam pati, quàm ulcisci: igitur quæcunque docuit de alterâ vitâ, ea sunt verissima. De verbo otioso reddendam esse rationem: nihil malè actum manere sine pœnâ: nihil benè actum sine mercede: dari ignem æternum, vermem qui non moritur, tenebras exteriores: divites voluptuosos sepeliri in inferno, pauperes patientes in sinum Abrahæ deferri: & similia sexcenta, quibus vitæ doctrina continetur: Igitur cùm non tantùm fuerit Salvator in quem credere debeo, Mediator in quem sperare, Exemplum quod imitari, sed etiam Legislator cui me obedire oportet, ego ejus leges quantùm potero sequar; at ille inimicos diligere jubet: offendentem requirere ad pacem: oculum eruere si scandaliset, item manum, & pedem præcidere si scandalisent: mulierem non aspici ad concupiscendum. Igitur ille est consiliarius, cujus ego consilia omnibus mundi consilijs præferre debeo: itaque alteram maxillam offerre percutienti unam, tunicam deserere pallium capienti, animam perdere ut servem, & alia multa quæ omnibus sæculis ignorata, atque abscondita docuit Sapientia divina.

Eorum enim omnium veritas, & sanctitas, & in plerisque necessitas, innumeris innituntur miraculis, quibus Deus ejusmodi veritatibus authoritatem sic conciliavit, ut à nemine nisi prorsus insano denegari possint. Hinc vide cujus vita sit tutior, hominis justi, an verò impij: ille nititur pronunciatis Evangelicis, hic autem insanis hominum carnalium sermonibus: item an insaniat Religiosus omnia deserendo, an homo mundanus qui ejusmodi vitam irridet: cujus enim firmior & solidior spes est? ille nititur miraculis, hic carne, & sanguine: adversus quos sic ratiocinor: Cùm res nulla majoris momenti fingi possit quàm quæ continetur in nostrâ Religione, certè nullum fingi potest majus periculum ac discrimen, quàm in re tantâ errare, cùm ibi error sit irreparabilis, & æternus: Tu nihil horum credis quæ credimus de futurâ vitâ, nihil etiam de officijs quibus vita præsens astringitur: ego verò horum causâ abjicio, & voluptates, & honores & divitias, & quotidie me contineo: videamus amabo, quis nostrûm tutiùs agat? ego ad id moveor sensu religionis, ad illum verò me ad adducunt tot contestata miracula: Tu verò moveris tantum libertate, & rei incertitudine, quia nihil horum vidisti:

Certè aut tu falleris, aut ego decipior: sed 1. cujus error damnabilior, aut tuus, aut meus? nam si decipior, ipse Deus me decepit: quæ enim credo, tot miraculis confirmavit, ut non nisi à Deo fieri potuerint: Tu verò à te ipso deceptus es, solam incertitudinem secutus, & homines scelcratos & impios. 2. Quis nostrûm majori periculo errat: ego quidem res nihili, & perituras aliquando objicio periculo: Tu verò summa omnia & æterna: Ego nihil amitto, quod non sit lucrum perdidisse: Tu nihil amittis, quod perdidisse non sit summa miseria: Tu nihil persequeris, quod possedisse non sit crimen, vel miseria: ego nihil persequor, quod possedisse, non sit, vel summum meritum, vel summa felicitas, ad quam nos perducat Jesus Christus. Amen.

FERIA QUARTA

DOMINICÆ PRIMÆ IN QVADRAGESIMA:

CONCIO SECVNDA,

DE MIRACULIS.

Solvuntur objectiones quæ fiunt contra Miracula Christi; & disputatio satis implicata de falsis Magorum vel Hæreticorum Miraculis planè evolvitur.

Generatio mala, & adultera, signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Matth. 12.

NIHIL damni patitur veritas, quùm in disceptationem venit nisi evincitur, quùm videtur impugnari nisi profligatur. Quando aurum & argentum probæ sunt temperaturæ, nihil formidant explorationem, neque obryzam: nec enim ignis nec obryzæ catinus quidquam illis detrahunt, sed indicant cujusmodi sint: contrà vero chymia, metallaquea adulterata nihil æquè ac ignem, obryzæque periculum verentur. Quæ quidem causa me hodie inducit ut experimento committam & disceptationi veritatem omnium Fidei nostræ gravissimam maximique supra reliquas momenti; scilicet Jesu Christi divinitatem, subjiciamque examini pertinacissimorum ingeniorum, probationem quam hesternâ die protuli è miraculorum testimonio petitam. Rom. 3. *Vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.* Atque ut Infidelis, ethnicusque, ut & ad licentiam projectus, curiosusque

fusque intelligat sibi vel invito divinitatem Jesu Christi esse credendam, ut *in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloriâ est Dei Patris.* Sed priùs Virginem salutemus. AVE MARIA.

DUO si meministis attulimus ad nostræ conclusionis probationem. 1. Quidem probationem quæ petitur ex miraculis, infallibilem esse. 2. Multa miracula favisse huic veritati, Jesum esse Filium Dei, quæ duo si semel constent ex omni parte, negari nullo modo poterit, Christum Dominum verum esse Deum, & consequenter ea omnia esse indubitata, quæ Christianâ lege continentur. Age itaque, utramque propositionem examinemus, remque ad sua usque principia deducamus. Et quoniam ea res planè inusitata est, atque insolens, date hoc pessimæ necessitati, in quam mala hæc tempora nos deduxerunt; res enim nobis est cum hominum genere maximè temerario, atque impio, Atheos dico, Deistas, hæreticos, & ad omnem audaciam projectos, qui temeritate, atque impietate, famam præclari ingenij se adipisci arbitrantur: quos ego si vero nomine appellavero, stultos atque insanos nominem, qui sicut fertur in fabulis, instar Gigantum Deum ipsum lacessant. Adversus igitur primam propositionem quâ diximus probationem ex veris miraculis petitam esse infallibilem, nec posse recusari aut negari.

Objiciunt nobis primo loco, uti fecit olim Celsus secta Epicuræus, teste Origene in primo quem adversùs illum scripsit libro, Ægyptios & ludiones ab caliculis, multa efficere quæ animos rapiant, mirifica sint & prodigio affinia, nec tamen esse quemquam judicio præditum, qui vellet eorum verbis gestisve fidem adhibere. Recte Origenes respondet, Celsum ipsum esse ludionem, & morionis galericulo notandum, qui nobis nugas ineptiasque ejusmodi in re tam seriâ opponat: cùm ea ad prodigij speciem confecta nihil sint nisi artificia, & argutiæ manuum, vel illusio sensuum, meræque nugæ, quæ fiunt tantummodo ad oblectandos animos, & ad colligendum lucrum: atque, etsi inesset artificium Dæmonis, non id fit ad stabiliendam alicujus momenti veritatem, & ad suadendum hominibus ut meliores evadant; unde possumus facile intelligere, ejusmodi homines minimè juvari à Deo. Argumentum est quo usus est olim D. Petrus contrà incantationes Simonis Magi, sicut memorat Clemens Romanus libro tertio recognitionum, quod his verbis illi proponebat: Ut Magi Pharaonem dementantes arte Dæmonum: Moysi resistebant, ita & tu mihi. Sed vera miracula semper hominibus prosunt, ut dùm curantur infirmi: falsa verò tantùm sunt ad inutilem ostentationem, ut canes æneos latratus edere. Eodem modo S. Irenæus lib. 2. de Hæres. cap. 56. eos refutat qui sunt à Simone, & Carpocrate, & si qui alij (inquit) virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, neque in beneficiis, hominibus facientes ea quæ faciunt, sed in perniciem, & errorem per magicas elusiones. Idem judicium esto de hominum sceleratissimo Apollonio Tianæo, quem Hierocles non dubitavit Christo æquare: sed doctissimè refutatur ab Eusebio Cæsariensi, qui totam Apollonij vitam, ex Historicis etiam plurimùm ei faventibus contexuit, ac præcipuè ex Philostrato, qui eam ex varijs authoribus compilavit: ostendit enim quæ de eo jactantur miracula, vel pura esse mendacia, quod colligit ex ipsis authoribus pugnantia & absurda scribentibus: vel inania, atque ad ostentationem facta prodigia,

digia, ut lebetes, & cacabos moveri, & similes nugas. Sed solidissimè hinc refutantur, quod hæc omnia nunquam vera miracula fuerunt, sed præstigiæ, ac illusiones, fictionesque Dæmonum, quod apparet ex eo, quòd res istiusmodi non permanebant constanter, & nihil firmitudinis habebant: præterquàm quod nihil eorum, vires naturæ superavit, uti vera miracula faciunt, cujusmodi sunt restitutio visus omnino extincti, mortuorum suscitatio, aliaque innumera, quibus Deo placuit obsignare prædicationem Evangelij, divinitatem JesuChristi, & omnia fidei nostræ mysteria.

2. Objectio. Qui se judicio præstantiores autumant, satis arbitrati fabulas & mendacia non posse mihi multum negotij facessere, provocant me ad historiæ tribunal, putantque se mihi operam & difficultatem allaturos esse, nonnullorum miraculorum commemoratione quæ narrant veteres historici fide digni, quæ quidem opponunt miraculis quæ ab Evangelistis produntur. Tacitus libro Historiarum suarum quarto, scripsit, quo tempore Vespasianus ad invadendam Imperij Romani possessionem ibat, eum per miraculum sanasse duos ægrotos in urbe Alexandriâ, qui à Deo Serapi admoniti ad illius virtutem confugerant. Unus ægrorum saucius erat oculis, alter manu. Prior illum rogabat, ut in oculos suos spueret atque in genas, alter ut sibi manum pedibus calcaret. Vespasianus postulationem istiusmodi miratus est, veritusque ne ridendi ansam daret cæteris, si attentaret effectionem rei, quæ ipsum latebat, primò quidem irrisit, cùm tamen didicisset à medicis, neutrum ex ijs duobus morbis insanabilem esse, excitatusque ab aulicis ad experimentum rei faciendum, utrumque persanavit, uti memorat historia. In quo præter suspicionem quam habeo, illud est artificium commentumque Apollonij Tianæi, insignis Magi, qui Alexandriæ versabatur eo tempore, & familiariter cum Vespasianò. Videte, Auditores, qualis miraculorum patrator erat Vespasianus, qui cæco inductu agebat, qui ignorabat quid posset, ac nequidem sciebat quem exitum sua operatio habitura esset: præterquàm quod ex ipsâ historici confessione, morbi ejus generis sanabiles erant de Medicorum arbitrio, qui exploraverant ægros posteà sanitati redditos: unde consequens est, artificium id Dæmonis fuisse, qui eâ operâ patrocinari voluit illius temporis errori, cui Judæi complures fidem adhibuere, sicut narrat Josephus; Vespasianum scilicet esse Messiam sibi promissum, cujus adventus in Scripturâ sacrâ notatus fuisset secundum Prophetiam Isaiæ. Idem sentio de miraculis quæ Spartianus Historicus nobis ait facta fuisse ab Adriano Imperatore 68. anno post illa quæ de Vespasiano narrantur. Infortunatus enim ille Princeps ad insanabilem hydropisim post phythisim redactus, cupiensq; sibi ferro aut veneno vitam eripere, in quod nemo eorum qui ad eum accederent, consentire voluit, mulieris unius cœcitatem curavit, quæ ajebat se perdidisse visum, quia ipsum minimè certiorem fecerat, uti Dij præceperant per somnium, ad sanctitatem esse rediturum. Additur etiam solo contactu visum cœco nato reddidisse. Adjicit tamen tamen Historicus à Mario Maximo vetere graviq; authore asseri, ea omnia simulatione ac artificio fuisse facta. Inventum id fuit commentumq; Antonini, cui cognomẽ Pij impositum est, propterea quod omni genere artificij servaverat & prorogarat vitam ei à quo fuerat adoptatus: Ut enim tolleret ipsi ex animo rabiẽ voluntatemq; necis sibi inferendæ, ad quam desperatio & fastidium viven-

vivendi diutiùs, eum adduxerat, confinxit falsa miracula, ut spem aliquâ præberet recuperandę sanitatis. Quis enim vero credere possit, infelicem ac desperatũ hominem, qui nullam nanciscì viam rationemq; poterat vivendi aut moriendi, & qui usquequaque sanitatem sibi perquisierat, uti fatetur Historicus Deo, ipsis, etiam incantamentis beneficijsque, largiri sanitatem miraculo alijs potuisse. Prætereo silentio inumera alia prodigia, cùm falsa tùm ficta certatim, Antonini Imperatoris tempore, in gratiam & cõmendationem Æsculapij, cæteraq; profana variorum sæculorum ad miraculi speciem conficta, quæ Polybius gravis Author reprehendit in malæ fidei Historicis, qui quidẽ ut rude vulgus in superstitione Deorum tenerent, non erubuerunt mentiri, atque Historiæ suæ corpori fabulas meráque mendacia inserere.

Atq; ut unum in locum congeram quicquid de confictis miraculis citatisque ab Ethnicorum, ac Idololatrarum plerisque, aut artificiosè Magorum atque Hæreticorum operâ simulatis:

Certum est. 1. ejusmodi miracula maximâ ex parte fuisse falsa, ficta & simulata, aut ad summum non fuisse vera miracula, si nomen miraculi strictè sumatur, & propriè.

1. Quia vel fuerunt meræ præstigiæ, & sensuum illusiones, quòd ex eo convincitur, quoniam non facta sunt in ipsis personis, aut in ipsis rebus, sed meram habuerunt apparentiam, unde in illis defuit duratio, & permanentia: ut de quibusdam sui temporis ita scripsit S. Irenæus libr. 2. cap. 58. Phantasmata ostendentes statim cessantia, ac ne quidem stillicidio temporis perseverantia, non Jesu Domino nostro, sed Simoni Mago similes ostenduntur. 2. Quod non sint vera miracula, hinc probatur facillimè. Quia non superant vires creatas, neque in substantiâ, neque in modo, quod tamen requiritur ad verum miraculum: Itaq; Dæmones ea omnia efficere potuerunt, aut solo motu locali, aut subitâ rerum naturalium, & causarum applicatione, quarum perfectam habent cognitionem.

Certum est. 2. Quod simulata miracula, eorum impostura communiter loquendo, facile deprehendi potuisse. 1. Defectu durationis, & constantiæ, sic enim constabat esse præstigias. 2. Ostendendo non fuisse operationes supremæ virtutis: uti cùm Deus permisit Magos Pharaonis, mutare virgas in serpentes: seu vera fuerit mutatio, per naturalium causarum applicationem; sive tantum adductio in locum, allatis serpentibus, ejusdem magnitudinis cujus erant virgæ, quæ aut occultatæ sunt à Dæmone, aut alio translatæ; seu tantum facta sit sensuum illusio, quâ virgæ visæ sunt in colubros conversæ. Voluit tamen Deus, ut virga Moisis devoraret virgas Magorum, vel ut veriùs puto, serpentes ab eis factos, ut Pharao intelligeret, factum Magorum non fuisse supremæ authoritatis, cùm ab aliâ virtute potentiore destrueretur: unde Deus impedivit ne muscas possent producere, quod Magi videntes, dixerunt: *Digitus Dei hic est*, illis verbis supremam potestatem agnoscentes: Hinc Simonem Magum in aëra ausu temerario volantem, licet Dæmonum auxilio fulciretur, S. Petro orante præcipitavit.

Certum est. 30. Cùm impostura facile detegi non potuit, Deum sæpe non permisisse, ut talia fierent, ne homines deciperentur. Ita prohibuit Balaam ne populo Israëlitico malediceret, id est noceret, etiamsi id maximè vellet efficere. Ita cùm Sacerdotes Baal suum Deum inclamarent, ut paratum sibi sacrificium incenderet. Dæmonem

qui

qui facile illud præstare potuisset, ne id faceret prohibuit, ne populus hoc facto deluderetur. Ita impedivit Magos in Ægypto ne muscas producerent. Et Manes cùm in sui erroris probationem tentasset sanare filium Regis Persarum ægrotantem, propterea que Medicos arcuisset, & filius Regis ex eo morbo objisset; Rex illum cute exui vivum jussit in fraudis suæ, temeritatis & arrogantiæ mercedem. Et Gregor. Turonensis lib. 2. Histor. Franc. cap. 3. scribit miserum quemdam, cùm cœcum se esse fingeret, opemque peteret à Cyrola Ariano qui eum subornaverat ad simulandum in ipso miraculum, erroris sui confirmandi causâ, cœcum planè redditum fuisse. Quis nescit, quod prodit Lindanus evenisse an. 1558. ad limites Poloniæ, cuipiam nomine Matthæo, qui vivens ac vegetus cũ subornatus fuisset ut haberetur pro mortuo sicque suscitaretur, reipsâ mortuus est ad vocem Ministri toto capitis conatu clamantis, *Lazare veni foras.*

Certum est 4. Etiamsi Deus his omnibus modis, nobis non succurrisset, neque nos præmunivisset, contra multiplices falsorum miraculorum passim occurrentium deceptiones, hoc unum nobis sufficere debuisse, quod dixit Apostolus 2. ad Timoth. 2. *Ille fidelis permanet, seipsum negare non potest*: Deus enim cũ non sit mutabilis, ac sibi ipsi contrarius, non potest esse author miraculorum, quibus inter se contraria confirmentur: Quare si semel miraculis bene stabilita fides, alijs miraculis impugnetur, credendum planè est secunda, & sequentia miracula meram esse impostura: nam ut ait idem Apostolus 2. Cor. 1. *Dei Filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, non fuit, Est, & Non. Sed est, in illo fuit:* Quâ occasione, idem Apostolus dixit, ad Galat. 1. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit, sicut prædiximus: Et nunc iterum dico, si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Vide prudentiam Apostoli. Nos semper ad primam prædicationem reducit, ac revocat, quæ non leviter stabilita sit, sed innumeris miraculis, quæ certissima fuerunt, & manifestissima: unde concludit cætera omnia in contrarium, rejicienda esse. Sed quænam? vel ipsummet Apostolum, si aliud prædicaret: vel etiam Angelum de cœlo, si diversa nunciaret: quod certè ab Apostolo dictum est hyperbolicè. Unde Vincentius Lirinensis lib. 1. cap. 12. Exponens allata Apostoli verba. Non quia Sancti, cœlestesque Angeli, peccare jam possint, sed hoc est quod dicit, si etiam (inquit) fiat, quod fieri non potest, quisquis ille sit, qui traditam semel fidem, mutare attentaverit, anathema sit: Nec mirum. Quia uti inter ea quæ sunt necessaria, unum est alio, magis necessarium, & talis est Deus, qui est ens, omnium entium maximè necessarium; ita inter impossibilia, unum est maximè impossibile, hoc autẽ est Deum posse mentiri: quod magis impossibile est, quàm Angelum etiam beatum posse mentiri, & à gloriâ deficere. Et consequenter quod Deus semel miraculis est attestatus, minùs falsum esse potest, quàm quod Angelus etiam beatus contestatus est, propter majorem repugnantiam falsitatis, cum primâ veritate, quàm cum veritate participatâ. Vel id dixit Apostolus, ut hoc signo deprehendas Satanam, etiam cùm se in Angelum lucis transfigurat, quasi de cœlo venerit. Hinc comprobante S. Hieronymo eleganter dixit Tertullianus contra Apellem, & Philumenem quæ se Spiritu Sancto plenam dicebat, ejus Angelo, longè ante dictum ab Apostolo, anathema. Talis Angelus Lutherum, & Zuinglium docuit de Eucha-

Eucharistiâ, scilicet qui verè niger fuit; licet Zuinglius libro de Supplemento Eucharistiæ dicat se ignorare, albus ne, an ater fuerit. Hinc Sancti Patres hunc canonem posuerunt examinandi novi dogmatis, si nimirum concordet cum antiquâ Ecclesiæ fide, quam Deus innumeris miraculis stabilivit, & Paulus, & Apostoli prædicaverunt *Deo sermonem confirmante sequentibus signis*: unde Tertull. lib. de Præscrip. cap. 21. Ex ipso ordine, monstratur id esse Dominicum, & verum, quod sit prius traditum: Id autem extraneum esse, & falsum, quod sit posterius immissum. Et S. Augustinus lib. 13. contra Faustum, cap. 5. exprobrat Manichæis. Miracula non facitis, quæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus per instruentem nos Dominum, & dicentem. *Exurgent pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia.*

Certum est. 5. Quod si apud Gentiles, & Infideles fuerunt vera aliqua miracula, qualia fortasse fuerunt aliqua; nulla unquam tamen patrata fuisse ad alicujus falsitatis, aut erroris confirmationem, sed propter aliquam veritatem confirmandam, aut propter aliquam utilitatem facta fuisse: uti cùm Claudia mulier Romana cingulo suo ad littus attraxit ingens navigium, quod boves complures aliæque vires humanæ loco movere nequiverant, id in pudicitiæ gratiam fiebat, falso crimine, & injustè notatæ: ad eundem finem virgo quædam Vestalis contra veritatem accusata violatæ integritatis, hausit aquam cribro, ita ut foraminibus non defluereret. Nihil eorum omniũ factum est ad conciliandam fidem Gentilismo, neque ed destruendam veram religionem, fidemque nostram impugnandam, aut ad aliquem errorem comprobandum, sed tantum ad patrocinandum cuipiam veritati, atque ad innocentiam in tuto ponendam. Ac sicut Augustinus refert reliquias S. Stephani, multis Ethnicis, immò etiam animalibus profuisse, ita Deus plerùmque per miracula opitulatus est Idololatris: sed tunc ea miracula opitulatus est Idololatris: sed tunc ea miracula non probarunt aliquam veritatem, vel recursum ad Deum, & aliquid simile. Unde sequitur nihil inde contra nos colligi posse.

Ex dictis nascitur. 3. objectio, quæ multis videtur omnium potentissima ad infringendam miraculorum authoritatem. Scilicet, Quod multi improbæ vitæ homines, immò & Hæretici, & Judæi, & Pagani vera miracula fecerunt, ut videre est in Historiâ Ecclesiasticâ. Immò in sacrâ Scripturâ Nu. 24. Balaã licet impius donũ habuit Prophetię: Marci 9. Joañes Apostolus dixit Christo. *Vidimus quemdã in nomine tuo ejicientẽ dæmonia, qui nõ sequitur nos, & prohibuimus eum.* Quod tamẽ Christus improbavit. Matth. 7. ait Christus multos sibi dicturos in die Judicij. *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et nunc confitebor illis: Quia nunquã novi vos, Discedite à me, qui operamini iniquitatẽ:* Itẽ legimus Math. 24. *Surgent pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi:* Immò de Antichristo dicitur Apocal. 13. *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum. Et seduxit habitantes in terrâ, propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, &c. Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, & ut loquatur imago bestiæ.* Ex quibus omnibus patet valde incertum esse testimonium miraculorum, & consequenter primam illam propositionem, quâ diximus, quæ miraculis certis, & manifestis essent confirmata, ea omninò esse indubitata, valde vacillare, quod ipsa

nostris temporis experientiâ comprobatum est. Quædam enim audivimus jactari miracula, quórumdam hominum manibus facta, quorum fides suspecta est: unde factum, ut inde nonnulli errores suos confirmare voluerint, periculosâ sanè consequensiâ, & pusillorum scandalo.

Ut huic objectioni plenè satisfaciam, placet rem totam à suis principijs repetere ordine sequenti: si modo attenti fueritis, dum rem, alioqui satis implicatam, evoluo. Ad cujus intelligentiam.

Nota 1. Duplicis generis esse miracula; Quædam strictè sumpta, & propriè dicta, in verâ significatione vocis miraculi: & sunt effectus: qui superant vires omnes creatas, tam corporales, quam spiritales, seu secundum substantiam, seu secundum modum, uti suprà diximus. Talia sunt illuminatio cœci nati, mortuorum resurrectio, & alij multi effectus quorum nulla est causa in naturâ. Alia sunt latè sumpta, vocabulum miraculi in significatione magis extensâ sumendo, & sunt ea quę superant communes vires humanas: unde mira hominibus videntur, licet eorum sint aliquæ causæ, intra latitudinem naturæ: sed vel occultæ, & ignotæ, vel invisibiles. Primi generis miracula solum habent Deũ authorem, ut causam principalem, & ea sunt propriè dicta miracula, & illa præcipuè sunt, de quibus locuti sumus, cùm diximus vera esse, & indubitata veritatis alicujus testimonia: Alia verò prèter Deũ, & homines, virtute ipsius agentes, ut instrumenta causæ principalis, habere possunt pro causâ Dæmonem, qui agat vel per motum localem, vel per applicationem agentium naturalium, quorum vires, & facultates optimè novit. Et ea miracula ferè semper in Scripturâ vocantur signa, & prodigia, quia ferè tantum fiunt ad ostentationem.

Quod autem Dæmones id possint, præclarè docet S. Augustin. in lib. 83. quæstionum quæst. 79. hoc discursu. Distinguit enim in Spiritibus duplicem ordinem, unum quo utuntur rebus sibi subditis, secundum jus privatum, quod habent in omnia inferiora corporalia: unde vocatur Dæmon Princeps hujus aëris, & Dæmones vocantur aëriæ potestates: nam (ut ait) unaquæque res visibilis in hoc mundo, habet potestatem Angelicam sibi præpositam, ut dicit Scriptura in varijs locis. Alio ordine subduntur universitatis legibus, sicut publicis, intra quas coërcentur, & reguntur, quia & ipsi sunt pars aliqua universi: unde quædam non possunt, quia spectant totum ordinem universi. Itaque de ijs rebus, quibus sunt præpositi, aliter quasi privato jure agunt: aliter tanquam publicè agere coguntur, potentior enim est parte universitas: quoniam illud quod privatim agit, tantum agere finitur, quantum lex universitatis finit. Hinc fit ut quando sinuntur illi spiritus, privato suo jure uti, quædam miracula faciant in illis rebus, quibus sunt, infimo, sed tamen ordinatissimo potestatum gradu, præpositi. Idcircò quia multa possunt per motum localem, & per naturalium agentium applicationem, quam facere possunt, & subtili arte, & maximâ celeritate, multa mira faciunt, & in hominibus, & circa homines, & extra illos: Sed si aliquid sit, quod pertineat ad totum universum, id non possunt: ut solem sistere, agentia naturalia impedire. Item si desint causæ naturales, nec aliquid pendeat à motu locali, tunc illud præstare non possunt, ut hominem mortuum vitæ restituere verâ resurrectione, aut cœco nato visum restituere. Vel si interveniat divina lex, quæ est publica, illa utique vincit privatam licentiam; unde multa prohibentur facere. Immò

Immò

Immò aliquando DEI ſervi quando hoc donum eos habere utile eſt, ſecundũ publicam, & quodammodo imperialem legẽ, hoc eſt ſummi Dei poteſtatem, imperant infimis poteſtatem, imperant infimis poteſtatibus, aut eas impediunt, ne agant: aut jubent ut quædam faciant: Ita Paulus imperavit Satanæ ut invaderet, & torqueret, inſignem illum fornicarium, qui in matrimonium duxerat uxorem patris ſui. At ſi Dæmones non impediantur multa & per ſe, & per ſuos miniſtros mira facere poſſunt. Et ita, in Magicis imprecationibus, ut homines decipiant (ait Auguſtinus) præſtant effectum, precibus, & miniſterijs eorum, privato illo jure largientes quod ſibi licet largiri, honorantib⁹ ſe, & quædã ſecũ, in Sacramentis ſuis, pacta ſervantibus. Hæc ille. Ejuſmodi erũt miracula quæ fient à pſeudochriſtis & Pſeudoprophetis, & maximè ab Antichriſto, ut ignẽ de cœlo dejicere, & ſimilia. Ejuſmodi fuerunt miracula Magorũ in Ægypto. Ita Simon Magus uti dicitur Actor. 8. ſuis incantationib⁹ Samaritanos dementarat, *dicens ſe eſſe aliquem magnum, cui auſcultabant omnes, à minimo uſque ad maximum dicentes. Hic eſt virtus Dei, quæ dicitur Magna.* Et ejuſmodi ſigna fieri poſſunt in confirmationem mendacij, unde dixit Chriſtus. *Ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam Electi.* Itaque cùm pleræque ſanationes fieri poſſint hoc modo, hoc eſt vel per motum localem, vel per applicationem occultam agentium naturalium, quando morbi non ſunt omnino incurabiles, nullum certum veritatis alicujus argumentum, ex illis præcisè ſumi poteſt: quemadmodũ ſemper trahitur certum ex miraculis primi generis, quoniam illa ſolum Deum habere poſſunt authorem, cujus teſtimonium ſemper eſt infallibile, & irrefragabile: itaque primi generis miracula ex aliis rebus examinanda ſunt: poſteriora in ſe ſuam habent certitudinem, modò conſtet de exiſtentiâ.

Nota. 2. Cum miracula ſecundi generis, ſeu ſigna, ſeu prodigia, fieri poſſint & à Deo, & à Dæmonibus, ſaltem quoad ſubſtantiam, hinc fieri ut ejuſmodi ſigna ſint æquivoca, & referri poſſint ad diverſas cauſas: itaque ex ipſis præcisè ſumptis, nihil determinatum judicari poteſt, quia ut ait Auguſtinus, eadem eſſe viſibiliter apparent: ſed & diverſo fine, & diverſo jure fiunt: Nam ſi fiant oſtentationis causâ, vel tantùm ad delectationem, aut ad curioſitatem, non poſſunt habere Deum ut authorem: multò minus, ſi ad aliquod falſum dogma confirmandum, vel ad aliquod malum patrandum fiant: Nam in ratione ſigni, duplicem habent reſpectum, & ad cauſam efficientem, ſeu principium, & ad finẽ. Quia igitur Deus falsũ teſtari nõ poteſt ideò non poteſt eſſe cauſa principalis ſigni rei falſæ, hoc eſt n. teſtari falsũ. Propterea ſi Hæreticis talia ſigna fiant ſeu miracula, ad ſui erroris confirmationem, non ad Deum, ut cauſam, ſed ad Dæmonem referenda ſunt: Nam cùm ex ſe ſint æquivoca, ad diverſas cauſas referri poſſunt; ſed determinatio quæ fit ad aliquod malum, qualis eſt erroris cõfirmatio tollit omnẽ æquivocationẽ. Itaq; ſi poſt definitũ aliquod dogma ab Eccleſia, aliquid tale fieret ab Hæretico cõtra idẽ dogma, & in alicujus rei falſę confirmationem, talis ſanatio verbi gratia referenda eſſet ad Dæmonem, qui poteſt illius eſſe author, cùm non ſuperet vires creatas. Et cõſequẽter cũ Dæmon, illius author eſſe poſſit & de facto cõvincatur eſſe tali applicatione factâ ad rẽ falsã confirmandã, rejiciendũ eſt tale miraculũ, propter authorem, & propter finem. Talia erunt miracula Antichriſti, & Pſeudochriſtorum, quæ tanta ſunt futura, ut teſte Chriſto, *in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam Electi;*

quibus verbis significatur, tam mirabilia futura prodigia, ut multos decipiant, secundum illud Apocal. 13. *seduxit habitantes in terrâ, propter signa.* Eo usque, ut si electi perire possent, etiam ipsi inducerentur in errorem: sed uti de ipsis dixit Christus Joan. 10. *Et nemo poterit oves meas rapere de manu mea.* Ita cum aliquos videritis, ejusmodi miraculis, à fide, & Ecclesiæ decisionibus averti, valde verendum est ne ejusmodi homines sint de numero reproborum: & certè ex illis erunt si in illo errore perseverent. Equidem is Christi loquendi modus, gravem indicat futuram tentationem, quæ efficiat, ut etiam Electi titubent, licet non cadant. Quod autem dixit S. August. hæc miracula fieri à Dæmonibus, & per ipsos à Magis, ut diverso fine, & diverso jure, ita explicat, ut ea fiant, per quædam potestatibus concessa, in ordine suo, quasi privata commercia, vel beneficia. Quæ autem fiunt mediante Deo, publicâ fiunt administratione, jussu ejus, cui cuncta creatura subjecta est. Aliter enim cogitur possessor equum dare militi, aliter eum tradit emptori, vel cuilibet donat, aut commodat. Sed quia occultior est causa, quæ efficit, quam finis, propterea in fine errari non potest, & ex illo causa efficiens deprehenditur, qualis sit; uti à nobis superiùs explicatum est.

Nota. 3. proprie dicta miracula, ea scilicet quæ superant omnes vires creatas, & quæ solum Deum habere possunt ut causam principalem, licèt communiùs fiant instrumentaliter per homines pios, & Sanctos, aliquando tamen fieri per homines improbos, immò per Hæreticos, & Infideles, uti dictum est in objectione, de Balaam Prophetâ, & de illis, qui in extremo Judicio dicent: se in nomine Christi prophetasse, & Dæmones ejecisse, & multas virtutes, & sanationes effecisse: quod quidem Christus non negabit, ut scias eos verum dixisse; sed addet, se non tamen ideò illos approbare, quin imò rejicere, *Quia nunquam novi vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem:* Talis fuit de quo Marc. cap. 9. qui in nomine Christi ejiciebat Dæmonia, licet Apostolos non sequeretur, & in Christum non crederet: & in Historiâ Ecclesiasticâ multa similia exempla legimus, & acceptamus. Quis nesciat Judam traditorem, multa cum alijs Apostolis miracula perpetrasse, licet & Beata Virgo. & S. Joseph, & Joannes Baptista quo inter homines nullus major fuit, nulla miracula edidisse legantur: Immò S. Augustinus in q. 79. ex 83. advertit hanc facultatem datam fuisse malis, & viris Sanctis negatam. Ratio. 1. est, Quia licet Deus communiùs utatur instrumento sibi conjuncto, & proportionato, ut magis convenienti; quia tamen operatur suprà virtutem instrumenti, hoc non semper attendit. Itaque & malis, & Hæreticis, aliquando usus est, ne scilicet ea virtus instrumento tribueretur.

2. Ratio. Quia ejusmodi actiò non sumit pretium & meritum suum à Ministro ac instrumento, sed à causâ principali, atq; à nomine quod in illâ adhibetur.

3. Ratio. Quia miracula non sunt primò instituta in bonum efficientis, sed in bonum aliorũ, uti dicitur de omnibus gratijs gratis datis, quæ non dantur in bonum operantis, uti docet S. Thomas, & passim Theologi, sed in bonum aliorum, unde S. Gregor. Magnus lib. 9. Epist. 58. scribens ad S. Augustinum Anglorum Episcopum, eum sapienter admonet de miraculis, quæ magno numero faciebat. Quidquid de faciendis signis acceperis, vel accepisti: hæc non tibi, sed illis reputes donata, pro quorum tibi salute collata sunt.

4. Rationem affert S. August. Hippon. Episco-

piscopus li.83.qq.q.79. cur multis Sanctis non concedantur miracula. Ne (inquit) pernicioſiſſimo errore decipiantur infirmi, exiſtimantis in talibus factis, majora dona eſſe, quàm in operibus juſtitiæ, quibus æterna vita comparatur: propterea Dominus prohibet hinc gaudere diſcipulos, cum ait. Lucæ 10. *Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Unde falſæ ſunt illæ conſequentiæ. Aliquis facit miraculum, igitur ille homo approbatur, ejuſque doctrina. In aliquo loco fit miraculũ, igitur ille locus approbatur, malæ ſunt inquam illæ conſequentiæ: Alioqui probarentur homines impij, & profani, & hæretici, atque infideles, à quibus certum eſt patrata fuiſſe miracula, uti docet S. Gregor. 20. Moral. in Job cap. 9. unde ſubdit. Probatio ſanctitatis non eſt ſigna facere: ſed unumquemque, ut ſe, diligere: de Deo autem vera cognoſcere: de proximo verò meliora quàm de ſemetipſo ſentire. Et poſteà. Veros Dei famulos, nõ miracula, ſed ſola charitas probat. Teſtimoniũ ergo ſuperni diſcipulatus, eſt donum fraternæ dilectionis: *In hoc* enim *cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis dilectionem habueritis ad invicem*: Quam videlicet dilectionem, quia omnes hæretici habere refugiunt, dùm ab univerſalis Eccleſiæ unitate dividuntur, jure de eis dicitur apud Job. 30. *Quorum virtus manũ, erat mihi pro nihilo.* Et quia ad eadẽ ſigna quæ exhibent, nullâ humilitate cõcordant: rectè ſubditur. *Et vita ipſa putabantur indigni.* Non igitur præciſè loquendo miracula commendant, aut homines, aut loca: alioqui Chriſtus nunquam in Judicio diceret, ſe illos non noviſſe, quibus in vitâ uſus fuiſſet, ad miracula patranda, quod ſibi profuturum falsò ſperaverant.

Ratio horum omnium fundamentalis eſt, quod cùm miracula ſigna ſint, non aliud ſignificant, niſi id cujus ſigna ſunt: non ſunt autem communiter ſigna ſanctitatis operantium, unde non illam neceſſario ſignificant: ſed aliquam veritatem, illam nimirum, propter quam oſtendendam, aut confirmandam facta ſunt.

Nota itaque. 4. hinc ſequi ejuſmodi miracula fieri non poſſe in confirmationem erroris; licèt ab Hæreticis fieri poſſint, ſed non in confirmationem erroris ipſorum, alioqui Deus mentiretur: cùm enim Deus ſolus cauſa eſſe poſſit principalis ejuſmodi miraculorum, in Deum, ut authorem referrentur, cujus rei nullum exemplum afferri poteſt. Non idem dico de alijs miraculis impropriè dictis: nam quid de illis ſentiri debeat, ſupra dixi, cùm ejuſmodi miracula non ſemper habeant Deum pro authore, ſed habere etiam poſſint pro cauſâ Dæmonem, unde in erroris confirmationem fieri poſſunt. Quomodò autem deprehendi poſſit, an à Deo proceſſerint, an à Dæmone: & conſequenter quomodo falſa à veris poſſint diſcerni, diximus, illud petendum eſſe à fine, ſecundùm illud Auguſtini. Sed & diverſo fine, & diverſo jure fiunt: quæ verba ſuperius à me explicata ſunt.

Nota. 5. Vera miracula, quæ Deum habent ut cauſam principalem, duplici modo fieri poſſe ex Toleto in cap. 9. Joan. Annotatione 9. quam doctrinam repetit ex S. Auguſt. lib. 83. qq. quæſt. 79. Uno modo fiunt proprio opere ejus qui facit miraculum, tactu, manum impoſitione, factâ oratione, & aliâ quâcunque ſuâ actione. Alio modo fiũt, uſu & applicatione rei ſanctæ: adhibito ſigno aliquo ſacro, ut ſigno Crucis, in nomine Jeſu, adhibitis reliquijs, aut Chriſti, aut Sanctorum: aquâ benedictâ, oleo ſacro, aut alijs rebus ſacris, quibus

omnibus vera Fides declaratur, ut per id probetur veritas illius cujus signum est illud in quo miraculum fit: cùm enim in nomine Iesu miraculum fit, in illum fides, cujus nomine fit, comprobatur: Ita Petrus, & Ioannes, claudum illum sanarunt, qui jacebat ante portam Speciosam, de quo meminit Lucas Actor. 3. *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Ita quidam Marci 9. In nomine Iesu ejiciebat Dæmones à corporibus, licet in Christum non crederet: sed in nomine Christi edens miracula, fidem Christi confirmabat, non quam haberet, nam non credebat; sed tamen quæ esset: ex illo enim signo declarabat, propter quem, & per quem opus illud fieret: nempe Christum. Ac primo quidem modo Christus sua omnia miracula peregit, & plerique Sancti, uti de S. Benedicto meminit S. Gregor. in suis Dialogis, qui solo aspectu hominem, qui ad eum confugerat, vinculis solvit liberum: unde dixit Gregorius, Benedictum hoc miraculum effecisse potestate. Sed hoc modo, neque impij, neque Hæretici, nec Infideles, miracula aliquando perpetrarũt: sed secundo modo id potuerunt, & Infideles, & Hæretici, adhibito aliquo signo sacro, aut Christi, aut Ecclesiæ, aut Sanctorum, ut eorum reliquijs; cujus rei innumera narrantur exempla: quâ ratione non illi ipsi testimonium ullum acquirunt, aut commendantur; sed is cujus signum adhibetur: Si igitur videris aliquem hæreticum, aut hominem improbum miracula facientem, adhibito signo aliquo sacro, ut aquâ benedictâ, Iesu nomine aut scripto, aut prolato, vel applicatis reliquiis Christi, aut Sanctorum, hoc tibi certum sit, neque illum probari, neque ejus fidem, & doctrinam: sed esse testimonium ejus rei, quæ abhidetur, &, & ejus cujus signum est, seu ad quem pertinet, tanquam causam, & principium.

Porrò cùm ejusmodi signa adhiberi possint, tùm à Fidelibus, tùm ab Infidelibus, tùm à bonis, tùm à malis; ab illis omnibus miracula fieri possunt; inter utrosque tamen hoc discrimen intercedit, ex B. Augustin. loc. cit. quæst. 79. ex 83. Quod boni Christiani miracula faciant per publicam justitiam: hoc est per legitimam potestatem, quâ legitimè utuntur: Mali Christiani, per signa publicæ justitiæ, quia illegitimè utuntur usurpatâ potestate, ad quam nullum jus habent: quod explicat aptissima similitudine. Ut plerique mali milites, quos imperialis disciplina condemnat, signis imperatoris sui, nonnullos possessores territant, & ab eis aliquid, quod publicè non jubetur, extorquent. Sensus est, Bonos illis rebus uti legitimè, & cum jure. Malos illegitimè, quia sine fide, & nullo jure utuntur. Eodem modo quo Hæretici, Baptismo Ecclesiæ utuntur, quem non usurpant ut suum: sed rem alienam usurpant. Verùm in malis nihil attendendum est, quod eorum sit: sed tantùm ratio habenda eorum quæ adhibent; In aliis verò spectare oportet, si quod adhibent, & eorum meritum. Cum igitur constet ex Evangelijs Christum solo suo verbo, non aliquo signo adhibito, nec alieno nomine invocato; sed factis quibusdam proprijs, ut tactu, salivâ suâ, voce, imperio, oratione, miracula fecisse: constat etiam eum non fuisse sine Deo, nec ad aliud principium, aut finem ejus miracula referenda fuisse, & consequenter in ijs certam fuisse authoritatem testificandi quæ proponebat, & attestabatur.

Ex quibus omnibus huc usque probatis, ac demonstratis sufficientissimè ad objecta responsum est, & ostensum, quod Hæretici, & Infideles, etsi aliqua fecerint miracula, hoc tamen nihil obfuit certitudini verorum

rum miraculorum: consequenter quod plenè probata remanet prima mei syllogismi propositio: nempe: Id quod verissimis ac manifestissimis miraculis comprobatum fuerit, id esse certissimum, & inconteſtatum, eo quod miracula, nullam aliam causam principalem habere possint, præter Deum, & quod quæ sunt ejusmodi, nulli alteri rei, nisi soli veritati suffragari possint.

Quæ cùm ita sint. Videte. 1. quâ prudentiâ procedere debeamus in novorum miraculorum propositione: ut scilicet attendamus uti monuit S. Augustinus loco sæpè cit. 83. qq. Quo fine, & quo jure fiant miracula: quo fine quidè, ut scias, nunquam vera miracula fieri posse ad tuendam falsitatem, aut ad veritatem benè semel stabilitam convellendam: illud Apostoli ad Galat. 1. semper repetentes. *Sed licet nos, Angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Et ratio est, Quia uti dicitur 2. *Ille fidelis permanet, seipsum negare non potest.* Dixit etiam Augustinus spectandum quo jure fiant miracula, hoc est an jure privato, an publico: hoc est an potestate divinâ, & legitimâ, an aliâ: ut pro DEO, Dæmonem non sequaris, & errorem pro veritate.

Videte. 2. Quâ securitate, & quibus testibus in nostrâ Religione vivamus. Nam, Auditores, nititur Fides nostra non levibus quibusdam signis principiisque erroneis, sed testimonio tot miraculorum & & asseveratione quæ à Deo ipso nobis datur: *Cœlum, & terra transibunt: verba autem mea, non transibunt.* Unde fit ut simplex mulier, plus certa sit de rebus Fidei, quam quilibet alius de re quâlibet: Itaque pro rebus Fidei mori non dubitabit, cum Philosophus pro suorum dogmatum veritate mori recusaret. Quocirca, oro vos, judicatore, an jure, ullâque ex causâ dubitare possimus de Fide nostrâ, ob Sophisticum alicujus, quicunque sit ille, sermonem; cùm enim habeamus miracula, Deique testimonium, quænam major securitas adesse animis potest? Jam verò, quæ major cæcitas hominum est istâ, quòd ob Athei cujuspiam verba, qui nobis aliquid difficultatis objiceret, deseramus fidem, quam susceperamus tot testimoniorum & convictionum vi & affirmatione. Quisquis es qui dubitas confer amabò rationes quas habes credendi, & eas quæ tibi objiciuntur ad non credendum. Dicet impius, absurdum esse Deum factum esse hominem mortalem, & passibilem: vel quæret, quomodo id fieri possit: id se capere non posse causabitur: forsitan rem non ita se habere: Deo esse indignum sitire, fatigari, conspui, flagellari, crucifigi: Deum plus habere misericordiæ, quàm ut credere possit quod homines per æternitatem puniat: id sibi incredibile videri. Audisti incredulum & infidelem, & res divinas suâ intelligentiâ metientem: Sed aliunde Deus hæc omnia tot testimonijs, totque miraculis conteſtatus est, quæ non nisi ab homine insano, & qui omnem pudorem abjecerit negari possunt. Jam vide, ac judica, an æquius sit audire hominem dubitantem, an Deum asserentem? & cui justiùs fides adhibenda sit? Quod si Deo loquenti, fidem adhibes, vive secundum fidem tuam: si vivis ita spera: si speras ama: si amas expecta summam felicitatem: illam in cœlo tantum possidebis. Amen.

FERIA QUARTA

DOMINICÆ PRIMÆ IN QUADRAGESIMA

CONCIO TERTIA

DE MIRACULIS.

In quâ refelluntur validè qui fidem miraculorum CRISTI, aliorumque, impugnant: immò expedita & ad captum omnium Evangelij defensio contra Atheos subjicitur.

Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Matth. 12.

HABETIS, Auditores, recentiorem memoriam eorum quæ diebus proximè superioribus diximus, quàm ut obliti sitis probationem à me allatam præcipui Fidei nostræ articuli, scilicet de divinitate JESU CHRISTI; quam elicui è miraculis quæ edidit ad confirmationem hujusce veritatis, & quam ego universam collegi cõclusique hoc syllogismo, seu hac ratiocinatione: Quicquid, comprobatũ est atq; attestatum miraculis manifestis, de quibus ambigi non possit, certissimum est ac indubitatum; Atqui divinitas Iesu Christi comprobata fuit, & attestata eiusmodi miraculis; igitur certissima est, ac indubitata Iesu Christi divinitas. Primas duas vobis probavi propositiones, & ex eis sequitur evidenter probatio consequentię. Atque ut certior essem de probationibus meis, eas subjeci examini, incredulitati, & partinaciæ morosiorum quorumcunque ingeniosorum, afferendo vobis objectiones validissimas quasque & difficillimas, quibus priores duæ propositiones oppugnari possint, quod cũ plenè fecerim quoad primam propositionem, restat, hodie ut alteram severo examini exponam, quò nullus de illa dubitare queat.

Propositio hæc est; atqui divinitas Iesu Christi comprobata est atque attestata miraculis manifestis de quibus ambigi non possit. Duas hæc propositio partes continet, uti diximus superiori sermone. Prior est, quòd miracula Iesu Christi manifesta fuerunt & incontestabilia: quodquidem

quidem probavi, ostendendo 1. quod realia & permanentia fuere, minimè conficta, & ad speciem tantummodo. 2. Quod non facta fuerunt ullâ naturali virtute, non ipsâ etiam Dæmonum vi, aut ullius agentis creati, sed virtute suprema, summâ & illimitatâ, quæ non potest esse nisi divina.

Secunda huius propositionis pars est. Quod facta hæc omnia fuerunt ad stabiliendam hanc veritatem: Quod Iesus Christus est Deus. Quod quidem probavi ex historiâ quâm Evangelistæ quatuor scripsere, quod fecit ut diceret S. Joannes Evangelij sui cap. 20. post commemorationem multorum miraculorum patratorum ad confirmationem illius ejusdem veritatis. *Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* Quod non latis habuit dicere generatim, at sæpè etiam annotavit pro fine, pro effectu, & pro successu cujusque miraculi particularis, probationem & agnitionem divinitatis Jesu Christi. Atque adeò nonnunquam, antequam narraret miraculum, præmisit propositionem ejusdem veritatis, id quod facile mihi est comprobare, enumeratione miraculorum quæ nobis in illius Evangelio memorantur. In cap. 2. Refert primum eius miraculum, conversionem aquæ in vinum, & subdit. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ: & manifestavit gloriam suam:* eam scilicet de quâ dixerat cap. 1. *& vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre*: manifestavit scilicet, ex manifestatione tantorum miraculorum: quid inde fit secutum, subdit. *Et crediderunt in eum discipuli eius.* Parem successum subdit in fine capitis. *Cum autem esset Jerosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa quæ faciebat.* In cap. 4. antequam filium Reguli sanaret, hoc eis exprobrat. *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Tùm miraculum fecit. *Vade, filius tuus vivit.* Ut indicaret se miraculum ideò fecisse, ut crederent, quandoquidem aliter credere nollent, nisi viderent signa, itaque post patratum miraculum, subdit Evangelista. *Hoc iterùm secundum signum fecit Jesus, cùm venisset à Judæa in Galilæam:* nempe inter hæc duo signa commoratus fuerat in Judæâ: quo tempore medio multa edidit Jerosolymis miracula: unde dicitur in fine cap. 2. *Multi crediderunt in nomine eius, videntes signa quæ faciebat.* Itaque Nicodemus cap. 3. ad eum noctu veniens, ita loquitur. *Rabbi scimus, quia à Deo venisti. Magister: Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Item cap. 5. post sanatum paralyticum ad piscinam, sic Christum loquentem inducit. *Ego autem habeo testimonium majus Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea; ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Et ante miraculum, quo paralyticum sanavit sibi oblatum Matth. 9. *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata: Tunc ait Paralytico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam: Et surrexit, & abiit in domum suam.* Et Matth. 11. Cum ad eum Ioannis Baptistæ discipuli rogatum venissent, an ipse esset, qui venturus expectatus fuerat: Multis coram eis patratis miraculis, ita respondit. *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, Claudi ambulant, Leprosi mundantur, Surdi audiunt, Mortui resurgunt: Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Item post restitutum visum cœco nato, uti narratur Ioan. 9. Iudæis rogantibus cap. 10. Si tu es Christus, dic nobis palam? *Respondit eis Iesus, loquar vobis, & non creditis, opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Et inferiùs. *Si non*

non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: Si autem facio, & si non vultis mihi credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre. In cap. 11. suscitaturus Lazarum disertè meminit hujus veritatis. *Sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti. Hæc cùm dixisset, voce magnâ clamavit, Lazare veni foras.* Unde ad discipulos eâdem nocte quâ traditus est. Ioan. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum.* Super quibus nescio quid rationabiliter possint aut expetere aut negare ac improbare adversarij nostri, cùm miracula quæ stabilierunt fidem nostram, adeò valida atque evidentia fuerint, ut qui nobis maximè contrarij fuere, ut Iudæi, Ethnicique ipsi, illa improbare nequiverint: quoniam morbi existimati sunt insanabiles, atque extra suspicionem, sicut morbus cœci nati qui Iudæorum examen subijt; Paralytici suprà Piscinæ labrum, per annos 38. decumbentis; Lazari suscitati quatriduo post sepulturam, & jam semiputridi; Claudi ad Templi portam sedentis, & ab Apostolis Petro ac Joanne sanati: Curationes morborum extitere permanentes & fructuosæ; multitudo innumerabilis fuit; varietas sine ullâ exceptione; continuatio sine intermissione; fructus admirabilis, effectusque prodigiosi. Quamobrem debemus miraculis, inquit S. Augustinus, mundi conversionem. Quis enim posset mendacij arguere res quibus Deus ipse testimonium præstitit?

Ne omittamus tamen inspicere ac audire, quid opponant nobis adversarij, malosque prætextus quibus se Infidelitas obtegit, sibique blanditur. Cùm nequeant resistere validitati ratiocinationis quam attulimus, revocant nos ad quęstionem facti. Nostram demonstrationem convellere à fundamento satagunt, planèque negant veritatem & existentiam miraculorum nostrorum. Sed ut ne abeatur longius: Aut cum ratione inficiantur veritatem & existentiam miraculorum nostrorum, aut absque ratione: Si absque ratione, oppositio ipsorum nulla est, nostrorumque miraculorum veritas subsistit: Si cum ratione, eam proferant, nec temerè ad arbitrium contendant.

Istud est (inquiunt) quod miracula quæ profertis nunquam extitere, sed res sunt excogitatæ & confictæ. Verùm, quomodo excogitata fuisse illa & conficta probant, post authenticum testimonium quod de ijs habemus ab quatuor Evangelistis, qui quidem fuere Historici vitæ Filij Dei. Plus-ne habent ingenij, magisque illùminati sunt tot luculentis hominibus, qui ante illos, vel ejusdem temporis ac ipsi, immò & post ipsos admisere illa pro veris, fidemque Evangelio adhibuere? An verò plus oculati sunt, quàm tot Reges, tot Principes, tot duces, tot Sapientes, tot Philosophi, tot Sancti, tot Martyres, tot Populi, qui Fidem ex miraculis susceperunt? An nos isti plus commovere possunt negando, qui tot sæculis distant ab earum rerum gestione, quàm alij affirmando, qui eodem sæculo vixerunt, quo ea gesta sunt: & quidem non in angulo terrarum, sed maximâ ex parte, in urbe omnium populosissimâ, & in oculis omnium. Evangelia illis temporibus maxima ex parte scripta sunt, quibus vivebant, qui illis omnibus, quæ in illis narrătur, adfuerant: Quis tamen Evangelistas falsitatis arguit? Vide quid ipsi Pontifices, quid Pharisæi, & scribæ, infensissimi Christi inimici, in suo super eâ re Concilio dicant? *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum:*

Impro-

Improbissimi cùm miracula negare nõ possent, id tantùm objecerunt, arte Dæmonum facta facta fuisse : sed hanc calumniam in præcedentibus sermonibus refutavimus, cùm ostendimus, horum miraculorum causam esse non potuisse Dæmonem : Et jam ab initio Christus hanc blasphemiam refutavit, præsertim cùm regnum Diaboli, non stabiliturus, sed aboliturus venisset : quod & præstitit, Dæmones ab omnibus locis abigens, & Idololatriam funditùs destruens, quâ tamen præcipuè Dæmon in terrâ regnabat. Sed diverticulum istud, ô libertatis assecla, tibi prodesse non potest, quandoquidem, non credis esse Spiritus aliquos ; neque ullam aliam substantiam præter corpoream. Veruntamen quando agitur de impugnandâ vel destruendâ veritate quâpiam, omnia tibi credibilia videntur, nihilque credis nisi ut incredulus sis, aut ut veritatem aliquam impugnes.

Non sic tamen se victos putant impij, sed ad extremum impudentiæ pergunt. Nos falsi nomine accersunt, rejiciuntque authoritatem Evangelij, quod producimus uti Scripturam divinam, & cujus testimonium repudiari non possit; ajuntque Evangelium debere sibi ac nobis esse suspectum, utpote conscriptum ab hominibus, quorum id intererat, nempe ab Apostolis, discipulisque Iesu Christi, qui quidem mentiri potuerint in Magistri sui gratiam, quem suprà universos homines efferre voluerint. Nam quis ignorat testificationem hominum ad quos res spectat, & amicorum, debere vel saltem posse nobis esse suspectam ; ac legitimam esse recusandi causam in judicio & probatione, consanguinitatẽ, amicitiam & familiaritatem, necessitudinis commodique sui respectum.

En, Auditores, caput præcipuum quod impugnandum habemus, cùm sufficienter responderimus ad omnia quæ dici potuerunt ac objici quoad conditionẽ miraculorum Filij Dei. Sed Agedum, incredule & ad vivendi licentiã projecte. Quod mox induxisti argumentũ, est-ne admittendũ & probabile? Historia (inquis) Evãgelica ubi proferuntur miracula Iesu Christi, scripta fuit ab eius Apostolis & Discipulis, igitur minimè vera est, nobisque suspecta esse debet. Vide an prudenter judices, ideò rejiciendã esse, quoniam eius scriptores fuerunt, aut eius Apostoli, aut eius Discipuli : Apostoli, ut Matthæus, & Ioannes, Discipuli, ut Marcus, & Lucas. Etenim à quibus certiùs hæc Historia scribi potuit, quàm ab illis, qui omnium rerum, quas scripserunt, aut testes oculati fuerunt, aut qui ab illis qui viderant audiverunt ? Primi enim dicere potuerunt, quod dicebat Christus Nicodemo, Ioan. 3. cùm ille se difficilem præberet ad ea credenda, quæ sibi proponebantur. *Quod scimus, loquimur; & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis:* Itaque S. Joannes de se, & in personâ aliorum Apostolorum, ita loquitur in 1. suâ Epistolâ cap. 1. *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, & testamur, & anuntiamus vobis.* Alij verò, oculatorum testimonium afferentes, reijci non potuerunt. Ita S. Lucas suum Evangelium est auspicatus. *Quoniam quidem multi conati sunt, ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis : Visum est & mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile.* Nam cùm ab oculatis, & auritis testibus discesseris, quos aditurus es nisi qui minus scire potuerunt ? Sanè sicut nulla esse potest major certitudo externa, quàm eorum quæ vidimus, vel audivimus, vel quæ manibus contrectavimus ; Ita non potuit esse majus, & certius testimonium de rebus factis, quam eorum qui viderunt, vel audi-

erunt, vel manibus contrectaverunt. Quinam autem alij esse potuerunt, quàm qui in eius comitatu fuerunt? Ita Ioannes cùm in cap. 19. sui Evangelij, retulisset sanguinem, & aquam è Christi latere fluxisse: ut fidem faceret suæ relationis; subdidit. *Et qui vidi, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Et ille scit, quia vera dicit: ut & vos credatis.* Quasi diceret, fidem non esse negandam oculato testi: Itaque non hinc fides deneganda est Evangelistis, quoniam fuerunt Christi discipuli: immò magis adhibenda: quoniam quæ viderunt, & audiverunt ea scripserunt. Hinc factum, uti diximus, ut quia S. Lucas quædam scripsit quæ non viderat, ideo dixerit, se narrationem ordinasse earum rerum, *sicut, tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.*

Non me itaque movet facta objectio, & quod dictum est, in judicijs, & in testimonijs vacillare testimonium amicorum, familiarium, domesticorum, affinium, & consanguineorum. Nam quando agitur de rebus illis, quæ non nisi à domesticis, & propinquis videri, & sciri potuerunt; in illo casu non modò non reijcitur illorum testimonium, quin immò illud solum admittitur, quia illi soli testari possunt, qui soli nosse possunt. Quæ autem ab Evangelistis de Christo scripta sunt, magnâ ex parte talia fuerunt. Itaque tantum abest, ut Evangelistarum authoritas hinc vacillare potuerit, ut inde potiùs robur acceperit, quòd illis saltem non defuerit earum rerum cognitio, quarum dedere testimonia, secundum illud, *Quod scimus loquimur, & quod vidimus, testamur, & testimonium nostrum non accipitis.*

Jam, quòd non sint locuti ad gratiam Magistri sui, & ut ipsi adularentur, præclarè ostendit S. Chrysost. disputans contra paganos sui temporis, qui idem Christianis objiciebant. Si enim Evangelistarum mens fuisset loqui ad gratificationem Magistri, eique adulari, quorsum tam multa scripsissent quæ contemptibilem eum poterant reddere? quorsum non tacuissent ac dissimulassent quod abjectum erat, poteratque maximam hominum partem abalienare, nihil cæteroqui mandando scriptis quàm quod esset plausibile, luculentum, & mirabile: maximè cùm quatuor ij simul prætericrint silentio egregia pleraque miracula, uti S. Ioannes fatetur capite 20. Evangelij sui? *Multa quidem, & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Ac eorum quilibet particulatim omisit pleraque ab alijs vulgata; cùm in rebus passionis, enumeratione cruciatuum, ac opprobrijs illius ita exacti & accurati fuerint, ut nemo ipsorum fere voluerit prætermittere ullam circunstantiam quamvis perexigua esset. In quò sanè declararunt, quàm ingenuè candideque vitæ Salvatoris historiam cõscripserint. Quapropter non passum satis mirari, cum eodem S. Chrysostomo libro; Quod Christus sit Deus, in fine; seu malitiam seu stupiditatem adversariorum nostrorum, qui legentes in Evangelio, injurias, contumelias, cruciatus, contemptum, passionem, crucifixionem, mortemque Iesu-Christi, credũt quicquid de ijs legunt, at intuentes miracula quæ ibidem narrantur, ea credere nec possunt nec volunt, perinde ac si, Evangelistæ digni essent fide in priorum commemoratione, mendaces autem in narratione aliorum.

Jam quòd illis bona fides non defuerit, persuadet proba eorum vita, mores, sanctitas, doctrina, documenta suis relicta discipulis, scribendi candor, scriptorum inter se cõformitas: sed super omnia, quòd omnes,

pro

pro earum rerum, quas scripserunt, veritate, innumera passi sint, & tandem etiam mori voluerint: Nam si *pro justo vix quis moritur*, quomodo pro re falsâ mori omnes voluissent? quid enim inde emolumenti retulissent? Ad hæc, eorum scripta sapientiâ, & sanctitatem, omni ex parte redolent, & ostendunt. Quis igitur malam in illis fidem rationabiliter suspicari possit? Cùm itaque nec illis rerum quas scripserunt cognitio defuerit, quas & viderunt, & audiverunt; cùm neque illis bona fides defuerit, nec sanctitas; cùm aliunde omnia quæ monumentis consignaverunt, ea suo sanguine, & suâ morte, testati sint, quis ab eis scriptam historiam rationabiliter rejicere potest, vel eos vocare in fraudis suspicionem, quasi mera scripsissent mendacia? Nam cùm eorum Magister mortuus esset, si eos decepisset, tantùm abest, ut pro eo mille tormenta pati voluissent, aut pro illo mori, quemadmodùm eos fecisse legimus, quin potius, ut ait S. Chrysost. eum diris omnibus devovissent.

Præterea, quid ex aliorum errore proficiebant, quid emolumenti inde sperabat, cùm è contrario ob talem doctrinam ab omnibus pessimè tractarentur?

Illud etiam consideratione dignum est. Quòd cùm Evangelistarum scripta eo tempore prodierint, quo adhuc vivebant innumeri mortales, qui, si falsa scripsissent, facilè poterant eos falsitatis coarguere; nemo tamen contra eos illo tempore scripserit: licet plurimi modis omnibus conati sint, earum rerum veritatem obruere, aut supplicijs & persecutionibus extinguere: quod tantum abest, ut perficere potuerint, ut earum rerum fides, ex ipsis persecutionibus creverit, uti patet ex omnium sæculorum historiâ, & monumentis.

Unum etiam nolo præterire. Quòd quæ ab Evangelistis narrata sunt, dici non possunt ab illis fuisse ficta, vel inventa: quod jam olim à Prophetis prænuntiata fuerint, maximè ab Isaia: Cùm itaque & res, & tempus, & gesta concurrerint, quis jure dicere poterit ea fuisse artificiosè conficta & supposita, quæ tantam habent inter se, & factorum, & prædictorum concordiam?

Accedit ad omnia superiora, quod puto maximi esse momenti. Nimirum nos non tantum Evangelicis miraculis niti, sed illis etiam omnibus, quæ ab eo tempore singulis sæculis magno numero extiterunt, quæ ab omni hominum genere, ab omnibus populis, quorum nihil planè interest ea fingere, atque afferre, testimonium acceperunt. Verbi gratiâ, quis coëgit Barbaros Japonum populos à lege Christianâ averfos, a nostris moribus, & legibus diversos, & quæ illos separant atque removent ab ijs rebus quas maximè complectebantur, ut fingerent innumera miracula patrata fuisse, à Francisco Xaverio, paupere, egeno, & peregrino Sacerdote, quod quidem tanto ardore fecerunt, ut multi ultrò in flammis vitam posuerint, ut eam fidem testarentur, ac sustinerent, quam ex visis miraculis, & ex ijs quæ in seipsis experti fuerant, hauserant? Idem dico de innumeris Barbaris quos facta miracula converterunt.

Sed ne ullum probationis, & firmamenti genus omisisse videar. Assevero miracula, quibus nititur fides nostra, tot vijs attestata esse, ut nequeant in dubitationem venire, multò minus autem improbari & rejici. Probationes refero ad tria capita post Galatinum libro 8. de Arcanis cap. 6. Ad variam scripturam, ad crebram famam, ad necessariam rationem: Sive ad testimonia scriptorum maximè dissimilium, ad cõmunem hominum opinionem, ad consequentiam penitus necessariam. Quoad

primum, ſcripta Iudæorũ, Turcarum, Ethnicorum, Chriſtianorumque, teſtimonium præſtant miraculis Filij Dei. Quod ad Iudæos attinet, Ioſephus lib. 18. Antiquitatum Iudaïcarum cap. 4. ſcripta reliquit verba quæ ſubijcio. Eodem (inquit) tempore fuit Ieſus vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere. Erat enim operum mirabilium patrator, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt, plurimoſque tam de Iudæis, quàm de Gentibus Sectatores habuit. Chriſtus hic erat, quem accuſatum à noſtræ Gentis principibus, Pilatus cùm addixiſſet cruci, nihilominus non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertiâ die vivus, ita ut de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerint: & uſque in hodiernum diem, Chriſtianorum genus ab hoc denominatum non deficit. In Talmud Hieroſolymitano, in libro qui nominatur Gavoda Zara, id eſt, ſervitus aliena, narrantur pleræque ſanationes miraculoſæ factæ Redẽptoris noſtri virtute, tametſi recentiores Iudæi attribuunt malitiâ poteſtatem miraculorum, non virtuti Ieſu Chriſti neque etiam ſatanæ, uti faciebant miſeri eorum parentes majoreſque, ſed ineffabili nomini Dei rectè pronunciato. Quod vocant Sem Hammaphoras, id eſt, nomen expoſitum. Sed illud non imminuit probationem à miraculis petitam, cùm Deus non poſſit operam contribuere probationi falſitatis. Quod ſpectat ad Chriſtianorum libros, referti ſunt toti miraculis Salvatoris, aut ab eo factis, aut ipſius nomine, ſecundùm Prophetiam Davidis Pſalmo 87. *Dominus narrabit in ſcripturis populorũ*, id eſt, Gentilium, qui Meſſiam recepturi erant. Populos autem in plurali, vetus Scriptura accipit pro Gentibus, ſeu non Iudæis. Niſi per ſcripturas populorum imagines intelligas, quæ in templis Chriſtianorũ, ad populorum inſtructionem proponi ſolent, in quibus miracula Chriſti, & eius ſectatorum, qui ſunt literarum ignari jugiter legere poſſunt, quæ à ſapientibus, & literarum peritis, leguntur in libris.

Scriptura Turcarum, nominata Alcoranus, plena eſt miraculis Salvatoris. Ibi fit mentio de Annuntiatione Angeli ad Virginem Mariã, & de integrâ eius virginitate, ante & poſt partum: Ibidem dicitur, Salvatorem noſtrum diſtinctè locutum fuiſſe primo ſuæ nativitatis die, & defendiſſe Virginitatem Matris ſuæ quæ impugnabatur à Iudæis. In ipſius fugâ in Ægyptum, palmã ſe inclinaſſe coram eo, dactylos ei obtuliſſe ut ipſius fami ſuccurreret: adultiorem factum, mundaſſe leproſos, illuminaſſe cæcos, ſanaſſe verbo ſolo omne morborum genus, ſuſcitaſſe mortuos &c. Quod teſtimonium quamvis nihil faciam, miror tamẽ poteſtatem Dei, quòd expreſſerit confeſſionem, probationiſque divinitatis ſuæ, ab ore ipſo inimicorum ſuorum, maximèque adverſariorum, ac mundum univerſum adegerit ad veritatem miraculorum ſuorum agnoſcendam.

Quoad Gentiles, legere tantùm oportet libros Sybillarũ, quodquidem teſtimoniũ, à pleriſque SS. Patribus prolatum eſt, atq; in cæteris à S. Auguſtino in lib. de Civitate Dei. Quis neſciat quod ſcripſit Euſebius lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 2. Tiberium Imperatorem, auditis eius miraculis, & inter cætera certiorem factũ Pilati literis de Chriſti reſurrectione, voluiſſe eum inter Divos referre, licet Senatus reſtiterit, quod lege antiquâ cautum fuiſſet, neminẽ haberi pro Deo apud Romanos, niſi quẽ Senatus probaſſet. Verùm uti teſtatur Tertull. in Apologiâ pro Chriſtianorum propagatione, Cæſar in ſententiâ manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorũ: quod confirmat Euſ. loc. cit. Fertur (inquid) Tiberiũ, eã quã prius animo cõbiberat opinionẽ firmè

firmè tenuisse: Tùm nihil absurdi, contra Christi doctrinam, ne cogitatione quidem molitum fuisse.

Testimonium autem communis famæ, validius majorisque ponderis esse mihi videtur. Communem famam nomino, quando plures concurrunt in eandem narrationem rei alicuius, quæ sensibus percipi potest, sive illi sint ejusdem temporis, sive sese invicem sequantur successione multorũ annorum minimè interruptâ: fierique nõ potest secundùm communem & ordinarium mundi cursum, ut tot homines, tam discrepantes linguis, moribus, commodi sui studijs, se unâ collegerint cojerintque ad fingendam simul, falsòque supponendam rem eandem; eandemne actionem. Rerum autem quas possumus edisce communi famâ, duo sunt genera: primum est, cùm ij qui faciunt & constituunt hanc famam, narrant quod viderunt & perceperunt aliquo sensu, ac tunc id quod narrant, perfectam parit cognitionem notitiamq; certissimam, quãdo hæc duo accidunt, unum scilicet, ut impossibile sit eos qui hoc testimonium reddunt, rectè & clanculùm cojerint ad conflandum fingendúmque communi consensione mendacium: uti cùm plerique homines diversarum nationum, regionum valde remotarum, morum sermonumque planè discrepantium, affirmant esse in mundo urbem, quæ vocatur Roma: omninò certi erimus de istiusmodi veritate, videlicet talem esse urbem. Alterum, ut quod dicitur potuerit percipi sensibus: nam alioquin quamvis universus Oriens Occidensque, conspirarent ad asserendum nobis, mundũ habuisse aut non habuisse initium, multos fuisse Creatores aut unum tantummodo, ejusmodi tamen sermo non videretur nobis esse certus sed tantùm credibilis, quia subjectum seu res ea non potuit cadere sub sensus. Sicut enim particularis quilibet nõ potest rationabiliter asserere, quod non vidit, aut non audivit ab eo qui viderit, ita multitudo plurium, nõ potest eam certitudinem dare, quandoquidem è solis particularibus conflata est, inter quos nemo vidit quod dicitur, quod tamen solum est verum testimonium eius quod factum est. Quùm autem eæ duæ res simul concurrunt, scilicet, quod multitudo eorum qui attestantur unam veritatem, non potuit conspirare in mendacium, & alioqui potuit videri atque experientiâ accipi quod asseritur, tunc satis hoc est, ad dandam cognitionem veram certamque scientiam, uti scriptis mandarunt Avicenna, Algazel, & Ibnasatib Arabes Philosophi. Sic Iacob certus fuit commemoratione liberorum, de vitâ filij sui Ioseph, quem existimaverat mortuum, sic & potiori ratione, nequeo dubitare, urbem esse quæ nominatur Constantinopolis, quę videri potest, & quam tot homines fide dĩgni se vidisse asserunt, cùm nullam habeant causam me decipiendi eâ commemoratione, nullumque commodum suum spectent in hocce testimonio mihi præstando.

Alterum quod discimus constantię famâ est, quùm duę circumstantiæ superiùs allatæ, existunt in ijs qui famam eam faciunt, & qui nihilominus fatentur, se non vidisse rem de quâ loquuntur, sed visum à se ac auditum fuisse magnum hominum numerum, qualẽ optâvimus ut ei credatur, qui quidem ipsis asseverarunt se rem illam vidisse ac audivisse: Atque ubi tres eæ conditiones concurrunt, ejusmodi narratio certã firmamque notitiam parit, cujusmodi est scientia. Oportet autem ad tertiæ conditionis stabilitatem, ut, si modo consequens ordo eorum qui sibi mutuò cõmunicarunt ejusmodi notitiã, valde remotus est ab initio suo, reditq; ad suam originẽ intervallo pluriũ sæculorũ, oportet, inquã, illiusmodi succes̃sionẽ, nunquã fuisse interruptã neque infir-

infirmatam, ſed finem non eſſe minorem medio, nec qualitate nec quantitate, ac medium reſpondere initio. Ea eſt Traditionis ſpecies, quâ certo ſciunt hodie mortales, Alexandrum Magnum extitiſſe, Pompeium, Cæſarem, Socratem, Platonem, Ariſtotelem, & ita cæteros. Quis noſtrûm dubitare poſſit, quin S. Ludovicus fuerit Rex Franciæ? Ita Judæi ætate noſtrâ ſciunt extitiſſe Prophetam nomine Moyſem, qui legem ipſis tradidit, multaque patravit miracula. Ita ſciunt majores ſuos adoraſſe vitulum aureum, neci dediſſe maximam Prophetarum partem: noluiſſe eos recipere Ieſum Nazarenum pro Miſſiâ ſuo: quamvis is ſe illis ad id munus exhiberet, quod attribuere maluerunt duobus impoſtoribus, qui ſuo in nomine tanquam in fronte ſuâ præferabant notam conditionis ſuæ, appellati filij mendacij & deceptionis.

Ea eſt ediſcendi ratio ad quam Moyſes remiſit homines gentis ſuæ Deuteronom. cap. 32. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas, interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos & dicent tibi.* David illius mentionem fecit Pſal. 77. *Quanta audivimus & cognovimus ea, & Patres noſtri narraverunt nobis: non ſunt occultata à filijs eorum in generatione alterâ.* Ac tametſi videtur fama non afferre niſi cognitionem probabilem, & minimè certam, veruntamen aſſentior opinioni Ibnaſatib, Philoſopi Arabis: nempe ſi talis eſt, qualem deſcripſimus, ab ea dari notitiam certam & indubitatam: eam enim cognitionem nomino certam & indubitatam, quam volens labefactare aliquo dubio, nec poſſum nec volo; atqui quantumcumque coner omni rationum & argumentorum genere mihi evellere ex animo, quod Alexander Magnus aliquando extiterit, aut Julius Cæſar, id perficere non poſſum. & quicquid dicatur mihi de incertitudine famæ, fallacemque aliquam fuiſſe, nec volo nec poſſum vacillare in eâ cogitatione, ac proinde conſequens eſt, ejuſmodi cognitionem eſſe certam & indubitatam. Unde fit ut Arabs ille ita concludat, nihil ergo quod contra crebram famam eſt, meretur reſponſum, namque oportet eſſe probabile: retinere autem neceſſarium cum probabili, circulationem inducit, & impoſſibile eſt. Quo ita ſuppoſito; Ajo nobis eſſe omnes certitudinis cauſas de veritate miraculorum Filij Dei. Quamobrem ipſe dicebat Diſcipulis Ioannis Baptiſtæ. *Euntes renuntiate Joanni quæ vidiſtis, & audiſtis.* Fama enim ipſius miraculorum, quæ multi viderunt, & experti fuere, cœpit eius tempore permagna eſſe, ac deinceps continuata eſt ac perſeveravit, fuitque atteſtata ab omnibus ſæculis per univerſum orbem terrarum.

Pro teſtimonio miraculorum Domini noſtri poſuimus conſequentiam, ſive rationem neceſſariam, quæ conſiſtit in judicando de cauſâ ex effectu, qualis eſt totius orbis converſio, non vi armorum, aut promiſſione deliciarum & voluptatis, ſed prædicatione paucorum, carentium omnibus ſubſidijs quæ videntur neceſſaria eſſe ad quidpiam mortalibus ſuadendum. Videte tamen obſtacula, & oppoſitiones in ejuſmodi effectum.

Officiebat 1. Apoſtolorum perſona, qui fuerunt authores prædicationis, quos S. Lucas appellat Miniſtros verbi. In primis. Quia Iudæi genus hominum maximè deſpicabile, & ignotum. Deinde quia egentes, & ignobiles. Denique quia rudes, & Idiotæ, in ſolis lacubus educati & verſati. Nihilominus tamen omne hominum genus aggreſſi ſunt, ac dejecerunt: & quidem cùm viri, & ſummæ eloquentiæ, & magnæ authoritatis, non potuerint aliquod dogma intro-

introducere. Quid enim non conatus Plato, ut animorum immortalitatem persuaderet? Et tamen quàm paucis persuasit? Apostoli autem cui hominum generi non persuaserunt animos esse superstites? Quid de eorum paucitate dicam? Duodecim numero, universum orbem aggressi sunt, & superare potuerunt, & exiguum fermentum totam generis humani conspersionem fermentavit, uti patet experientiâ.

Officiebat 2. Qualitas Authoris quem prædicabant, cujus latebat Divinitas, apparebat Infirmitas: hominis Iudæi, atque vilis apud omnes nationes: atque inter suos ignobilis, pauperis sine honore, sine gradu, sine literarum studio, sed in summâ obscuritate viventis, qui de repente prodierat, de quo nihil passim notius erat, quàm quod fabri filius crederetur, in cujus officinâ multos annos visus fuerat.

Officiebat 3. Modus prædicandi simplex, sine fuco, sine apparatu; sine eloquentiâ, sine artificio, Iuxta illud Pauli 1. Cor. 1. *Misit me evangelizare non in sapientia verbi.* Et cap. 2. *Et sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis.*

Officiebat 4. Qualitas Dogmatum, & ejus maximè quod est cæterorum fundamentum, nempe Fides in hominem morte damnatum, ac crucifixum, in quo videbatur esse mera stultitia, & imprudentia, ut homines ab illo uno salutem sperent, qui videbatur non potuisse mortem ignominiosam evitare: & eum pro Deo colerent, alijs numinibus abjectis, quem sciebant & hominem fuisse, & morti addictum: idque ipsum non negaretur ab ijs qui fidem in ipsum constituere volebant. Ita nimirum uti loquitur Apostolus 1. Cor. 1. *Placuit Deo per stultitiam prædicationis? salvos facere credentes. Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam:* Ad hæc nihil præsens pollicebantur, nisi grave, & asperum. Quæ erant jucunda in aliam vitam ignotam rejiciebant: pollicentes rem hactenus inauditam, corporum nostrorum resurrectionem.

Officiebat 5. Novitas doctrinæ, quæ rescindebat quidquid hactenus creditum erat in mundo, & quidem illud erat mirabile. Nam cum Iudæis ita agebant, ut cùm eorum Deum approbarent, admitterentque ejus mandato legem institutam, nihilominus ejus observantiam in multis prohiberent, in circumcisione, sacrificijs, & alijs rebus illustrioribus. Gentium autem religionem omnem pessumdabant, ac licet tanta sit vis consuetudinis, ut eam vel à paucis annis confirmatam difficile sit tollere, quantò magis ab omni memoriâ stabilitam, idque in Deorum cultu. Quare dicere potuissent Cathecumeni. Quidnam est hoc? omnes igitur qui terram habitant decepti fuerunt: Sophistæ, & Oratores, & Philosophi, & Scriptores, & qui nunc sunt, & qui fuerunt anteà, & Plato, & Imperatores, & Consules, & Reges, & Vrbium qui fuerunt ab initio cives, & habitatores, & Barbari, & Græci. Duodecim piscatores fuerunt illis omnibus sapientiores, & ideò omnes vicerunt. Et tamen tanta est vis consuetudinis, ut & jussa Dei & beneficia superet. Judæi habentes Manna, quærebant allia, & gaudentes libertate, optabant Ægypti servitutem propter consuetudinem, adeò tyranica res est consuetudo. Et Plato licèt pluralitatis Deorum falsitatem non ignoraret, tamen nere sisteret consuedutini, ad omnia popularia se abjecit, ac Diis sacrificavit. Et hodie, quàm multi nullum aliud sui erroris præsidum afferunt, quàm patres suos, avos, & proavos: idcircò multi

multi consuetudinem, alteram naturam appellarunt: sed tamen in nullis rebus firmior est consuetudo, quàm in illis quæ ad Religionem spectant. At Deus bone! quas consuetudines revulserunt? Audi Sanctum Chrysostomum in Demonstratione adversus Gentiles, Quòd Christus sit Deus. Quæ à patribus, avis, & proavis, aliisque progenitoribus, superioribus, & Philosophis, & Rhetoribus homines accepissent, ea respuere docebantur: Item ab Idolis abstinendum esse, despectui habenda eorum altaria, quæ patres, progenitoresque ipsorum coluerant; desistendum à prophanis præceptis, ridendas solemnitates, respuenda sacrificia, quæ illis maximè veneranda, & formidabilia videbantnr: pro quibus, & animas potiùs exposuissent, quàm ut eligerent quæ ab Apostolis dicebantur, & crederent in Natum ex Mariâ, & Crucifixum, & ductum ad tribunal Præsidis, consputum, & infinita alia passum, & eum qui mortem maledictam sustinuit, lege veteri dicente, *Maledictus qui pendet in ligno*, id est, cruce.

Officiebat 6 Quod hanc mutationem graviorem efficiebant pericula quæ illam sequebantur: Tunc enim patere oportebat exiliis, suppliciis, judiciis, omnium odiis, persecutioni, morti. Ad hæc, mutatio fuit à rebus jucundis ac facillimis, ad difficillimas: à stupris, & fornicationibus ad temperantiam; ab amore vitæ, ad mortis contemptum, immò & desiderium; ab ebrietate ad sobrietatem; ab avaritiâ ad opum contemptum, & amorem paupertatis; à voluptate ad jejunium; ab irâ ad mansuetudinem, & injuriarum condonationem; ab invidiâ ad benignitatem; à viâ latâ & spatiosâ, in angustam & arctam & præruptam, quod est sanè mirabile, & ultrà naturam, cùm hæc illis dicerentur, qui in contrariis enutriti erant, summáque perfectio exigeretur ab hominibus vitæ turpi assuetis. Quàm igitur hoc illis novum fuit; *Qui non tollit crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Item, *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet; &c.* Et tamen non obtorpuerunt, sed gaudentes accurrerunt, & insiluerunt. Vnde facilè concludi potest, ad superandas tot difficultates, opus fuisse divinâ virtute, quæ exhibitione quorundam mirabilium, captaverit & subjecerit ingenium tot hominum eruditorum, prudentium & circumspectorum: quodquidem facilè persuadet id quod nobis dicitur de miraculis, & mirificis operibus, quæ facta sunt ad confirmationem divinitatis Iesu Christi, verissimum esse, atque extra suspicionem, ejusmodi effectu nos convincente facillimè de ipsâ illius causa. Cùm enim, ait Sanctus Augustinus 22. de Civit. Dei cap. 7. Nostra fides cùm est primùm proposita, venerit temporibus eruditissimis & oculatissimis, cùm resincredibiles proponeret, Christi resurrectionem, & in cœlum ascensionem, sanè rejecta fuisset, nisi hæc facta esse (inquit) divinitas ipsius veritatis, vel veritas divinitatis, & contestantia miraculorum signa monstrarent: ut terrentibus, & contradicentibus tam multis, tamque magnis persecutionibus, hæc fidelissimè crederentur, & prædicarentur intrepidè, & per orbem terræ pullulatura fœcundiùs, cum Martyrum sanguine fererentur. Legebantur enim præconia præcedétia Prophetarum, concurrebant ostenta virtutum, & persuadebatur veritas, nova consuetudini, nõ contraria rationi, donec orbis terræ qui persequebatur furore, prosequeretur fide. Hinc cap. 8. ijs qui negabant ulla præcessisse miracula, sic objicit. Vnde ergo tanta fide Christus usquequaque cantatur in cœlum cum carne sublatus: unde temporibus eruditis, & omne quod fieri non potest respuentibus, sine ullis miraculis, nimium mirabi-

rabiliter incredibilia credidit mundus? an fortè credibilia fuisse, & ideò credita esse, dicturi sunt? cur ergo ipsi non credunt? Brevis est igitur nostra complexio: aut incredibili rei quæ non credebatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant, & videbantur, fecernnt fidem: aut certè res ita credibilis, ut nullis, quibus persuaderetur miraculis indigeret, istorum nimiam redarguit infidelitatem. &c. Tum concludit utraque se invicem adjuvisse: Hæc ut fidem facerent, innotuerant: hæc per fidem quam fecerunt, multò clariùs innotescunt, leguntur quippe in populis, ut credantur: nec in populis tamen nisi credita legerentur.

Ex hoc toto sermone apparet quàm verum sit quod protuli: Miracula quæ confirmarunt divinitatem IESV-CHRISTI fuisse manifesta & inconte stabilia. Verùm quia Iudæi qui postquàm vidissent pleraque miracula, efflagitabant à Filio Dei nonnulla quæ venirent à cœlo, ea ipsis Filius Dei denegavit, hocce responso, Quòd habituri non essent aliud, nisi signum Ionæ Prophetæ. Vt ne dissimularet suorum miraculorum maximum, quod appellat signum Ionæ, quod quidem non est aliud nisi mors sua & resurrectio, quod fuit miraculum cui nemo contradixit, scilicet quòd se le ipsemet suscitaverit, quòd nec sepulchrũ potuerit retinere corpus suũ, nec infernus animam ipsius, quòd promiserit miraculum illud diu ante mortem, & quòd cùm ab eo Iudæi tertiò petiissent signum, noluerit aliud prodere præter mortem & resurrectionem suam, uti omnium maximum, & cui contradici non potuit, cùm mors ipsius publica fuerit, & coram omnibus, ejusque resurrectio probata tot modis, tamque manifestè, & visibiliter cognita. Eundem quoque effectum habuit in mortalibus innumeris, ac in Sancto Thoma, qui cùm tetigisset cicatrices vulnerum Salvatoris, agnovissetque sensibus veritatem ipsius resurrectionis, subitò exclamavit, *Dominus meus, & Deus meus*, confitendo illius divinitatem post probationem ita convincentem, datamque ac promissam ad hunc effectum: Quod efficit, ut concludam id quod mihi proposueram, scilicet, divinitatem IESV-CHRISTI comprobatam fuisse ac attestatam manifestis miraculis & incontestabilibus. Quodquidem addendo primæ propositioni quam examinavimus, probavimus, & confirmavimus: nempè, quicquid comprobatum fuit, atque attestatum miraculis manifestis, & de quibus non potest ambigi, certissimum esse, & indubitatum: Consequens est, necessariâ sequelâ & indubitatâ, igitur divinitas IESV-CHRISTI certissima est & negari non potest.

Quæ veritas condemnat, 1. Infideles & Atheos, qui nihil possunt opponere huic convictioni: Deus loquitur per miracula, redditque testimonium ei quod credimus, quandoquidem ipse solus est causa principalis miraculorum: Nequit certè reddere testimonium falsitati: Sed reddidit Fidei Christianismi, inprimis Fidei divinitatis IESV-CHRISTI, sicut demonstravimus; igitur continet puram veritatem, & nullus est qui eam negare possit, aut revocare in dubium, multò minùs illam destruere.

2. Impios, certosque homines qui se fortia ingenia vocari volunt, & qui non sunt ejusmodi, nisi temeritate suâ: qui hoc arrogant sibi ut judiciũ ferant de Fidei nostræ articulis, & approbent eos qui sibi placent, rejiciantq; eos, qui non arrident, quasi Fides nostra niteretur ratione humanâ, & non potiùs authoritate divinâ & testimonio Dei: Nullus enim est in Fide nostrâ articulus, quamvis exiguus esse videatur, quantumcunque difficilis & obscurus existat, quin illo fundamento nitatur. Super quo demiror sæpe multorum ingenia, qui cùm credant capita &

articulos maximi momenti Religionis nostræ, ubi sensus omnes impugnari, infirmamq; nostram rationem repudiari oportet, morosos se ac difficiles præstant in argumentis rebusque facilioribus, & ubi minus aliquid est contra quod pugnetur. Credunt Trinitatem Personarum, Mysteriumque Incarnationis, & derogant fidem Purgatorio, atque Indulgentiis, minimè intelligentes, ab eâdem authoritate divinâ proponi nobis omnes illos articulos, & ab eâ nos obligari ad unum æquè ut alterum credendum.

3. Infirmos Catholicorum animos, qu, ad minimum discursum alicujus Hæretici aut Athei, in eâ Fide nutant, quæ ad eos per tot tantaque miracula transivit. Itáne verò Deo aliquid dicenti, atque illud per miracula asserenti, dissentis, ob unius hominis, non dicam anthoritatem, sed potiùs impietatem, & ignorantiam? Deus totius naturæ ordinem immutat, ut aliquid credas; tu verò hæres dubius, quasi Dei testimonium ad fidem non sufficeret? Hinc igitur colligere debes quanta esse debeat Fidei nostræ firmitas, & quanto jure Martyres suo sanguine eam testati sunt, cùm tot haberent divina testimonia.

Hinc judica quantum peccatum sit non credere, & quàm gravis injuria Deo inferatur, cùm ei aliquid dicenti, immò asserenti, & omnibus modis, etiam supra naturam sibi fidem concilianti, ea tamen ei denegetur, eique resistatur. *Viri Ninivitæ surgent in judicio, cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ: Et ecce plusquàm Jonas hic*, non solùm dignitate, sed etiam miraculo, & testimonio.

Veritas est, 2. loco, quæ moderatur vitam nostram, & in virtute retinet, quoniam fides nostra comprehendit non solùm id quod debemus credere, sed etiam quod agere debemus. Per eam discimus quicquid ad nos spectat, quæ instituta teneri oporteat in vitâ, quæ puritas cordis necessaria nobis sit, quæ vitæ innocentia, quæ sanctitas in moribus nostris.

Veritas 3. loco, quæ nos in timore continet coercetque insolentiam appetitionum nostrarum, nobis proponendo judicia Dei, severitatem ipsius justitiæ, æternitatem & magnitudinem pœnarum; Deum peccatis nostris offendi, ea severè ipsum castigare solamque voluntatem & cogitationem unius momenti æternùm cum justitiâ & æquitate puniri.

Teritas 4. loco, quæ nos solatur in vitâ, inter angustias, & afflictationes; cùm habeamus promissionem vitæ futuræ, *expectantes beatam spem, & adventum Domini nostri Jesu Christi.*

Veritas 5. loco, quæ inducit nos ad agrediendas animosè ac firmiter res magnas, arduasque pro Dei obsequio. Illud est, quod tantam vobis fortitudinem inter cruciatus supedivit, ô Sancti Martyres, quod fecit ut contemperitis supplicia & Tyrannos, effuderitis totum sanguinem vestrum, neglexeritis & tradideritis vitam vestram. Quid? amiseratis ingenium aut sensum? Nequaquam saxè ô heroes Christiani: Sed ad ea ferenda incitati fuistis tot miraculorum testimoniis, ne scilicet in vanum curreretis: *Tanta passi estis fine causâ, sitamen fine causâ.*

Quæ cùm ita sint, Charissimi, stemus firmi atque stabiles in Fide, nec nos ab eâ facilè dimoveri sinamus, quandoquidem tantis testimoniis nixi, ac freti, in Deo speramus, & in illius spe & in expectatione adventus ejus, vitam nostram, cùm occasio se obtulerit profundimus: Et *in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos*: Etenim *propter illum mortificamur totâ die, & æstimati sumus sicut oves occisionis*: Si quidem credimus, speramus, amamus, patimur, ut quod nostra fides ostendit, quod spes promittit, quod amor & passio meretur, id in gloriâ cœlesti consequantur. Amen.

FE-

FERIA QVINTA

DOMINICÆ PRIMÆ IN QUADRAGESIMA.

CONCIO PRIMA

DE ORATIONE

De naturâ, necessitate, & tribus proprietatibus orationis, quòd sit meritoria, satisfactoria, & dispositiva ad multa bona.

O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Matth. 15.

QUOD de humanis virtutibus dixit Philo Iudæus lib. de Profugis, eas fœminas esse, (certè nos illas fœminninis nominibus appellamus, vel ob illarum fœcunditatem, nam virtutes varias pariunt actiones; vel quia cum animis nostris, ut cum viris congressæ, prolem pariunt actionis) Idem de Oratione dicendum videtur, quæ ut appellatur nomine fœminino ita fœmina existimari potest, tùm ob fœcunditatem; cùm sit, ut ait Chrysostomus, Omnium bonorum parens fœcundissima, ideoque pluviæ comparetur, quæ terras, quas rigat, fertiles facit: tùm quia mulieres fere ad orationem sunt procliviores, & majores ad eam dispositiones habent, utpote quæ ut sunt imbeciliores, & de seipsis diffidentiores, facilius ad Deum recurrunt: Item ut quæ plùs habent affectus, & teneritudinis, & plùs lachrymarum, quæ omnia juvant orationem. Certè si cætera deessent, una sufficere posset mulier Chananæa; cujus nomen vel ipsi orationi tribuendum, vel ipsa ab oratione appellanda fuit: adeò nobile orationis exemplum in ea nobis propositum est. Quare illius occasione de oratione nobis dicendum est, hoc est, de actione omnium communissimâ: Quia ex Nicolao de Cusa lib. 3. Exercitationum, visus per oculos; auditus per aures; intellectio per intellectum; amor per affectum fit; orare autem per ista omnia: Nam audire verbum Dei est orare: diligere cœlestia, cantare officia divina, totum est orare, juxta illud, Non cessat orare, qui non cessat bene facere: singuli singula habent officia: orare tamen spectat ad omnes, quandoquidem qui nec potest eleemosynam erogare, nec jejunare, potest tamen orare: & corde, si mutus sit;

& in agone etiam constitutus: juxta illud Psal. *Apud Deum oratio mea semper*, & Psalm. 70. *In te cantatio mea semper*: Porrò quò communior, eò melior, sicut tactus melior est quàm alius sensus, quia communior: inest enim alios sensus non habentibus, & ideò destructis aliis sensibus, anima vivit: sed destructo hoc sensu, non est vita: sic inter elementa, ignis communior, quia communicat proprietatem suam superioribus, & inferioribus, ideòque nobilius est elementum: communicat lucem stellis, calorem elementis, quia nihil vivum sine calore: sic inter esse, vivere, & intelligere, esse est communius, & nobilius, & melius, ideòque ab omnibus desideratur: omnia enim appetunt esse, & est primum in intentione, & manet ultimum in resolutione. Idem de oratione dici debet, quò communior, eò melior: quò autem melior, eò facilior, sicut patet in virtutibus, fide, spe, & charitate: nam fides difficilem habet actum, scilicet credere quæ non videntur: & etiam spes sperare quæ non habentur: sed charitas actum habet suavissimum, amore enim Dei nihil suavius: siquidem semper habet charitas amantem conjunctum, quia ipsa est unio amantis cum amato; & quia facilior, ideò melior: nam ut ait S. Paulus, *major horum est charitas*: oratio itaque communior est, quia omnium est nobilior autem, quia communior: melior autem, quia nobilior: Nobis igitnr de re optimâ, & nobilissimâ, & communissimâ dicendum est: sed cum sine ipsâ de nulla re utiliter dici possit, nec de ipla sine ipsa dici benè potest. AVE MARIA.

DICTURIS nobis hodie de Oratione, hoc est (ex Chrysostomi homil. 1. de precatione) de omnium bonorum capite ac fonte, quam etiam appellat κεφάλιον ἀγαθῶν, καὶ πέρας, & bonorum initium, & extremum; adsit ipse Spiritus sanctus, qui orationem inspirat, & qui, ut ait Apostolus *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: Nam ex Augustino, uti datur Spiritus timoris & sapientiæ, & aliorum donorum, ita datur spiritus orationis, quoniam ipso inspirante fit: unde apud Zachar. cap. 12 Spiritus precum dicitur: *Effundam super domum David & super habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ, & precum*: Itaq; S. Chrysost. in cap. 8. ad Rom. vocat εὐχῆς χάρισμα, donum precum: quin etiam Orpheus in Hymnis, Preces λίτας filias Jovis appellat: certè Nyssen. orat. 1. de Oratione Dominica orationem vocat ἱερὸν καὶ ἔνθεον ἔργον, sacrum & divinum opus. Sed ante omnia ejus naturam, & essentiam investigo.

Nota igitur 1. Me non accipere nunc orationem pro quocunque mentis in Deum ascensu, uti sumitur à Damasceno, & passim à multis, sed pro actu ipso postulandi aliquid à Deo: Hæc autem petitio, est quædam locutio, qua exprimimus desiderium obtinendi aliquid, non à quocunque, sed ab eo cui loquimur. Hinc orationis dignitatem colligit Sanctus Chrysost. orat. 1. & 2. de precatione, quòd sit quædam cum Deo collocutio: itaque Sanctus Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia, orationem vocat θεαρχικὴν ὁμιλίαν, divinum colloquium: In quo Chrysost. agnoscit divinam benignitatem, illamque admiratur, quòd Deus tantæ majestatis homines admittat ad colloquium: Vide quàm ægrè adeantur Reges & Viri Magnates: tu verò Deum qualibet hora potes adire. Theodoricus Rex apud Cassiodor. lib. 3. epist. 22. ita de se loquitur gloriosè, quilibet habere nostra colloquia, munera credit esse divina: igitur quantò magis ut quis cum Deo colloquatur tunde orationis beneficio nos ipsis Angelis pares esse affirmat Chrysost. orat. 2. de

preca-

precatione : Etenim cætera omnia illorum, & noſtra ; ut natura, victus, ſapientia, & quidquid dixerit quiſpiam, longo intervallo inter ſe diſtant: precationis autem officium eſt cum Angelis nobis commune. Nec mirum, quia precatio Angelorum dignitatem ſuperat; idque illi cùm probè intelligant, omnes ferè apud Prophetas, cùm laudes & cultum Domino offerunt, ſummo cernuntur timore correpti, dum ora, pedesque præ veneratione tegunt : dum volatu motùque aſſiduo, ſummam religionis trepidationem præ ſe ferunt.

Nota 2. Hanc locutionem deſiderij expreſſivam tres actus internos ſupponere: 1 eſt intellectus, quo judicamus, 1. rem aliquam nobis vel aliis convenientem eſſe: 2. eam Dei poteſtati ſubjacere : 3. ejus voluntati non repugnare: 4. ſed potiùs conformem eſſe: 5. & ideò ab eo veriſimiliter obtinendam, mediâ petitione : unde illi falluntur qui orationem inutilem eſſe dicunt, eò quòd Deus non poſſit voluntatem ſuam æternà mutare, juxta illud, *porrò triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam*: Nam non modò oratio non poſtulat eam mutationem, quin etiam è contrario offertur Deo, ut ſemper velit, id quod nunquam voluiſſet, nec unquam vellet, niſi oratio in rerum naturâ aliquando exiſteret: cùm enim oratio ſit petitio honeſta, divinæque excellentiæ ſignificativa, qua creatura ſuam indigentiam, atque à Deo dependentiam agnoſcit, eique ſe ſubmittit, multa ejus intuitu, & dependenter ab ipſa rationabiliter concedit Deus, quæ ſi ipſa non exiſteret, nunquam vellet: Neque enim Deus abſolutè definivit omnia, vel facere, vel dare hominibus, ſed plurima conditionatè, plurima autem ſub conditione orationis uti, patet ex verbis Chriſti, *Petite, & accipietis, quærite & invenietis* : non accepturi niſi pietatis: non inventuri, niſi quæratis: Item, *ſi quis indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo*, & alia ſexcenta loca, ex quibus patet orationem eſſe medium, quo Deus plurima efficit, quæ alioqui non erat effecturus. 2. actus eſt deſiderium eandem rem obtinendi : Hic actus connaturaliter ſequitur ex primo, prærequiritur autem, quia alioqui ille ridiculus eſt, qui petit quod non deſiderat: ſed deſiderat, qui poſſibile & bonum putat. 3. eſt actus volendi exercere actum aliquem voluntati externum, quo Deo exprimatur idem deſiderium. Primus actus requiritur ut oratio ſit honeſta: ſecundus ne ficta, & mala : tertius ut oratio ipſa ſit: itaque ſecundus eſt objectum ipſum ſignificatum per locutionem illam in quâ conſiſtit oratio : tertius autem imperat eandem locutionem. His poſitis

Conſtat 1. Orationem eſſe ſignum expreſſivum deſiderij obtinendi aliquid à Deo, quod tamen aliunde ipſi notum eſt: Non igitur oratio ad hoc inſtituta eſt, ut Deus directè & quaſi primariò deſiderium noſtrum cognoſcat, ipſe enim per ſe omnia novit, ſed ut quod per ſe cognoſcit, id ipſi à nobis manifeſtetur, ſigno aliquo naturæ rationali conveniente, Deique excellentiam, & liberalitatem declarante, ut eâ notitiâ moveatur Deus ad nobis concedendum id, quod ab eo obtinere deſideramus : oratio igitur per ſe ordinatur ad notitiam noſtri deſiderij dandam Deo, non illius ſecundùm ſe ſumpti, ſed ſigno aliquo expreſſi, ut hoc modo Deum moveat ad concedendum: Unde colligo orationem eſſe actum intellectus, quia locutio, ſeu repreſentatio pertinet ad intellectum, *omne enim quod manifeſtatur*, aut potiùs quod manifeſtat, verbum enim græcum eſt deponens, & hîc habet ſignificationem activam, *lumen eſt* : Epheſ. 5. itaque non pertinet ad voluntatem : deſi-

desiderium enim non est sui ipsius repræsentatio: sed per locutionem repræsentatur, quæ est actus intellectus: ac licèt Deus sæpe desiderium, antequàm exponatur audiat, secundùm illud Davidis, *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*: non tamen sequitur, superfluam esse orationem, quam sæpe Deus expectat; nam neque desiderio facta est promissio, sed orationi: & hic modus loquendi significat celeritatem audiendi; nam ante perfectam orationem sæpe Deus exaudit, secundùm illud, *accelera, ut eruas me*, præsertim ante orationem vocalem, sæpe enim lacrymæ, dolor, & gemitus exaudiuntur.

Constat 2. Orationem esse actum honestum pertinentem ad virtutem Religionis, quia continet significationem, & testificationem divinæ excellentiæ: Nam ex dictis supponitur judicium quoddam de potentiâ, & liberalitate Dei: hoc autem & per se honestum est. & ad religionem pertinet: unde quia dies festi, ac præsertim Dominici, transigendi sunt in actibus religionis: hinc fit ut oratio propria sit eorum dierum occupatio: hinc fit etiam ut qui sunt impij vix orent; atque orationis abjectio, signum sit impietatis & irreligionis: & domus orationis, dicatur Templum, ubi & sacrificium & adoratio: unde ab aliquo dictum est, Necessitatem auxilij peperisse orationem; hanc autem Deos invenisse: ita David *vitulos labiorum* appellavit; & primus actus Religionis est Oratio.

Hinc sequitur orationem necessariam esse ad salutem, 1. necessitate medij, 2. necessitate præcepti: Medij necessitas intelligenda est respectu adultorum, qui notabili tempore ante mortem justificantur.

1. Id colligitur ex verbis Christi & Apostolorum doctrinâ Lucæ 18. *Oportet semper orare, & non deficere*: in quod Chrysostomus: dum dicit, oportet, necessitatem inducit: & cap. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis*: & Marci 13. *Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit*: 2. ad Thessalon. 5. *sine intermissione orate*: & Eccles. 18. *Non impediaris semper orare*. quasi dicat, Nullam rem, nullum officium admittas, quod te impediat, quominùs possis semper orare, scilicet quantum pati potest humana fragilitas, quia quolibet tempore egere potes.

2. Quia eadem est orationis necessitas quę gratiæ, & auxilij divini, nam pleraque auxilia ad salutem opportuna per orationem nobis sunt impetranda: Et si enim Deus ex suâ ineffabili bonitate, etiam non orantibus multa sæpe auxilia præstet, tamen auxilia majora ad tentationes superandas, & singularem protectionem ac directionem, nec promisit, nec ordinariè confert nisi orantibus: Hinc S. Gregorius Nyssen. orat. 1. de Oratione Dominicâ, ut orationis necessitatem probet, ostendit homines communiter variis implicari criminibus defectu orationis, cujus præsidio non se muniunt; & factâ longâ enumeratione, in varias hominum conditiones, subdit: Et quid attinet singulatim exponere, quibus rebus multiplciter multisque modis, peccatum humanæ vitæ commiscetur? cujus peccati nulla alia causa est, qnàm quòd ad ea, quæ in manibus habent, & studiosè tractant negotia, divinum auxilium, homines non simul adhibent, neque assumunt: & multa alia in eandem sententiam.

3. Quia donum perseverantiæ, sine quâ nemo salvatur, non confertur sine oratione: Augustinus libro. de dono Persever. capite 16. Constat (inquit) Deum nobis aliqua, etiam non orantibus dare, ut initium fidei: alia non nisi pro orantibus præparasse; sicut perseverantiam in finem: Ex eodem

Augu-

Augustino refertur lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus c. 56. Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante venire; nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante operari; nullum nisi orantem auxilium promereri. Ex quibus verbis patet tàm ad salutem necessariam esse orationem, quàm est auxilium Dei; quia illud non nisi per orationem obtinetur: Unde Hieronymus Epistolâ ad Ctesiphontem, contra Pelagium arguit, quòd tollendo necessitatem gratiæ, tolleret necessitatem orationis, id enim est quod immediatè sequitur: & eodem argumento sæpe utitur S. Augustinus: juxta quam doctrinam, idem lib. de Naturâ & Gratiâ c. 43. Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis. Ratio horum omnium est, quia Dominus vult se, & sua beneficia agnosci, & ut fateamur nos sine ejus gratiâ & auxilio, non posse, nec salutis pericula evadere, nec tentationes superare, nec salutem consequi: Itaque vult nos assiduè ad se recurrere per orationem, & sic omnia salutifera impetrare: Huc faciunt variæ Sancti Chrysostomi comparationes, dùm orationem, nunc vocat vitam animæ, nunc ut piscibus elementum aquæ, nunc ut oculis solem, ac lucem: Itaque Danielem mori maluisse, quàm tres dies sine oratione transigere, licet Tyrannus nihil juberet impium, sed orationis tantùm cessationem ad tempus: Verùm sic apud se statuit, se non plus posse ab oratione cessare, quàm ab aëris respiratione, & cordis motu.

Jam necessitas Præcepti colligitur. 1. Quia media necessaria ad salutem, sunt nobis jure divino præcepta, ut patet factâ inductione in omnia alia media, ut sunt fides, spes charitas, pœnitentia, Sacramenta, &c. Sed diximus orationem esse mediũ ad salutem necessarium, igitur sequitur esse aliquod præceptum ejus divinum, quod passim legimus in Scripturis. Eodem pertinet, quòd oratio necessaria sit ad fugienda varia peccata: unde monet Apostolus semper nobis esse orandum: *semper orate: sine intermissione orate*, & alia similia: unde sequitur tam præcipi orationem, quàm peccatorum illorum fugam.

2. Ex præcepto Religionis, cujus ipsa est actus, etenim Natura rationalis intrinsecam habet obligationem colendi Deum, ut misericordem & liberalem collatorem bonorum omnium necessariorum, & congruentium: quod pertinet ad Religionem, & exercetur per orationem, in quâ orans petit sibi misericorditer, & liberaliter à Deo concedi, quod petit, & quo eget. Enimvero eadem Natura debet colere suum principium eo modo quo pendet ab eo: pendet autem ab eo, non modò ut ab habente supremum dominium, quâ ratione colitur per sacrificium; nec tantùm ut ab habente supremam potentiam, quâ ratione colitur per adorationem: sed etiam ut ab habente essentialem quandam misericordiam, & liberalitatem, quâ gratis omnia dat affluenter indigentibus: hoc autem fit per orationem, quæ includit propriæ indigentiæ professionem, & dependentiam à Dei liberalitate. Quid quòd Deus ideò voluit petitionem esse necessariam, ad obtinendum auxilium in gravibus necessitatibus, ut illæ necessitates quodammodò cogerent homines confugere ad Deum, eumque per orationem colere: unde sequitur præceptum colendi Dei, obligare ex intentione divinâ, in tali opportunitate, & tali modo: quod quidem præceptum Christus his verbis expressit, *Petite, & accipietis*, quibus hunc proprium actum, & specificum religionis præcipit.

Denique, quando actus aliquis virtutis ex naturâ suâ, vel ex institutione Divinâ habet honestatem necessariam ad salutem, tunc non solùm charitas, vel aliæ virtutes generales, sed propria etiam virtus, ad quam pertinet talis honestas, obligat ad talem actum, quòd in oratione contingit.

Jam verò cùm illud orandi præceptum sit affirmativum, certùm est aliquo saltem tempore obligare: hoc autem determinare satis est difficile: Illud mihi post plurimos Doctores probabilissimum est, peti debere ex radice obligationis, ideoque cùm sit necessitas auxilij divini, seu ad perseverandum, seu ad vincendas graviores tentationes, seu ad multa præcepta observanda: obligare in primis, quoties gravis occurrit aliqua tentatio: deinde in morte, mortisque periculo; denique identidem per intervalla in vitâ, ita ut nemo elabi sinat notabile tempus sine oratione: eò quòd attentâ humanâ fragilitate, varijs vitæ periculis, occasionibus, atque illecebris peccandi, & varijs Dæmonum assultibus, multiplici indigeat divino auxilio, ne in tentationes incidat, atque si inciderit, ne vincatur: quod tempus prudentum judicio, satis magnum mensis unius æstimatur. Nam in ijs casibus de suâ libertate confidere magna esset superbia: confidere autem in solo auxilio ordinario sufficiente, esset stulta negligentia: Tùm quia sæpe extraordinarium auxilium, moraliter est necessarium, tum quia tale auxilium sperandum est debito modo, & per media à Deo nobis proposita, inter quæ ex potissimis, & maximè necessarijs est oratio: Unde facilè judicare possumus quid tandem sperare nos oporteat de ijs hominibus, qui raro orant, & fortè nunquam, quia omni carent attentione. Nam cùm oratio vocalis privata non sit sub præcepto, sed tantùm mentalis; hæc autem esse non possit sine attentatione; certè qui attentè orare non didicerunt, facilè fit, ut multos annos sine oratione vixerint, unde medio ad salutem necessario caruerint. Equidem spectatâ nostrâ indigentiâ, semper, hoc est frequentissimè nos orare deceret, secundùm Apostoli consilium, *sine intermissione orate: in omnibus gratias agite, hæc est enim voluntas Dei:* Et ad Ephes. 6. *Orantes omni tempore, in spiritu: & in ipso vigilantes, in omni instantiâ, & obsecratione.* Quia ut ait Sanctus Chrysostomus orat. 1. de precat. Tam mens nostra precibus rigari indiget, quàm aquis arbores. Sed ne à vobis nimis perfecta exigere videar, saltem illud postulo, ut mane & serò orationi vacetis: mane quidem ob pericula diei; & rectè dixit Chrysostomus loco citato, Quomodo solem aspicies, non illum antè veneratus, qui oculis tuis lucem solis dulcissimam profert? Serò autem propter Dæmonum in noctibus insidias: tunc enim maximè corporibus nostris insidiantur: Quòd si quem oratione munitum offendant: continuò, ut ait idem Sanctus, in fine primæ Orationis de precat. tanquam fures ac fœlesti refugiunt, qui gladium militis capiti appensum cernunt. Nec excludi debent extraordinaria tempora secundùm occurrentes necessitates, uti superiùs à nobis explicatum est.

Porrò cùm quatuor sint in oratione eximi, ac velut proprietates, tria sunt illi cum alijs multis rebus communia, quartum verò ita singulariter orationi convenit, ut nulli alteri rei propriè cõvenire dici possit.

Primum quod habet Oratio cum multis alijs actionibus commune, est quod sit meritoria: ad quod requiritur. 1. actualis libertas, nam sine libertate nullum est meritum: 2. supernaturalitas, ut scilicet fiat ex fide & ex gratiâ actuali: 3. ejusdem honestas,

ſtas, hoc eſt ut fiat ſecundùm virtutem : ad quod quatuor requiruntur, 1. Actualis notitia, ſaltem implicita, & confuſa, potentiæ, & liberalitatis divinæ , à quibus orans ſe pendere judicet in obtinendâ re quæ petitur: Quia oratio hoc judicium eſſentiale ſupponit, & illud ſignificat: 2. honeſtum rei petitæ deſiderium , ut ſcilicet nec mala optentur, ut peccata, voluptates, vindicta, & inimicorum ultio: unde SS. Patres multa contra ejuſmodi orationes in Dei dedecus & contumeliam factas afferunt : nec bona malè , id eſt ob malum finem : cùm enim Deus ſit ſummè bonus , ei diſplicet omne deſiderium rei malæ, & malum deſiderium rei bonæ, juxta illud S. Jacobi cap. 4. *Petitis, & non accipitis, eò quod male petatis:* 3. requiritur ut bona indifferentia conditionatè tantum petantur, & ob honeſtum finem optentur : Ratio eſt, Quia neſcimus an indifferentia in his vel illis circumſtantijs, nobis abſolutè ſint bona, ideóque petenda tantùm ſunt ſub conditione : 4. ut orans ipſo orationis tempore Deum non offendat, ſaltem per actionem poſitivam , & deliberatam, quæ contineat gravem Dei offenſam : petere enim aliquid ab aliquo, & eum ſimul graviter offendere, eſt animi irreverentis, & impudentis : unde ex naturâ rei ad orationem prærequiritur , ut delictorum venia , aliquo modo ſaltem , & confuſo petatur , antequam aliud beneficium à Deo poſtuletur : id eſt ut ante petatur aliquod auxilium gratiæ, quo mediante obtineatur venia delictorum, ſecundùm illud Eccleſiaſtici 29. *Aperiat os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur.* Jam quoniam eſt duplex meritum , unum de condigno , aliud de congruo : ad primum ſuper prædicta requiritur gratia habitualis , ut in alijs operibus bonis : unde S. Thomas docet orationem habere ex charitate , quod ſit meritoria : Hoc autem non eſt neceſſe ad meritum de congruo : Sed ſufficit ſi oratio fiat ex motione Spiritus ſancti, & ex gratiâ : Ita oratio publicam pœnitentis veniam meruit Lucæ 18. *Deus propitius eſto mihi peccatori* : & *Deſcendit hic juſtificatus*, &c.

2. Hoc habet oratio ut ſit ſatisfactoria, modò adſint reliquæ ad ſatisfactionem conditiones : unde paſſim Theologi opera ſatisfactoria , ad tria capita referunt , orationem , jejunium , & eleemoſynam: Ratio eſt , Quia oratio eſt actus bonus , & honeſtus; fit ex gratiâ; & eſt opus pœnale, quia continet aſcenſum mentis in Deum, qui magnam requirit attentionem ; neque fit ſine carnis , & ſenſuum pugnâ : Eccleſiaſtis 12. *Frequens meditatio eſt carnis afflictio* : Hinc collige nullam eſſe multorum ſatisfactionem quæ imponitur in Confeſſione , ob defectum attentionis in orando.

3. Hoc etiam habet oratio, ut ſit ad majora bona diſpoſitio, In eâ enim anima , ſe humiliando diſponit ad gratiam, & peccatorum remiſſionem, eamq; ad ſe evocat, atque meretur: Ad hæc oratio animâ promptâ reddit ad opera virtutis, ob adjunctam conſiderationem, ob bonos affectus , & ut notat S. Thomas, ob ſpiritalem conſolationem, quæ animum emollit , & facilem , ac promptum reddit : Itaque Nyſſen. orat. 2. de Beatitud. ait nos oratione fieri volucres, & alatos, & ſupra cœli teſtudinem poni: Quid, quod in oratione concurrant maximarum virtutum actus, fidei, ſpei, charitatis , fiduciæ, religionis, humilitatis, & aliarum: unde ex Chryſ. orat. 2. de Precat. is non aberret, qui omnis virtutis, juſtitiæq; Matrem eſſe precationẽ affirmet: neq; poſſe corũ aliquid quæ ad pietatem conducunt , precatione nudum animum penetrare: Jam cùm oratio

quædam sit cum Deo conversatio, uti passim Sancti Patres loquuntur, quid ex eo congressu homo non referat ? Si virgam ferream auro liquato immitteres, auream certè referres : Ita ex oratione, animam referes divinam : quam propterea S.Dionysius cap.3. de Divinis Nomin. appellat *políphuton seirán*, catenam undique fulgentem, quâ vel Deus ad homines trahitur, vel homines ad Deum, utrumque enim fit in oratione, & Deus ad homines se inclinat, & homines ad Deum evehuntur: hinc trahuntur ex hac conversatione divini mores, uti Moyses ex consortio sermonis divini Exod.34. vultum retulit radiantem, ita ut *non possent intendere filij Israel in ejus faciem*, ait Apost. 2. Cor. 3. & quidem, ut addit. *Propter gloriam vultus ejus* : unde S. Damasc. orat.de Transfig. orationem vocat divinæ gloriæ demonstrationem : Hinc tantæ apud SS.Patres, orationis laudes : S.Chrysost.homil.1. de incomprehensibili Naturâ Dei. Thesaurus certè perpetuus, divitiæ inexhaustæ, portus quietus, denique author, parens, fons, & radix bonorum omnium, & innumerabilium oratio est, atque etiam ipsa regiâ facultate potior, & superior: Et ideò Orat. 1. de Precat. Hominem ab oratione metitur : Quando, inquit, aliquẽ video à precationis studio abesse, neq; illius ardenti, ac vehemẽti amore teneri, jã mihi exploratum est, nihil ab eo magnificum, nihil præclarum possideri : Quando verò aliquem cerno in Deo colendo sine satietate persistere, quique non precari assiduè, in magnis numeret detrimentis, omnium illum virtutum acerrimum cultorem, Deiq; templum esse conjicio: Quod si amictus hominis, pedum gressus, & risus dentium, quæ in eo celantur intùs, retegit, ex sapientis Salomonis sententiâ ; multo magis precatio, Deique cultus est argumentũ: cùm illa vestis quædam sit spiritalis ac divina, quæ mentes nostras magno decore, ac pulchritudine induit, & exornat ; quæ singulorum vivendi rationem aptam efficit, atq; compositam, quæ non patitur ullâ re vili, & absurdâ mentem occupari: quæ persuadet ut Deum, ac dignitatem, quæ ab illo in nos derivatur, vereamur: quæ docet ut omnes hostes improbi præstigias, atque fallacias depellamus, quæ turpes & indignas cogitationes abigit, quæ in voluptatis despicientiâ animum cujusque constituit : Et quidem, quomodo quis virtutem colat, qui non accedat, seque abjiciat supplex assiduè ad eum, qui eam nobis suppeditat, atque largitur? qua ratione quis temperantem, & justum se esse cupiat, qui non assiduè cum illo versetur, qui& hæc,& plura, à nobis exigit? Hæc ille. Hinc summum Diaboli studium ut Orationem impediat, sicut passim docent Sancti Patres : Nilus quidem cap.47. ait hominem inter & Dæmones certamen gravius institui nullum quàm de Oratione : Rationem affert S.Basil.hom.de abdic.Ut quam, salutem afferre nobis, intelligunt, ab eâ nos abducant : Aliam S.Chryl.Ps.140.quòd sciant arma potentissima esse preces. Ideò rectè idem monet in Psal.129.Quando orationem aggrederis, ne hoc solùm quæras, ut quod petis accipias; sed etiam ut in ipsâ oratione, animam tuam meliorem efficias: nam hoc quoque est munus orationis. Quapropter si excipias Sacramenta, nihil habet homo in vitâ utilius, nihil præstantius oratione.

Sed de quâ tandem oratione loquor : Equidem non de illâ solum aridâ, & exsuccâ oratione vocali, unde multi iracundiores, atque alijs molestiores redeunt, quàm meliores, aut instructiores : sed de illâ quæ animam domat, ac reddit mansuetã. Quanquam plerumq; contingit, ut qui à Dei conversa-

versatione, & colloquio veniunt, ubi omnia pacata sunt, rectè posita, & ordinata, cùm deinde ad homines redeunt, vehementer irascantur, ita illis omnia apparent indecora, susque déque eversa. Sic Moyses, licet esset omnium mortalium mitissimus, cùm à Dei colloquio in monte, descenderet; & populum, ante vitulos aureos, quos sibi Deos elegerat, saltantem vidisset, tabulas Legis digito Dei conscriptas projecit, ac fregit; vitulos aureos redegit in cinerem, eumque bibere populum coëgit; stricto que gladio magnam hominum stragem edidit, adscitis sibi Levitis, ad tanti sceleris ultionem socijs. Quia nimirum oratio, ut mansetum hominem efficit, ita fortem & generosum, & præclara omnia molientem, quoniam sensus omnes divinos in hominem transfundit: Ex quibus omnibus patet quod diximus, orationem optimam esse ad omnia bona dispositionem.

Quæ cum ita sit, mi Auditor, quid est quod rē tanti momenti sic negligis, nec frequentas? Quàm enim facile orationem dimittimus, quàm ignavè, & quàm negligenter facimus! Tantum temporis impendimus cum hominibus, & nunquam satietas est, etsi sæpè sit fastidium: ubi autem cum Deo agendum est, cum quo adeo suave est colloqui, illicò refugimus, nec eà in re sine fastidio hæremus, vel unum ad quadrantem. Certè ex omnibus quæ agimus in vitâ, nihil minùs benè agimus; hoc unum se nescire unusquisque ferè lamentatur, immò plurimi in lucro ponunt, si orationem possint effugere, ut laborem ingratissimum, vel ut aliquod supplicium. Et tamen, ô mi Auditor.

Cogita. 1. quantæ sit dignitatis, immò quantæ dignationis, te in Dei colloquium admitti, idq; tam facilè, quoties volueris, omni loco, omni tempore, quocunq; in statu existas: in vinculis, in carcere, in servitute, in supplicio, in paupertate, in morbo, in naufragio: Audi Davidem de se loquentem. *In tribulatione invocavi Dominum*: Item, *De profundis clamavi ad te Domine*: Hic nullus te lictor summovet à Rege: semper vocat, semper adest, semper audit: Si Deus se immediatè adiri non esset passus, si orantes non audiret, quantæ sæpè essent angustiæ: nunc cùm id patiatur, quod vulgo homines, præsertim magnates non patiuntur, cur hac occasione, & tantâ cōmoditate non uteris? Memēto venturum aliquando tempus, quando non audiet, quando auferet deprecationem à te: nunc utere, dum licet.

Cogita 2. quantæ sit necessitatis, cùm ad multa habenda, quæ tibi planè necessaria sunt, unicum sit medium: fac quidquid voles, non habebis, nisi petas; ac si petas, habebis: cur gratis miser esse pergis; cur commedis, nisi quia aliter vivere non potes: cur respiras, & aërem attrahis, nisi quia ad vitam necessaria tibi est respiratio: cur non idem facis circa orationem, cùm multa non nisi per orationem obtinere valeas?

Cogita 3. Quantæ sit utilitatis & fructus, nempe ad omnia bona, est enim instrumentum communissimum, & universalissimum, ad mala depellenda, ad omnia bona, & habenda, & agenda: Cætera omnia determinatas habent utilitates; uti patet in Sacramentis: quare oportuit esse plura, propter varios eorum effectus: sed oratio una potest omnia.

Cogita 4. Quantæ facilitatis existat, quæ nec scientiam requirit, neque virtutem, non magnum ingenium, non eximiam industriam: Satis est egere, satis est esse miserum, satis est carere: Vnusquisque petere potest: hoc omnes natura docuit, certe si non potes pulsare, si non vales quærere, sufficit si petieris: *omnis enim qui petit, accipit.*

Eheu *si scires donum Dei*, & quo emolumento Deus tibi orandi, & potestatem dedit, & faculatem! *Tu forsitan petisses ab eo, & ille dedisset tibi.* Quid dedisset tibi? certè quod petiisses: Pete itaque, & dabitur tibi. Quid petes? gratiam in hoc mundo, & gloriam in altero: ad quam deducat nos Iesus Christus qui cum Patre & Spiritu sancto regnat in sæcula sæculorum Amen.

FERIA QUINTA

DOMINICÆ PRIMÆ IN QVADRAGESIMA.

CONCIO SECVNDA,

DE ORATIONES.

Quod sit impetratoria & quousque pertingat hæc proprietas.

O Mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Matth. 15.

QUOD secundò de Oratione dicere cogimur causa est quia non sufficit semel orasse, sed sæpiùs orandum est: immò si fieri posset, semper & continuè, juxta illud Christi Domini Lucæ 18. *Oportet semper orare, & non deficere*: homini enim Christiano, ut ait Clemens Alexandr. lib. 7. Strom. *eſki mèn afto o bios apas omilía pros teòn.* Oratio est omnis vita, & cum Deo conversatio: quotidie Sol accenditur, quotidie quoq; orandum est: Præcipitur Levitici 6. ut semper in altari ignis ardeat: & additur, *quem nutriet Sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies: Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari*: Hoc de Oratione dictum intellige, de quâ iterum nobis sermo, neq; enim mulier Chananæa semel clamasse contenta fuit, sed sæpius & Christum, & Apostolos interpellavit, & quanquam hi Christo dicerent, *dimitte illam, quia clamat post nos*, noluit tamen dimittere, quoniam ejus clamorem non molestum sensit, sed habuit gratissimum, quod & admiratione suâ ostendit: *ô mulier, magna est fides tua. fiat tibi sicut vis*: Idem à vobis expecto, nempe hunc de Oratione discursum vestrâ admiratione finiendum: utinam addatis, *fiat tibi sicut vis*: hoc unum est quod nunc volo, ut in vobis orationis & æstimationem, & amorem ingeneret: Sed priùs orationem ipsam adhibeamus, quàm de oratione dicamus: nostra omnis ad Deum per Christum, ad Christum verò per Virginem fieri debet. AVE MARIA.

IN priori Concione diximus quatuor esse in oratione eximia: tria quidem illi cum alijs rebus communia, nempe quòd meritoria sit, quòd sit satisfactoria: deniq; quòd magna sit dispositio ad maxima bona: quæ omnia fusè ostendimus. Quartum autem

autem ita orationi convenit, ut nulli alteri rei convenire propriè possit, nimirum ut sit impetratoria, id est vim habeat ad impetrandum, quatenùs ipsa petitio est.

1. Quidem, quoniam petitio ex naturâ suâ ordinatur ut animum alterius inducat ad dandum id quod petitur, non quia emitur, nec quia solvitur, nec quia aliquis illud meretur; sed solùm, quia petitur, & rogatur: quatenùs consentaneum est bonitati, & liberalitati ejus qui rogatur, moveri ad dandum, eo solum nomine, quia rogatur: atque hic modus impetrandi ita est proprius orationi, ut nulli alteri bono operi convenire possit; licet ab alijs rebus oratio juvari possit ad meritum, & dispositionem, atque ut petens gratior fiat donanti: Et hoc modo jejunium, & eleemosyna dicuntur alæ orationis à SS. Patribus, vel sorores, ut à Sancto Chrysostomo.

2. Quia orationi facta est promissio impetrationis. Psal. 49. *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Marci. 11. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis*: Lucæ 11. *Petite, & accipietis, quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Et Ioan. 16. *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem, in nomine meo dabit vobis*, & passim alibi: Quod orationis privilegium quàm sit eximium, ex sequentibus colligere possumus.

1. Quòd nullis finibus includatur, sed impetrare omnia posit, etiam quæ videntur impossibilia, sic enim indefinitè Christus promisit Marci 11. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis*: Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*: Ac ne dubites, omnis generis exempla habes in Scripturis: Chrysost. Orat. 2. de Precat. Quâ ratione Moyses in bello Israëlem servavit? nonne arma quidem & exercitum discipulo tradidit? ipse verò hostium multitudini precationes opposuit? occultè pugnabat, manifestè vincebat: & precante Moyse Judæi victoriam reportabant: à precibus desistente, erant hostibus inferiores: diceres manus ejus, belli esse vexillum, quod victoria sequeretur: Noñe idem populum impia perpetrantem unâ precatione servavit, divinumque aspectum & innumerabilia bona, per preces tantùm consecutus est? hæc enim illi vitam incolarum cœli persimilem conciliavit: quid enim agebat 40. diebus in monte cum Domino jejunus cõversans, nisi quod orabat, & cũ Domino colloquebatur? certè oratio Danieli, alterũ fuit illi pro cibo. Precatio vim ignis superavit, leones edomuit, quorũ alterũ tribus pueris contigit. Hæc sanctũ vatem genuit Samuëlem: nam cùm ad sobolem natura Matri adversaretur, precatio exorta naturæ vitium correxit: Talis ex precatione fructus extitit, talem deprecatio vatem procreavit: Hac David tot & tanta bella confecit, nõ armorum strepitu, non hastarum conflictu, non stricto gladio, sed precum præsidio communitus: Hac Ezechias Persarum multitudinem celeriter vertit in fugam: Et illi quidem ad evertenda mœnia machinas adhibebant: ipse verò precibus mœnia muniebat: Itaque extinctum bellum est, precatione, non armis: non tubæ clangore, non terrâ sanguine aspersâ, sed exercitu conquiescente, hostibus unâ precatione perterritis:

Eodem modo Nyssen. orat. 1. de oratione Dominicâ. Oratio Jonæ, Cetum domum effecit: Ezechiam verò ex portis mortis ad vitam reduxit: Tribus autem adolescentibus in ventum rorantem flammam convertit: Israëlitis contra Amalecitas, trophæum erexit, & centum octoginta quinque millia Assyriorum unâ nocte gladio invisibili

bili proſtravit: & alia innumera omnis generis exempla.

2. Quòd omnia audeat, quid enim non auderet, quæ ſibi omnia novit poſſibilia, & nihil impoſſibile: Audet cœlum aperire & claudere ad libitum in Eliâ: audi enim quàm audacter loquatur 3. Reg. cap. 17. loquens ad Achab. *Vivit Dominus Iſraël in cujus conſpectu ſto. Si erit annis his ros, & pluvia, niſi juxta oris mei verba:* Atq; ut nemo dubitet id pertinere ad orationem Eliæ, ſic rem intellexit S. Jacobus in ſuâ Epiſt. c. 5 0. *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & oratione oravit ut non plueret ſuper terram, & nō pluit annos tres, & menſes ſex: & rurſum oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum*: Ejus orationem Eccleſiaſticus, appellavit verbum Domini: cap. 48. *verbo Domini continuit cœlum:* Ac vide num eleganter dixerit S. Chryſoſt. ſerm. 2. de Elia: Clavis cœli fit ſermo Eliæ Sanctiſſimi; jubet enim, & clauditur cœlum; orat poſtmodum, & aperitur. Eodem ſenſu Auguſtinus ſerm. 226. de Tempore. Oratio juſti clavis eſt cœli, aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio: Audet eadem Solem Lunam ſiſtere in Joſuë cap. 10. *Tunc locutus eſt Joſuë Domino:* Hæc verba orationem indicant Joſuë: Vide autem quo illam perduxerit: *Dixitque, Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon. Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis*: in quæ Bernardus. Soli ut ſtet, non tam orat, quàm imperat, & meretur fides tàm Solis obedientiam, quàm de hoſte proſtrato victoriam: Itaque S. Quiriacus apud Metaphraſtem 29. Sept. miratur Joſuë datum à Deo Soli & Lunæ aurigam: Pergit Scriptura. *Stetit itaque Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Nō fuit anteà, nec poſteà, tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël*: De illo Ecli. cap. 46. *Invocavit Dominum omni potentem in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus & ſanctus Deus*, &c. quia cùm creatura ſenſu careat, oportet imperium factum à Joſuë non tam creaturæ factum fuiſſe, cùm ſit imperij incapax, quàm ipſi Deo, à quo ille effectus proceſſit: Audet eadem ſpondere miracula, Deumq; ad quædam obligare: uti fecit Elias, propoſitâ conditione populo 3. Reg. c. 18. *Deus qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus:* Audet etiam mortuis vitam polliceri in Eliſæo 4. Reg. c. 4. *Ecce puer mortuus jacebat, in lectulo ejus, ingreſſuſque clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum, & oravit ad Dominum:* Vide quid ſequatur, *& oſcitavit puer ſepties, aperuitque oculos*: Quod factum audacius unquam videre priora ſæcula, quàm illud quod Judith, & aggreſſa eſt, & perfecit, ut inter hoſtes captiva, tot hoſtium millibus cincta, mulier Imperatorem proprio enſe truncaret: verè *nova bella elegit Dominus:* ſed vide modum, vide fiduciam, veriùs dixerim audaciam c. 3. *Stetitque Iudith ante lectum. orans cum lachrymis, & labiorum motu in ſilentio, dicens. Confirma me, Domine Deus Iſraël, & reſpice in hac horâ, ad opera manuum mearum*, &c. *Et cum hæc dixiſſet, acceſſit ad columnam quæ erat ad caput lectuli ejus, & pugionem ejus, qui in eâ ligatus pendebat, exolvit*: En primum facinus: audi quid ſequatur, *cumque evaginaſſet illum, apprehendit comam capitis ejus*. Ego certè in tantâ mulieris audaciâ totus contremiſco: At tu quidem ſiſte, ac vide, unde nam vires accipiat. *Et ait. Confirma me, Domine Deus, in hac horâ*: quid expectas, mi Auditor, niſi perfectum facinus? *Et percuſſit bis in cervicem ejus, & abſcidit caput ejus, & abſtulit conopæum ejus, à columnis, & evoluit corpus ejus truncum.* O fortitudinem orationis: audi quid ipſamet canat in epinicio ſuo. c. 16. *Cantate Domino in cymbalis, modulamini illi pſalmum novum*, &c. *Horruerunt Perſæ conſtantiam ejus, & Medi audaciā ejus*, &c.

Ado-

Adonai Domine, magnus es tu, & præclarus in in virtute tuâ, & quem superare nemo potest,&c. Qui autem timent te magni erunt apud te per omnia.

3. Quod oratio omnia superet,est enim ait de Cusa libro 7. Exerc.omnibus creaturis potentior:Nam Angeli seu Intelligentiæ,movent orbes, Solem, & stellas: sed oratio illis est potentior,quia impedit motum cœlorum:sicut oratio Iosuë fecit solem sistere:Vt enim ait Ambros.lib.10.Officior. cap.10. Iosuë,ne non impediret victoriam,magnitudine mentis, & fidei clamavit, stet sol,& stetit, dum hæc victoria consummaretur:Sic fortior fuit influentijs stellarum: & fortior animâ,quæ sine cibo non sustentat corpus: nam illa sine cibo, longo tempore sustentavit Sanctos, ut in Moyse,in Elia,& in alijs videre est:fortior etiam est Naturâ:Etenim Elias oravit, & ignis, cujus natura est sursum ascendere, descendit,unde Eccli. cap.48.*Dejecit de cœlo ignem ter:*denique fortior est omni creaturâ,quia nulla potest creaturam unam in aliam transformare, sed quotidie id facit oratio consecrantis Sacerdotis in altari.

4. Quod eius potentia tam latè pateat, quàm Dei omnipotentia: quod enim Deus potest jubendo ac imperando, hoc potest homo per orationem, & precando : unde oratio hominem facit alterum Deum: vis videre in Moyse? nihil non perfecit per orationem:audi Chrysol. ser.43.per hanc Moyses fit Deus, & ad triumphos suos militare sibi, omnia mandat elementa : Ac ne putes exaggerationem esse eloquëtiæ, audi quid Deus ipse dicat ad Moysem Exod. 7. *Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus,erit Propheta tuus:*Deum vocat Moysem propter eximia opera, quasi nihil illi non sit subjectum:unde sicut Deus non solet hominibus immediatè loqui,sed per prophetas suos,quos ad homines mittit,ut suarum voluntatum interpretes, ita voluit Moysem uti suo fratre,ut Pharaonem,& populum alloqueretur: sed neque hoc satis est ad orationis commendationem: Nonne etiam hoc est illustrius?

5. Quod cum Deo certet ex æquo: quid enim aliud significat Iacobi lucta cum Deo,nisi orationis cretamen cum Deo:unde nominis mutatio, & Israël dictus est, interprete sancto Hieronymo, Princeps cum Deo,ac si parem cum Deo obtineret principatum,& æqua esset ipsius cum Deo compositio:D.Paulus Romanorum preces postulans cap. 15. *Obsecro vos fratres ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me, ad Deum:* In Græco est, ut mecum certetis in vestris orationibus pro me ad Deum:ubi notat Cardinalis Toletus, certamen vocari orationem Deo factam,quasi orationis vi,tanquam armatâ manu,quidquid à Deo petitur, extorqueatur:Ita Tertullian? loquens de Conventu Christianorum ad precationem,sic loquitur in Apologet. Coimus ad Deum, quasi manu factâ, precationibus ambiamus:Hæc vis, Deo grata est:sic David certamen suum Deo denuntiabat Psal. 5. *Mane adstabo tibi:*quidam vertunt ex Hebræo,Mane ordinabo tibi, supple orationem meam:Vox bellica; quoniam oratio est quædam bellica impressio, quæ Deum aggreditur: Ac ne putes semper ex æquo, ac paribus viribus certare,hoc etiam majus habet.

6. Quod ipso Deo superior evadat,eumque vincat : Ita Jacob luctatus cum Deo, non armis,sed precibus victor evasit,juxta illud Osée 12. *In fortitudine suâ directus est cum Angelo. Et invaluit ad Angelum, & confortatus est:flevit & rogavit eum :* Itaque sic animatur ne homines timeat.Gen.32.*Si contra Deum fortis fuisti,quantò magis contra homines prævale-*

bis: Vide autem quò perveniat illa victoria, ut se se ipsi Deo opponat, etiam irato, etiã furenti, eique resistat: parum est quod dixi, ut vincula injiciat, ac frænum: adhuc & hoc parum, ut ipse Deus hoc fateri cogatur: Etiam hoc non satis, ut ipse Deus orationem quoq; adhibeat, & creaturam precetur, ut agere possit: vide iratum Deum adversùs populum Israël, cum vitulum adorasset: Illum certè disperdere decreverat: *Ipsi me provocaverunt in eo, qui non est Deus: Dominus zelotes nomen ejus:* sed Moyses oratione suâ Deum constrinxit: unde Dominus ad eum, *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámq; te in gentem magnam:* Hieron. in cap. 13. Ezechielis. Cui dicitur dimitte me, ostenditur quod tenendi habeat facultatem: paraphrasis Chaldaïca. Intermitte precationem: nam ut ait S. Hieron. epist. 12. Dei potentiam servi preces impediebant: amplius dicit S. Bernardus serm. de Magdalenâ, feriendi licentiã quærit à Moyse, qui Moysem fecit: sed pergit Textus: *Moyses autem orabat Dominum Deum suum:* sed quid secutum sit, audite. *Placatusq; est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat, adversus populum suum:* Iterùm vide furentem Deum: Cùm terra, absorbuisset Dathan, & Abiron cum omni eorum familiâ, populus murmurare cœpit contra Moysem; ea res ita Deo displicuit. Numer. 16. ut populum incendio delere decreverit, unde hæc verba: *Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos:* ac ne putes inanes fuisse minas, brevissimo tempore 14. millia hominum, & septingenti, incendio perierunt: cùmque cæteros jam jam flamma esset consumptura, accurrit Aaron, *& stans inter mortuos, & viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit:* Sed rem uberiùs expressit Sapiens Sap. 18. *Properans enim homo sine querelâ, deprecari pro populis: Proferens servitutis suæ scutum, orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus:* Vicit autem turbas (id est turbationem quæ ab incendio) *non in virtute corporis, nec armaturæ potentiâ, sed verbo, illum qui se vexabat subjecit:* quare Sanctus Ephrem orationem arcum vocavit: Sanctus Ambrosius arma: Quid expressiùs dici potest? Eodem sensu dictum est Isaïæ 49. *Laude meâ infrænabo te, ne pereas:* Vatablus ex Hebræo paraphrasticè trãstulit: Propter laudem meam, frænum injiciam mihi, tui causâ, ne te omninò exscindam: Orationem vocat, laudem divinam, uti Jeremiæ 7. *Nec assumas pro eis laudem, & orationem:* Hoc autem omne perficit Oratio divinâ quadam vi, & arcanâ incantatione, planè mirabili, secundum illud Davidis Psal. 146. *Præcinite Domino in confessione:* LXX. vertunt. Excantate Dominum, quasi Deus, cùm in humanum genus, ob innumera ejus scelera desævit, sanctis carminibus, ac precationibus, à justâ indignatione sopiatur & quodammodò excantetur: Quod adeò verum est, ut cùm Deus aliquid facere absolutè decrevit, orationem potiùs impedire, ac prohibere soleat, quàm orationem respuere, & ei aliquid denegare: Puniturus Sodomitas, priùs ab eorum medio Lothum abire jussit: *Festina (inquit) & salvare ibi, quia non potero facere quidquam donec pervenias illuc.* Genes. 19. Item puniturus sacrilegium Acham Josué 7. ducem populi Josué à precibus abstinere jubet: *Surge (inquit) cur jaces pronus in terrâ:* Puniturus inobedientiam Saülis 1. Reg. 16. prohibet Samuëlem orare pro illo: *Usquequò tu luges Saül?* Puniturus Jerosolymam, priùs aufert ab illâ Isaïæ 3. *Prudentem eloquij mystici*, seu ut legit Theodotio, prudentem incantatorem: Puniturus regnum Juda, præcipit Jerem. cap. 7. *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & ora-*

& orationem, & ne obsistas mihi: Denique puniturus quoscunque impios, priùs justos à à terrâ in cœlum transfert, juxta illud Isaiæ 57. *A facie malitiæ collectus est justus*, ne videlicet pro injustis deprecetur: Ita planè Deus ne orationibus succumbat, præmonet ne effundantur, quasi effusas repudiare non posset: Vides quanta sit vis orationis, ut etiam Deus, se ad illi resistendum imparem quodammodò fateatur.

Ad hæc omnia unum hoc etiam ad orationis commendationem facit, quod non minimum esse judico: nempe

7. Quod oratio ita sibi conjunctam habeat misericordiam Dei, ut à quo Deus orationis facultatem non sustulerit, ab eo misericordiam non abstulerit teste Prophetâ Psal. 65. *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me:* unde S. Augustinus. Cùm videris non à te amotam deprecationẽ tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia ejus: Exẽplum Ninives proponit S. Chrysost. orat. 1. & 2. de precat. Statim enim ut oratio civitatem illam ingressa est, omnia commutavit: Temperantiam, justitiam, amicitiam, concordiam, pauperum providentiam, omnia deniq; bona simul attulit. Nam quemadmodum ubi Regina quæpiam urbem ingressa est, omnes in eam divitiæ confluant necesse est, sic ubi precatio in animum semel intrarit, virtutes eam omnes comitantur: uno verbo, ubi oratio, ibi gratia, ubi gratia, ibi sunt omnia bona. Hinc ego facilè intelligo, cur Sancti omnes ita orationem coluerint, ut eam sibi auferri non sint passi, ita ut Daniel cap. 6. mori maluerit, quàm ex jussu Regis tribus diebus precationem omittere, etiamsi Rex nihil impium agere præciperet, sed tantùm cessationem à precibus trium dierum spatio; tãti orationem vir sanctissimus æstimavit.

Ex his omnibus unum concludo omni ratione inexcusabiles esse homines si à vitijs non se emendent, si virtutes non comparent, si non salventur, qui orationem omnium bonorum fontem, & cujus tanta est potentia, & efficacitas suâ in potestate habeant: Tibi omnia desint, modò orationem habeas, hinc habes unde omnia habere possis: quid adeò paupertatem mihi objicis, quid egestatẽ, & virtutis inopiam, quid vitiorum tyrannidem, quid passionum impetus, quid occasionum illecebras, quid rerum necessitatem? hoc unum tibi sufficit, orationis habes potestatem. Quod non habes, pete, & postula; certò scias; impetrabis: oppignoratam habes Dei fidem, *negare seipsum non potest:* neq; enim contentus dixisse se omnia orationi concessurum, etiam juramentum adhibuit. *Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis:* & S. Jacobus, *Si quis indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei:* Noli prætexere virtutum difficultatem, veteres consuetudines, naturæ vitia: Si credis, si oras, *omnia possibilia sunt credenti,* & oranti: Castus, ais, esse nequeo: Id facilè crediderim. 1. enim quid te quotidianis periculis implicas? quid occasiones non fugis? 2. quid libidinem nutris intemperantiâ, & corpus foves delitijs? quid te varijs incitas illecebris, aspectu, sermonibus, spectaculis, conversatione, libertate, indulgentiâ? 4. quid quereris te non posse, quod non vis, neque enim verè vis esse castus? sed his omnibus, & alijs pluribus omissis, an illud rectè cogitasti, quod nemo potest esse castus, nisi hoc Deus dederit: & castitatem donum esse Dei: ad hæc Deum pauca dare, nisi orantibus: Quin itaque petis, atq; flagitas à Deo castitatem? Quin illum imitaris, qui de se dicit cap. 8. Sap. *Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse*

continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum, alij Dxminum, & deprecatus sum illum: & dixi ex totis præcordiis meis: &c. Sed cave quod in se adolescente luxit S. Augustinus 8. Confess. cap. 7. Petieram à castitatem, & dixeram, da mihi castitatem, & continentiam, sed noli modò. Timebam enim ne me citò exaudires, & citò sanares à morbo coniupiscentiæ, quam malebam expleri, quàm extingui. Et tamen quia petijt, aliquando exauditus est: Etiam si illam nolis, pete tamen: fiet aliquando ut velis: voles ut fiat; fiet, ut sis: Et ait loc. cit. Augustinus, utique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solidâ in te jactarem curam meam. Quàm multi sunt suâ sponte miseri! Tàm omnia habent in propinquo, ut ferè hoc illis desit, quod accipere nolint, quod offertur: nam qui invitantur ut petant, & quibus promittitur si petant, rem ferè habent in manibus: Certè multis id convenit Christi Domini, Joannis 16. *Vsque modò non petistis quidquam in nomine meo; petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum:* hoc fac, hoc experire, mî Auditor: obsidem habes Deum Joan. 16. *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis:* Apocal. 3. *Hæc dicit, Amen, testis fidelis & verus.* Amen. Amen.

FERIA QUINTA

DOMINICÆ PRIMÆ IN QUADRAGESIMA

CONCIO TERTIA

DE ORATIONE.

De infallibilitate impetrationis & de conditionibus hujus infallibilitatis.

O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Matth. 15.

NON dubito quin me importunum judicetis qui vobis tertiò de Oratione loquar, sed mementote me de Muliere Chananæâ tractare, quæ nullâ re nobilior fuit quàm suâ importunitate, ita ut dicant Apostoli Christo, *Dimitte illam, quia clamat post nos:* item nos in eâ agnovisse Orationem, quam nemo exhaurire potest, præsertim si de ejus potestate sermo sit, unde quidam apud Theo-

Theodoretum in hiſtoriâ religioſâ, omnipotens oratio, cùm ſit una, omnia poteſt, quod nulli rei creatæ poteſt convenire: itaque ut quæ ad orationem pertinent, explicemus, pluries nobis de oratione dicendum eſt, ſed neque iterùm de ipsâ ſine ipsâ iteratâ dicere poſſumus. AVE MARIA.

HOC rerum divinarum, & ſpiritualium proprium eſt, ut nullâ unquam oratione poſſint exhauriri: itaque quò plura dixeris, eò plura dicenda ſuperſunt: eaque cùm ſint integra, non magna apparent; cùm dicere inchoaveris, tunc quanta ſint, vides, juxta illud Davidicum: *aſcendit homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Idem nobis circa orationem contingit, quam propterea Sanctus Chryſoſtomus homil. 5. de incomprehenſibili naturâ Dei, appellat theſaurum perpetuum, divitias inexhauſtas: cùm enim de unâ tantum orationis proprietate fuerit ſermo, nempe quòd vim habeat admirabilem quidlibet à Deo impetrandi, eò uſque, ut tantùm valeat quantùm ipſa Dei omnipotentia: licet illud ſufficienter oſtendiſſe videamur; quòd tamen de eâ re dicendum ſupereſt, majorẽ habet admirationem, & ſtuporem: ac neſcio an aliquid aliud de illâ dici poſſit, niſi quòd hic theſaurus evacuari nunquam queat: hoc autem illud eſt, orationem non tantùm vim habere impetrandi ex divinâ benignitate, quæ ſe ſe facilè oranti inclinat, ſed etiam certum habere, atque infallibilem, impetrationis effectum vi promiſſionis divinæ, quæ adeò expreſſis ac diſertis verbis facta eſt, ut amplius dubitari non liceat: Marci 11. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite; quia accipietis, & evenient vobis*: Et Lucæ 11. *Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* & Joan. 16. *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Pſalm. 49. *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me,* & alibi paſſim ſexcentis in locis, quæ nos de hac veritate ambigere non ſinunt. Quemadmodum igitur Sacramentorum formæ ex divinâ inſtitutione, ſic operantur quòd ſignificant; ut nemo jam de eorum effectu poſſit dubitare, quia infallibiliter illum ſortiantur; ita quoad orationis impetrationem, nemini dubitare permittitur de infallibili ejus effectu: quo privilegio, nullum majus fingi poteſt. Verùm quia conſtat, non omnem orationem honeſtam exaudiri: nam D. Paulus non eſt exauditus, cùm ei dictum eſt 2. Cor. 12. *ſufficit tibi gratia mea:* Hinc colligo ejuſmodi promiſſionem non eſſe abſolutam, ſed conditionatam. Si enim eſſet abſoluta, ſemper eſſet impetratio: quia quod Deus promittit, eo modo quo promittit ſemper implet, juxta illud 2. ad Timoth. 2. *Fidelis Deus eſt, ſeipſum negare non poteſt:* oportet igitur eam eſſe conditionatam, & conſequenter in oratione certas exigi conditiones, quibus poſitis, infallibilis exiſtit, quarum vel unâ omiſsâ, non ſit infallibilis, licet ſæpe ex Dei benignitate, & purâ miſericordiâ exaudiatur, uti fieret, etiã ſi nulla interceſſiſſet promiſſio: Has conditiones, varij Doctores varias afferunt poſt Sanctum Thomam 2.2.q.83.art.15.ad 3.

Primam nonnulli volunt eſſe ſtatum gratiæ, ut ſcilicet qui orat ſit amicus Dei: alioqui enim ut cœcus natus ajebat Joan. 9. *Scimus quia Deus peccatores non audit, ſed ſi quis Deus peccatores non audit, ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* & 1. Joan. 3. *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus*: Et Pſ. 65. *Si iniquitatẽ aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.*

Nihilominùs tamen exaudita oratio publicani Lucæ 18. exauditi David, Ezechias, Manasses, & alij peccatores, mihi omninò persuadent, non requiri gratiam habitualem in orante, ut oratio sit infallibiliter impetratoria: Ratio est, Quia jus orationis in impetrando non fundatur in dignitate personæ orantis, sed in misericordiâ divinâ, & verbo ejus, seu promissione: igitur indignitas peccatoris non obstabit impetrationi infallibili, si alia adsint necessaria.

Probatur etiam. 2. Quia promissiones Christi sunt generales, neque sunt limitandæ, ubi nec verba cogunt, nec materia, nec ratio divinæ justitiæ; & alioqui divina misericordia sine tali limitatione commendatur.

Confirmatur ex Parabolâ Christi de amico petente de noctu ab alio amico suo tres panes, quos non concedit tempore adeò importuno propter amicitiam ejus qui petit, sed propter importunitatem: quod expendens Sanctus Chrysost. homil. 56. de diversis sub finem, sic loquitur; Visne intelligere quanta res sit oratio: non tam valet amicitia apud Deum, quàm oratio: audi ex Scripturâ; quòd amicitia non perfecit, id ab oratione esse perfectum: *Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad illum mediâ nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes*, Et ille deintus respondens dicat: *Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi. Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens, eò quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus, surget, & dabit illi quot-quot habet necessarios:* Vides quo pacto, quòd non potuit amicitia, hoc assiduitas potuerit? Nam quoniam fuit amicus, qui petebat, ne propterea rem illam perfeciss censeres, dixit, *Et si non dabit illi surgens, eò quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen, &c. dabit illi:* licet id amicitia non præstet, (inquit) assiduitas tamen præstabit, quod amicitia minimè potuit. Et ubi tandem id accidit, In Publicano: Neque enim erat amicus Deo publicanus, sed amicus est factus. Patet itaque amicitiam non esse necessariam ad impetrationem: sed peccatorem exaudiri posse, modò affectum non habeat, ad peccatum; aut cogitans de peccatis, non omittat voluntatem resipiscendi, atq; ad Deum redeundi: alioqui erit indignus qui exaudiatur, cùm videatur amicitiam contemnere; ideoque admodùm probabile est, non esse illius orationem infallibilem. Itaque loca Scripturæ allata in contrarium, explicanda sunt cum eâ limitatione, ut negent orationem peccatoris, ut peccatoris, audiri, id est, cùm actu peccat in oratione, vel petendo aliquod peccatum, vel aliquid indecens, vel cum pravâ intentione; vel sermo est de peccatoribus affectum habentibus ad peccatum suum, non verò de ijs qui non cogitant, vel de ijs qui emendationem proponunt, atque veniam postulant: alij enim peccatores qui affectum habent ad peccandum, vix possunt convenienter orare, & alias conditiones necessarias ad impetrationem afferre.

Altera conditio necessaria ad impetrationem à nonnullis ponitur ut oratio uniuscujusque sit pro seipso, non verò pro alio. Nam si fiat pro seipso, infallibilis est impetratio ex promissione, concurrentibus alijs conditionibus; sed si fiat pro alio, eam certitùdinem non habet, etiam si aliæ omnes conditiones concurrant. Ita docet Sanctus Augustinus tract. 73. & 102. in Joannem: idque probat ex verbis Christi Joan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis:* & idem sentit S. Thomas, qui inter quatuor conditiones infallibilis orationis istam ponit,

nit, & post illum multi alij. Nihilominùs tamen existimo hanc conditionem minimè esse necessariam, sed promissionem esse universalem, seu oret quis pro se, seu pro alijs. Ratio est, Quia passim in Scripturâ fit absoluta promissio sine hac limitatione; ut Joan. 14. *Quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam*, & alibi, *omnis enim qui petit accipit, qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.*

2. Quia quod orando impetramus pro alijs, id nobis donatur: Ita Actor. 27. dixit Angelus Paulo: *Ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum*, oraverat enim Paulus pro eorum incolumitate. Quod verò aliqui dicunt orationem pro alio non semper esse efficacem, quia non semper alius pro quo oramus, idoneus est ut accipiat, nihil conficit; nam idem dici potest de oratione quæ fit pro ipso: & in universum ea conditio subintelligitur, ut is cui aliquid petitur nullum ponat impedimentum: Quare hæc conditio nõ est necessaria ut fiat oratio pro seipso.

Existimo itaque cum Suare lib. 1. de oratione à c. 23. tres tantùm ex parte orantis requiri conditiones, ut ejus oratio non tantùm ex parte orantis requiri conditiones, ut ejus oratio non tantùm vim habeat impetrandi, sed etiam ut infallibiliter impetret.

1. Conditio est ut oratio sit bona, & honesta: erit autem ejusmodi, 1. si fit de re honestâ, atq; honestè volitâ: nam ex sancto Damasc. Oratio est petitio decentium à Deo. Non igitur esse debet de re malâ, alioqui fit Deo gravis injuria, dùm oratur ut sit author rei malæ, estque semper peccatum mortale, juxta illud Psalm. 108. *Oratio ejus fiat ei in peccatum*: Itaque Sancti Patres in eos graviter invehuntur, qui Deum orant, ut suos inimicos ulciscatur. Vide Chrysost. passim, maximè serm. 56. & 57. in fine de diversis: Nyssen. orat. 1. de Orat. Dominicâ & alios.

2. Si non sit de re indifferenti, hoc est vel ludicrâ, vel tantùm utili, tùm quia cùm oratio sit instituta ad cultum divinum, malè sumitur res indifferens tanquam ad cultum Dei pertineat: tùm quia res indifferens, ut potest esse bona, potest etiam esse mala; ideoque peti non potest, nisi sub conditione. Alioqui inhonesta est petitio; scilicet nisi petatur quod petitur ob finem honestum: Itaq; non licet petere lucrum ex ludo, neq; bona indifferentia, ut sanitatem, divitias, honores, & similia, nisi conditionatè: Nam uti præclarè ait S. Basilius in Constitut. Monasticis c. 1. jussit Dominus, ut regnum cœlorum quæreremus, nobis sufficienter de cæteris provisurus, *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*, munificentissimus est enim idem, & augustissimus Rex noster (inquit) & indignè fert quandocunque quis exiguum à se aliquid petit, & de rebus ipsum, minimè ipsi convenientibus, rogat. Noli igitur illum tibi oratione tuâ iratum facere, sed ea petito tibi quæ digna sunt, & Rege, & Deo. Exemplum affert Gregorius Nyssenus oratione 1. de oratione Dominicâ. Ut si quis præ nimiâ paupertate: aut rusticitate vasa ex luto fictilia, pretiosa putet, deinde ad Regem solidas divitias & dignitates distribuere paratum, accedat; atq; omissis ijs rebus, quæ à Rege peti solent, tantâ dignitate præditum roget, ut luto subacto, atque concinnato efficiat aliquid, quod sibi cordi sit. Ita etiâ is qui imperitè oratione utitur, non ad dantis altitudinem sese erigit, sed ad sordidas, humiles, & terram sapientes cupiditates suas, divinam potentiam descendere desiderat: atque hujus rei gratiâ, vitiosos, & perturbatos animi motus & impetus, corda cernenti profert, non ut sanet

ejusmo-

ejusmodi motus, sed ut auxilio Dei, repræsentato pravo impetu, deteriores efficiantur: 3 Vt non sit de re bona in malum finem: hoc est enim malè petere ut ait Iacobus cap. 4. *ut in concupiscentiis vestris insumatis*: 4. Neque de re impeditur à majus bonum: cùm enim concessio sit in bonum petentis, non debet oratio bono ejus se opponere, quod fieret, si id concederetur, non dico quòd prodesse per se non posset, sed quod Deus videt de facto nociturum: & ita non est exauditus Sanctus Paulus cùm peteret ut ab eo discederet angelus Satanæ, qui eum colaphizabat.

2. Conditio est ut rectè fiat, hoc est, quod dicit Sanctus Thomas, ut piè fiat, ut scilicet circùstantia actus orandi non sit peccatū, ne includamur sententiâ D. Iacobi c. 4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis*; Quàm enim vulgò homines irreverenter orant, quàm distractè. Hoc nimirum est in portu naufragium facere, ait Chrysostomus; in oratione peccare, ut ibi provoces, atque irrites justitiam Dei, ubi placare debuisses.

3. Conditio est ut oratio fiat ex fide; Matth. 21. *Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis*: Marci 11. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis*: Matth. 21. *Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis* & Iacobi 1. *postulet autem in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur*: *non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino*: Fides autem de qua hîc sermo, tam pertinet ad intellectum, quàm ad voluntatem. Prima vocatur credendi actus, secunda fiducia. Quatenus pertinet ad intellectum, excludit omnem dubitationem certitudini fidei repugnantem. Habenda est autem fides.

1. Promissionis factæ à Deo de exaudiendâ oratione, modò nihil obsit ex parte nostri, quam omnes Christiani scire debent ex fide illius explicita: deinde executionis hujus promissionis. Ratio est, quia suppositis aliis principijs fidei, unusquisque tenetur credere eum esse veracem & fidelem in verbis suis: oportet igitur credere eum promisisse, & quia fidelis est, id certò impleturum quod promisit, modò adsint conditiones ex parte nostra, quas requisivit, fidelis est enim Deus, ac *seipsum negare non potest*: oportet igitur credere nos obtenturos, quod petimus, non quidem absolutè, sed conditionatè; quia promissio non est facta absolutè, sed sub aliquâ conditione, de quâ dubitare possumus, cùm non sit revelata: debet itaque esse fides 1. de promissione. 2. de infallibilitate promissionis. 3. effectu promissionis, sed sub conditione, quòd scilicet ex parte nostrâ nihil sit omissum.

2. Debet esse fides potentiæ divinæ: unde Christus Matth. 9. duobus cœcis visum postulantibus dixit, *Creditis quia hoc possum facere vobis?* illisque dicentibus se credere; *tunc tetigit oculos eorum, dicens, secundùm fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum.*

3. Debet esse fides voluntatis Dei, nempè quòd audire velit, nam si promisit, voluit, immò si præcepit ut peteremus, certè voluit concedere; immò se ultrò offert dum præcipit.

Fides autem quæ pertinet ad voluntatem magis proprio nomine appellatur fiducia, quam tam sæpe Christus postulabat, *Confide fili*, &c. & hæc est propriè firma spes, & robusta, excludens timorem, & animi trepidationem, oppositam spei Theologicæ: Dico oppositam, nam qui hæsitat, quasi hæret, & non audet progredi, & operari, & in præsenti materia non audet petere; fiducia verò impellit ad opus, & si vehemens sit, facit postulare magno affectu, & efficacitate, & hoc est quod dicitur, postulat *nihil hæsitans*, quod rectè explicat

plicat similitudo Sancti Iacobi, *Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur*: id est, qui hanc fiduciam non habet, neque in desiderando, neque in petendo habet stabilitatem; quam habuit pater credentium Abrahamus de quo dixit Apostolus Rom. 4. *In repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide*: Est igitur fiducia, certa expectatio exauditionis, fundata in promissione Dei, qui *seipsum negare non potest*: Quia nisi sit aliquod impedimentum ex parte petentis, aut rei petitæ, anima sibi certò persuadet, se infallibiliter exauditum iri, quoniam id DEVS promisit. Sed quia tam in fide, quàm in fiducia, inveniri potest magis & minùs in excludenda hæsitatione; hinc sequitur, ut quo major fuerit fides, ac fiducia orantis, eò etiam sit efficacior oratio ad impetrandum: unde ajebat Paulus, *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*, id est fidem perfectam, cui nihil sit impossibile: ita Christus Matth. 17. Apostolos increpavit de incredulitate, quod lunaticum non potuissent curare; licet sit verisimile, eos non habuisse incredulitatem infidelitatis, sed alium defectum. Hic autem fidei defectus si sumatur ex parte intellectus, ad practicum potiùs pertinet, quàm ad speculativum, & ad exercitium potiùs actus, quàm ad specificationem: Fides speculativa dicitur, quatenùs præbet assensum rei revelatæ, quia solùm rei cognoscendæ, atque credendæ incumbit: Practica vero dicitur, quæ veritatē creditā applicat voluntati, ut secundùm illam moveatur, ac operetur: & ita fieri potest ut aliquis non habeat defectum in assensu fidei, seu certitudine, deficiat tamen in applicandâ practicè hac veritate voluntati, ut secundùm illam cum magnâ fiduciâ oret: Ad hæc, ut licèt quis credat in habitu, & nullum habeat actum certitudinis fidei, deficiat tamen in actuali fide, non quoad specificationem, sed quoad exercitium ejus, quia nimirum non actu considerat promissionem DEI, & veritatem ejus; ex quo defectu contingit, ut hæsitet in petendo, solùm attendens ad difficultatem, seu magnitudinem rei postulatæ vel ad propriam indignitatem. Ex hoc autem duplici defectu intellectus provenit, proportionalis defectus in spe: & fiduciâ; nam interdum orantis animus non erigitur spe, non quia desperet, sed quia actu spem non exercet; unde fit ut animus ejus fluctuet, & deficiat in petendo sicut oportet: interdùm verò licet spem exerceat, tamen id facit tepidè & remissè; & ideò vel non petit perseveranter, vel in ipsamet petitione nimium est remissus, atque etiam plus hæsitat, vel dubitat, quàm secundùm rectam rationem debeat, quod totum redundat in imperfectionem & defectum fiduciæ debitæ, licet hæsitatio non videatur peti ex parte DEI, sed ex aliis capitibus, quia debita in DEVM fiducia deberet illum defectum superare ac vincere. Adde quod licet fiducia niti possit in promissione Divinâ, non tamen in illâ solâ; sed etiam in bonitate, & liberalitate Dei: Nam si ut benè ratiocinatur S. Chrysostom. homil. 68. de diversis, quæ est secunda de Oratione, Quis lucem Solis, Lunæ, atque Stellarum, Cœli temperationem, varia ciborum genera, divitias, vitam, innumerabilia bona, omnibus hominibus, & probis, & improbis, à Deo æquè dari & impertiri non videt? idque propter eximiam suam in nos benignitatem: Quòd si eos qui minimè rogant, aut petunt, ita miseratur in dies, ac reficit, quantis bonis eos frui par est qui in precibus, & obsecrationibus ætatem agunt? Itaque licet sola promissio non tollat absolutam incertitudinem effectus, nihilominùs fiducia petentis, multùm

 posset

posset confirmari ex fide, & consideratione bonitatis, charitatis, & aliorum attributorum Dei; ex qua, licet non perveniatur ad judicandum certò, & infallibiliter Deum effecturum quod petimus, sæpe tamen ita pervenitur ad judicandum ita credibile ac determinatum, ut excludat omnem actualem hæsitationem, & animum orantis reddat pacatum: Vt igitur summam faciam dictorum:

Existimo ut oratio sit infallibiliter impetratoria, sufficere, & requiri, ut sit in oranre, ea fides in intellectu, quæ excludat omnem hæsitationem, repugnantem certitudini fidei: ea autem fiducia in voluntate, quæ tollat animi trepidationem repugnantem spei Theologicæ: atque ita, si oratio fiat ex fide verâ, ac spe, ex hac parte haberi conditionem sufficientem, ad impetrandum infallibiliter ex vi promissionis: licet ex parte voluntatis interveniat aliquis timor ex consideratione proprii defectus: Cùm tamen omnis actualis timor, & dubitatio expulsa est, potentissimam esse dispositionem ad impetrandum, eamque licet non semper, aliquando tamen necessariam esse ad perseverantiam, ac multò magis ad quædam impetranda quæ Deus aliter non daret, cùm præsertim aliæ conditiones desunt: Ac talis solet esse fides miraculorum, quæ provenit ex peculiari gratiâ, & motione Spiritus Sancti, ad quam etiam liberi non sumus, licèt ea de n liberè utamur: sicut docent Theologi de gratia præveniente: Atque de hac fide loquitur Cassianus Collat. 9. cap. 32. cùm ait signum futuræ impetrationis esse, quando Spiritus Sanctus monet ad petendum cum magna fiducia, & quadam quasi securitate, & certitudine impetrandi.

3. Conditio ad impetrationis infallibilitatem necessaria ab omnibus admissa est perseverantia, quæ tanti est momenti ut dicat S. Hilarius can. 6. in Matth. obtinere in sola precum mora est: illa autem, duo continet, instantiam, & sustinentiam, seu expectationem, ut scilicet & frequenter & quasi importunè petamus & diu, atque constanter: Id Christus docuit Lucæ 18. *Oportet semper orare, & non deficere*: prima pars pertinet ad instantiam atque frequentiam orationis: secunda pars ad expectationem, ita ut non desistatur à petitione, licet non statim concedatur: contra quam à multis fieri solet, qui nisi statim exaudiantur, orationem deserunt, qui certè orationem non satis distingunt ab exactione: unde præclarè scripsit Nilus lib. de Orat. cap. 32. Ne petas à Deo imperiosè, quod statim velis impetrare: vult enim te beneficio afficere, in oratione perseverantem: utrumque Christus nos docuit duplici parabolâ; Alterâ de illo qui petiit tres panes ab amico, quos obtinuit importunitate Lucæ 11. alterâ de vidua, quæ à Iudice vindictam petiit de injuria sibi illata & per importunam, atque improbam perseverantiam impetravit Lucæ 18. Ex quibus parabolis discimus, nihil esse potentius ad impetrandum, perseverantiâ; & nos inde debere maximam spem concipere impetrationis: Nam quoad parabolam de amico, postulãte panes de nocte, attinet, præclarè ita differit Basil. in Constitut. Monastic. cap. 1. Hoc exemplum idcircò proponitur nobis à Domino, ut in fide acres, ac pertinaces esse nos doceat: Exemplum enim ab homine, ad alium hominem sumit, ut intelligas nullâ laboris fatigatione debere te à susceptо proposito desistere, ut videlicet quomodocunque aliquid petieris, neque impetraveris, tamdiu perseveres, quoad impetres: Hæc ille. Vide autem instantiam hominis semper fores pulsantis: Vide pertinaciam, quod non desinat, nisi obtinuerit; obtinet autem non ratione amicitiæ,

citiæ, ne scilicet peccator desperet, sed propter importunitatem, ob quam plura etiam quam peteret accipit, ne occasionem haberet redeundi, atque iterato molestiam inferendi. Quoad parabolam verò de vidua, quæ importunitate extorsit ab iniquo judice, ut ipsam ulciscereturr, præclarè ita differit Chrysostom. homil. 2. de precatione. Ad precationem cum CHRISTUS homines vellet allicere, judicem quendam improbum, ac sævum inducit, qui pudorem omnem ab oculis abjecisset, Dei timorem expulisset ab animo: atqui satis fuit, justi & clementis cujuspiam personam inducere, ut ejus justitia, si cum divina clementia conferretur, vim precarionis ostenderet: Etenim si vir bonus, & mitis, eos humaniter excipit, qui ad se supplices veniunt, quanto magis excipit Deus, cujus benignitatis magnitudo, non modò mentem nostram, sed ipsos Angelos fugit: Satis igitur fuit, ut modò dicebam, justi iudicis personam proponere: Iam verò Iudicem crudelem, impium, inhumanũ inducit; in alios quidem immitem, in obsecrantes certè benignum ac facilem, ut intelligas orationem naturam vel improbam ad lenitatem clementiamque traduci: Quorsùm igitur Christus id fecit? Vt nemo esset omnium, qui vim precationis ignoraret: Cùm verò propterea in conspectu Iudicis acerbissimi viduam constituisset, ipsumque præter eius naturam, humanum ostendisset, à sceleste iudice ad Patrem suum, orationem traducit, optimum, mansuetum, mitem, humanum, scelera superantem, multa peccata condonantem, quotidianas in se contumelias, Dæmonis honores, in Filium maledicta, & sexcenta nefaria facinora perferentem, quique, cùm tantis contumeliis appetatur, iis perferendis ita se clementem, ac mansuetum præbet. Is verò si cum debito timore ad se accedentes viderit, nonne subitâ misericordiâ capietur? Audite (inquit) quid Iudex iniquitatis dicat, *Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia molesta est mihi hæc viduæ, vindicabo illam*: Quid dicis? quod non potuit timor, id obsecratio potuit? non minæ, non supplicij metus, hominem ad æquitatem deduxit, & vidua, ubi supplex accessit, hominem ex agresti, & immani, mitem reddidit ac mansuetum? Quid igitur de DEO in hominem benignissimo censendum est, cùm vidua se ad pedes abjiciens, ferum ac ferreum hominem lenierit ac mitigarit? quantùm bonitatis, quantùm benignitatis, atque amoris in nos patefaciet Deus, qui solùm vult perpetuò misereri, punire nunquam: qui & supplicia nobis ob eximiam hnmanitatem comminatur, & magnos habet paratos honores, ut cùm timor, tùm spes honoris, recta nos deducerent: & spes quidem ad virtutem excitaret, metus verò à vitiis deterreret? Non queo ab iniquitatis Iudice avocare mentem, dùm in illius mansuetudine, quæ præter naturam erat, inexplicabilem DEI humanitatem erga homines amoremque contemplor: Nam si is qui nihil unquam boni præstare voluerat, immutatus repente, illius, quæ rogabat, misericordiâ commotus est, quantùm felicitatis è cœlo in nos precibus redundabit? Hæc Chrysostom. Ex his disce non tantum quâ fiduciâ orare debeas, sed quanta sit vis instantiæ, ac perseverantiæ: Vide autem in illustri exemplo, & magnitudinem perseverantiæ, & ejusdem potentiam: De Abrahamo loquor, quem ut ait Basil. de Constitut. Monasticis cap. 1. Deus, cùm ipse esset junior, vocavit, & è terrâ Assyriorum in Palestinorum fines transtulit, cùm ei dixisset. Tibi dabo terrâ hanc, & semini tuo post te, & sicut Astra cœli, sic erit semen tuum, quod numerari non poterit: Multorum deinde annorum jam numerus effluxerat, naturalisq; in eo

jam ad procreandum vis erat extincta, & jamjam moriendi tempus instabat: neque tamen ille cùm hæc eo modo pergere animadverteret, dixit unquam, Domine tu semper filios mihi promittis, & gentium multarum futurum me patrem prænuntias: naturales in me ad creandam sobolem vires exacta jam ætas extinxit, & Sara uxor mea senio confecta, amplius jam per annos parere non potest: proinde fallax est promissum tuum: Neutiquam hæc ille dixit, potiusque nec cogitavit quidem, sed fide immotus permansit: cùmque ætas quotidie magis ac magis ad senium declinaret, nihilominus excitabatur in eo, ac veluti juveneſcebat spes, & collabente corpore, & desperationem afferente, spes ipsi, & animo simul, & corpori vires addebat: sic enim secum & cum animo suo cogitans dicebat: DEVS est qui promisit, ipse est Dominus naturæ, & aliter, quàm quemadmodum ille promisit, res cadere non potest: ipse est qui quæ sua sponte fieri non possunt, ut fieri possint, facit: omnium enim rerum potens est, & arbitratu suo cuncta commutat: Hanc tu Abrahæ fidem imitare. Nos verò annum oramus, & desistimus posteà: biennium jejunamus, & jejunandi posteà finem facimus. Nolimus igitur animum ad DEI promissum despondere: Qui enim illi promiserat se multiplicaturum semen illius, idem quoque promisit nobis daturum se quidquid ab eo petierimus. Ita Basilius. Post patris exemplum, nullum propius afferri potest quam filij: De Isaaco loquor, qui ut adnotavit S. Chrysostom. homil. 57. de Diversis, pro uxoris suæ Rebeccæ fœcunditate annos integros viginti oravit: An non igitur (inquit) erubescimus, & confundimur, cùm justum videmus, tot annos expectasse, nec abstitisse? Nos verò post unam, vel alteram petitionem, sæpe deficimus, & indignamur: nam etsi hic multam apud Deum fiduciam habebat, tamen dilationem doni non ægrè ferebat, sed patienter expectabat: at nos innumeris peccatis onusti, pravâ conscientiâ torti, neculam erga Dominum benevolentiam exhibentes, nisi priùs, quàm elocuti fuerimus, audiamur, animo concidimus, ægrè ferimus, à precatione abstinemus, quò fit ut vacuis semper manibus recedamus. Quis spatio viginti annorum pro una re Deum precatus est, sicut hic justus? vel potiùs quis viginti solos menses? Ita Chrysostom. Perseverantia tamen evicit, & quem natura uterum clauserat aperuit oratio: Hinc disce, quid possit perseverantia, sive expectandi constantia.

Ex dictis itaque patet, si oratio fuerit bona, atque honesta uti à nobis superiùs explicatum est: deinde, si ex fide facta fuerit: denique si cum perseverantia, & alioqui nullum ponatur aliud à persona impedimentum, infallibiliter esse impetratoriam ex vi promissionis divinæ. Quâ re nihil dici potest de oratione majus, nihil præstantius: plùs enim potest aliquâ ratione, quàm merita; plus etiam potest, quàm amicitia; quò enim amicitia non pervenit, eò illa attingit: Audeo etiam dicere plus potest, quàm vel ipsa Sacramenta, quorum effectus sunt determinati, atque ad quædam restricti, cùm oratio nullis finibus includatur, sed uti diximus tam latè pateat quàm omnipotentia Dei. Vnde igitur in nobis tanta negligentia, unde tanta socordia? Numquid num voluntariè miseri sumus? quia tam facile remedium, & quod habemus in manibus patimur esse inutile?

Quid de his sentis, mî Auditor, quid judicas? sciebas ne in Oratione tantas latere divitias, tantum thesaurum esse absconditum? & si non ignorabas, quæ tuæ salutis incuria est, ut tanto bono non sis usus, uti oportuerat? Age, amabo, tot annorum

spatio

spacio, quibus vixisti, putas te aliquid à Deo per orationem impetrasse? Si nihil, unde illud accedit? Numquid te Deus fefellit? sed *fidelis permanet, & seipsum negare non potest*: Quam verò te unum orantem & clamantem non audierit, qui tam multos quotidie audit & exaudit: qui ut ait David Ps. 146. *Dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum*: An quia te audire noluit? sed non audire non potest, qui fidem suam obligavit: nec oratio repulsam unquam patitur: An quia audiri non membraris? Id facile credo: Sed numquid oratio vim habet obrinendi, propter justitiam orantis, ac non potiùs propter misericordiam audientis? nosti quæ diximus: Non quia amicus est: sed ideò qui petit, auditur, quoniam petit: *Nam omnis qui petit accipit*, & petitioni facta est promissio. Tùne scelerario Manasse? eius tamen oratio audita est. Túne miserior Publicano, qui ne oculos quidem in cælum tollere audebat: Et tamen *descendit in domum suam justificatus*: An quia nihil hactenus petivisti? Pudeat hominem Christianum, in tantis periculis constitutum, inter incredibilem inimicorum turbam degentem, tot rerum indigum, post tot Christi documenta, & admonitiones, nil à Deo petivisse? An non gratis miser es, & infelix, & pauper? Quis tui deinceps misereatur, quis te omni gratiâ non judicet prorsus indignum? Si Deus sua dona proponeret venalia, si pro eorum pretio, tuas divitias, tua commoda, tuas voluptates, tuam sanitatem, tuum sanguinem, tuam vitam deposceret, certè omnia dare debueras: Cùm vero unâ conditione tibi omnia polliceatur, nimirum ut petas, quæ supina socordia, quæ insensibilitas, quis animi furor non petere? Lucæ 11. *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cœlo, dabit spiritum bonum petentibus se?*

Quod si aliquid obtinuisti, quid illud est amabo? nescio si dicere potes, magis si audeas? Sed esto id verum sit, cur tua animatus experientia, præterito beneficio allectus, gustata Dei suavitate, non pergis ulterius cætera obtinere? Quod tibi supersunt virtutes habendæ? quot habes hostes non devictos? quot vitia non emendata? quot defectus modum correctos? quot dona, quæ non habes? quæ omnia ut habeas, unam tibi conditionem proponit Deus, ut petas ut postules: Nescis quæ in futurum tibi servantur, tua maximè referre, ut ea omnia tibi benè cedant; pœnitentia, perseverantia, mors, judicium? Si nemo sine pœnitentia salvatur, cur non oras quotidie cum Ecclesia, ut te Deus ad veram pœnitentiam perducere dignetur? Iacebat in lectulo brevi moriturus Augustinus; eo tempore Psalmos pœnitentiales, quos sibi justerat describi, lectitabat cum lacrymis: Quid te vexas hominum sapientissime? Quia (inquit) nemo sine pœnitentia salvatur. Jam si perseverantiam mereri nemo potuit, sine qua tamen nemo salvatur, si nullis datur, nisi orantibus, quid cessas mî Auditor, cur non petis, cur non postulas? quotidie mori potes, & qualibet die tuæ perseverantiæ alea verti potest; cur igitur quotidie non postulas? Quoniam verò tuæ mortis dies multis negotijs erit impeditus, multis doloribus vexatus, multis appetitus insidijs, ut vix in tam multa sufficere unus possis, quid non provides? quid illum diem, qui tua tantum interest Deo non commendas? De S. Agatha legimus quod agonem suum Deo precibus commendabat: quin tuum non commendas? ut eveniat tibi, quod dicitur apud Jobum, *In sex tribulationibus liberaberis, & in septima non tanget te malum*: Et quia in Iudicio cessabit juge sacrificium, & tunc Deus istar viri zelotypi,

ri zelotypi, qui uxorem deprehendit in adulterio, *non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima*: Idcirco præveni *faciem ejus in confessione*, & dispone sermones tuos in judicio: Certè Christus hoc unũ nos docuit remediũ Lu. 21. postquam docuit gravitatẽ eorũ quæ nos manent in morte, & in judicio: *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante faciem filij hominis.* Quæ cum ita sint, Auditores, facilè intelligitis, quàm in magna suæ salutis negligentia passim vivant Christiani, & quàm longè faliantur, cùm nesciunt quid in oratione cum Deo tractare possint, ubi tam multa, eaque maximi momenti sunt à nobis Deo proponenda, & petenda: neque id semel, sed quotide, sed semper, sed ut monet Christus, omni tempore. *Vsque modo non petistis quidquam, petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*: Veniet illud tempus, cùm oratio nostra verteretur in laudem, & in actionem gratiarum: *In illa die non me rogabitis quidpiam*: quid enim petat amplius, qui possidebit omnia? hoc unum tunc erit, quod ait Augustinus; Ibi nimirum videbimus, ibi amabimus ibi laudabimus, ibi regnabimus in sæcula sæculorum. Amen.

FERIA QVINTA

DOMINICÆ PRIMÆ IN QUADRAGESIMA.

CONCIO QUARTA

DE ORATIONE

Ubi tractatur tota Mulieris Chananææ Historia.

O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Matth. 25.

QUONIAM de Oratione á nobis dictum est, occasione Mulieris Chananææ, in qua cùm universa quæ ad orationem spectant, ita sint expressa, ut de ea muliere agere, sit de oratione tractare, æquum est ut illud exemplum, vobis uberiùs proponam, ut quæ hactenus à nobis de oratione dicta sunt intanto exemplo, ipso facto, vobis expressa ostendam: ea enim de caussa omnis illa historia ab Evangelistis enucleatiùs descripta est. Et ante omnia vide totius rei, & miraculi occasionem. Cùm enim Iudæi quæ à Christo dicta erant, minùs benè accepissent, & jam tempus appropinquaret, quo re gnum

regnum Dei ab eis transferetur, *egressus inde, secessit in partes Tyri & Sydonis*, hoc est in loca illis Civitatibus Gentilium vicina; hac loci mutatione, quantùm desideraret Gentium vocationem ostendens, & veluti rei futuræ edens præsagium, & Apostolos instruens, quid aliquando essent acturi; scilicet quomodò post ipsius resurrectionem, Judæis resistentibus Evangelio ad gentes essent transituri: quo autem successu id fecerit, rei ipsius naratio nos docebit: sed primus nobis à cælo gratia accersenda est. AVE MARIA.

QVEMADMODVM solent artifices suorum operum non solùm ideas habere internas, sed etiam externa facere exemplaria, quibus conformia edant opera: Ita Deus non solùm rerum perfectarum omnium internas habet ideas, sed fecit rerum omnium externa quædam exemplaria, ad quæ cætera omnia conformantur; ea autem solent esse mensura reliquorum. Ita in natura Solem fecit omnium lucidorum exemplar, Ignem omnium calidorum: quòd enim in unoquoque genere est primum omnium, solet esse reliquorum mensura. Idem fecit in moralibus, & in virtutibus. Ita nobis dedit Abrahamum, ut insigne exemplum fidei & obedientiæ, unde ut ait Apost. Hebr. 11. *In parabolam illum accepit*: Mosem dedit in exemplum fidelitatis Hebr. 3. *Et Moyses quidem fidelis erat in totâ domo ejus, tanquam famulus*: Davidem in exemplum mansuetudinis, *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*: Ps. 131. Eliam in zeli exemplum: 3. Reg. 19. *Zelo zelatus sum, pro Domino Deo exercituum, quia reliquerunt pactum tuum filij Israël*, &c. Et ut innumeros præteream optimæ orationis specimen, & quousque vires ejus perveniant, in Muliere Chananæâ expressit.

Et primò quidem ne putares obtinuisse quòd voluit ratione sui meriti, genus ejus declarat; nimirum quod esset Chananæa: Marcus gentilem vocat, ut scias infidelem. Deinde ne crederes ideò esse auditam quòd pro se petiisset, nullam sui fecit mentionẽ, sed filiæ suæ: *filia mea malè à Dæmonio vexatur*. Verum cùm omnia ad orationis perfectionem, & consequenter ad eius infabilitatem necessaria habuerit, illud tamen inter cætera in illa præcipuum est, atque eminet, quod suâ perseverantiâ, instantiâ, sustinentiâ, & importunitate videatur à Christo, quasi invito, miraculum extorsisse, & quasi vim atque violentiam intulisse: uti de orationibus in communi factis, dixit Tertul. Apologet cap. 39. Coimus in cœlum & congregationem, ut ad Deum quasi manu factâ, precationibus ambiamus orantes: hæc vis Deo grata est: Verùm in ea omni agendi ratione, nescio utrum è duobus debeam magis admirari; aut generosam oppugnationem quam adhibuit illa misericordiæ Dei, eam adigendo ad succurrendum miseriæ suæ; aut arduas tentationes quas Salvator suppeditavit illius patientiæ fidei & longanimitati.

Atque ut à primâ aggressione incipiamus, quis non credidisset, eam ab ipso initio, ingressuque ablaturam esse, tanquam per vim, effectum postulationis suę, adeò se primo aditu dignam præstitit quæ exaudiretur? Vtque ait S. Ioannes Chrysostomus hom. 53. in Matth ex quo plurima hunc in locum transferemus: considera omni beneficio dignam mulierem fuisse, & ut melius tibi persuadeas, audi narrationem ex ore Evangelistarum. *Et ecce Mulier Chananæa à finibus illis*

illis egressa, clamavit dicens ei: Miserere mei fili David, filia mea malè a Dæmonio vexatur.

1. Qualitatem mulieris notat, erat enim Chananæa, quam vocem cum audieris (inquit Chrysost.) non poteris non meminisse iniquissimarum gentium illarum, apud quas leges, etiam ipsius naturæ, funditùs eversæ fuerant: Quà in re summum est ejus meritum, quod quanquam nullâ lege, nullis Prophetis fuisset commonita: licet nulla coràm fieri vidisset miracula, sed tantum communi famâ ob vicinitatem audisset: licet intelligeret Christum esse Iudæum: Iudæos autem eas gentes detestari, quoniam erant Infideles, & incircumcisæ: Vnde Marcus eam vocat Gentilem, & Græcam ἑλληνίν. non quod esset Græca genere, sed pro consuetudine Iudæorum, qui omnes Ethnicos, & à verâ religione alienos, vocare solebant Græcos, ut patet ex Actis Apostolorum, & ex Pauli Epistolis *Iudæo primùm & Græco*, quia scilicet Græci rerum apud Syros erant potiti, unde noster Interpres Gentilem vocat, seu Infidelem: sed Matthæus vocat Chananæam quia ex gente Chananæorum erat oriunda, quorum reliquiæ remanserant in terrà illà quæ olim à Chananæis seu filiis Chanaan possessa fuerat: itaque, inquam, licet ipsa Evangelij prædicationem nunquam audisset; nam Apostolis, cum prædicare mitterentur, id mandati Christus dederat: *in viam gentium ne abieritis*: ac licet innumeris rationibus à petendo deterreretur; quòd ignota esset, quòd externa, quòd ratione totius gentis inimica, quòd ratione suæ religionis non tantùm contraria & abominabilis, solâ tamen suâ miseriâ & infortunio suo miseranda, audacior, & confidentior facta, plena spe & fiduciâ ad Christum accessit.

2. Non ausa fuit ire in Iudæam, quoniam seipsam putabat indignã; nisi enim is timor eam deterruisset, ipsam Hierusalem profectò petiisset: quod facile colligere possumus tùm ex ardore fidei ipsius, tùm ex eo quod egressa est ex finibus suis.

3. Cùm Christus silentio voluisset ignotusque in eam regionem ingredi; (nam ut ait Marcus, *neminem voluit scire*: videlicet, ne videretur eo animo venisse, ut contra quàm Apostolis præceperat gentibns prædicaret, & palàm apud eas miracula faceret, quâ ex re Iudæi occasionem sumere potuissent dicendi se justè illum non recipere, qui cum prophanis gentibus commercium haberet:) mulieris tamen diligentia, atque studium id antevertit, unde ait Marcus *& non potuit latere* nimirum per ea omnia quæ fecerat, ut lateret, occultè veniendo, nec se per seipsum manifestando.

4. Vide diligentiam atqne operam quam navavit. *Egressa* namque *à finibus suis*: ac filiam quidem in tanto periculo constitutam domi reliquit, rata dum medicum quæteret filiam perire non posse: sed vide quale pietatis spectaculum excitavit: *Ecce Mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamavit, dicens ei. Miserere mei fili David, filia mea malè à Dæmonio vexatur.*

5. Itaque non ausa ad Magistri & Domini conspectum Dæmoniacam filiam adducere: sed illâ domi relictâ sola ipsa ad supplicandum ptoficiscitur. Insuper ne accedit quidem sed eminùs clamat: Erat certè miserabilis res quædam, ut ait Chrysost. Mulierem aspicere, tàm magno dolore coactam exclamare: mulierem (inquam) & matrem, & pro filiâ quæ malè vexabatur: miserabilis res erat, exclamantem præ dolore aspicere: Clamor equidem dolorem, atque animi angustiam ostendit: Quæ verò ex dolore, atque animi angustiâ & humilitate oratio procedit, ea maximã habet vim, atque robur: nam ut ait idem homil. 5. de incomprehensibili naturâ Dei. Ea po-

potissimum orationes exaudiuntur, quæ presso afflictoque animo redduntur, secundùm illud Prophetæ. *Ad Dominum cùm tribularer, clamavi, & exaudivit me*: Ut enim aqua dùm per plana & ampla spatia fertur, non in altum exurgit, sed tenuem sese quaquaversus expandit: cùm autem manu artificum, subtus colligente stringentéque, coacta fuerit in angustum, jam inde constricta, omni telo velocius se in excelsum jaculatur, petitque regionem supernam: sic mens humana, dum otiosa, & liberior quàm expediat, degit, diffunditur, latèque diffluit: dùm autem rerum eventu asperiori, casúque subtus coarctante, adverso sollicitatur; jam agiliùs se extendit, & intentas dilucidasque, seu claras, ac resonantes orationes mittit in excelsum. Clamor igitur mulieris Chananææ, vehementiam orationis ejus indicat. Quod verò ejus clamor, oriatur ex dolore, atque afflictione, id oratio eius satis probat: Etenim *clamavit dicens ei*: *Miserere mei fili David*: Miseram se dicit, & ideò se misericordiam implorare. Nec dicit Miserere filiæ meæ. sed *miserere mei*: Num illa expers sensus jacet? Ego verò, vult dicere, illa sum, quam sensus morbi non fugit, quæ sentiens, atque intelligens insanio, & mille vexor ærumnis. Eâ verò ratione magis commovet, dùm ostendit non unius tantùm hìc agi periculum, sed duarum: Matris, & filiæ: Ad hæc ipsa in filiam Matris charitas aliquid merebatur: totam igitur in luctu domum ostendit; unde clamat, *Miserere mei*: Cùm verò addit, *fili David*, omnes affert ad impetrandum machinationes: Etenim eum Messiam, ac Christum agnoscit, & eam fidem profitetur, quam quotidie Dominus, tot miraculis, tot doctrinis, tot Scripturæ testimonijs à Iudæis exigebat: ipsa verò nullis erudita Scripturis, nec visis miraculis provocata eum Messiam agnoscit ac regem; atque ita hæredem ac filium Davidis. Ejus autem potissimùm meminit, ut ei Davidis mansuetudinem ac bonitatem ob oculos poneret, secundùm illud Prophetæ. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*: Quæ verò sit sua miseria, sic exponit, *filia mea malè à Damonio vexatur*. Morbi quidem genus exponit tantummodò, nec aliud quidpiam addit, tùm ut ostendat, eam esse morbi, & calamitatis magnitudinem, ut nihil gravius dici possit: tùm ut demonstret se ita de eius misericordiâ confidere, ut necesse aliud non sit quàm necessitatẽ suã exponere. Ita Lazari sorores, *Ecce quem amas infirmatur*: Medicum autem non in suam domum, ut Regulus ille adducere conatur, qui dicebat, *Veni, & impone manum tuam, & descende antequam moriatur puer meus*: sed expositâ suâ calamitate, & narratâ morbi filiæ suæ magnitudine, misericordiam à Domino vehementiùs postulabat, clamans *Miserere mei, Fili David*: O mî Deus! quanta vis, quàm acris violentia, ipsoque in aditu quam vehemens sollicitatio! quid non merebatur eiusmodi precatio, quid non debebat aggressio tam violenta auferre? Considera omni beneficio dignam mulierẽ, seu personam quæ petit; Mater est quæ petit: Pro quo petat; pro filiâ, quæ nec potest pro se petere: Et quid petat; liberationem à summâ & urgente necessitate: Et modum petendi; quia clamat: Et quid interponat; nempe & Dei misericordiam, & Mediatoris officium. Verum de hoc priori conatu satis est.

Videamus consequenter primam ipsius patientiæ probationem. *Ipse autem non respondit ei verbum*. Quàm hoc novum atq; inauditum est, ait Chrysol. Ipse quidem Iudæos ingratos & blasphemantes ultrò inquirit, rationibus etiam inducit, & blasphemantes rogat, & tentantes non negligit: hanc autem quæ sponte venit, quæ deprecabatur, & supplicabat, quę

quanquam nullâ lege, nullis Prophetis commonita fuit tantâ cum reverentiâ acceſſit, nec reſponſo quidem dignam putare videtur. An 1° quia ei fides deerat? hoc certè dici non poteſt. Credidit enim Ieſum eſſe filium David, hoc eſt, Meſſiam, & Salvatorem à Iudæis expectatum: ſic quippe paſſim Iudæi Meſſiam exprimebant, per circumlocutionem, cùm filium David vocabant: Itaque Angelus ad Mariam, Lucæ 1. *Dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus.* Credidit etiam poſſe, & velle quibuſlibet ſalutem afferre, etiam indignis: itaque licet talem ſe noſſet, non dubitavit ab eo ſanitatem filiæ depoſcere. Credidit etiam ejus poteſtatem ſuperiorem eſſe Dæmoniacâ virtute, neque putavit illi opus eſſe oratione, aut precibus, aliorum more, ut filiam ſuam ſanaret, ſed poteſtate ſuâ id poſſe efficere, etiam abſentem: unde non dicit, ora Deum pro me, aut deſcende ad filiam meam, ſed tantùm, *miſerere mei*, & *adjuva me.* Denique credidit illum unicum eſſe Salvatorem divinitùs datum hominibus: itaque ad illum ſolum confugit, & illum majora poſſe patrare, quàm filiam ſuam a Dæmone liberare, ideoq; hoc miraculum vocavit tantum micam. An 2. quia non ſatis habebat fiduciæ? Sed vide qualem habuerit ut derelicta domi filia eum ſecuta ſit, nec dimiſerit donec obtinuerit, quaſi certa eſſet ſe obtenturam. Quis porrò miſericordia flexus non fuiſſet, cùm pro laborante filia ita humiliter ſupplicantem, oculis cerneret? nec enim quaſi digna, nec quaſi debitum efflagitans adijt, ſed miſericordiam petebat, & calamitates ſuas tragicâ oratione narrabat. Nullo tamen reſponſo digna viſa eſt. Certè hîc liceat uſurpare quod alicubi dixit S. Auguſtinus, cùm quidam ipſius amicus oraret cum lacrymis & ejulatu ſecandus à Chirurgo ob fiſtulam, aſſiſtentibus precanti multis Epiſcopis, è quibus unus erat Auguſtinus: Domine ſi tales preces non exaudis, quas exaudis? Audierant ſanè multi eum adeo eſſe miſericordem; quia circumiens civitates, & pagos Iudææ, ægrotos omnes curabat: hanc tamen vident malorum ſuorum remedium depoſcentem, repelli: Multi forſitan eorum, qui aderant, aut qui audierant ſcandalum paſſi ſunt, ipſa verò nec commota quidem fuit: Quid dico, multos qui audierant, cùm diſcipulos ipſos mulieris calamitate comotos, fuiſſe non dubirem, non tamen auſi ſunt dicere concede quod ipſa petit, rati aliquid ſubeſſe in ſilentio Chriſti.

Ipſa itaque 2. rem de integro aggreditur, ac diſcipulos interponit atque interpellat: audi enim quid dicat Evangeliſta. *Et accedentes Diſcipuli ejus, rogabant eum dicentes, dimitte eam: quia clamat poſt nos:* quaſi aliquid minus ipſa mereretur, Apoſtolos interponit: quaſi nimium audax fuiſſet, quæ per ſe tantùm Dominum adiiſſet: putavit itaque ſe per ejus domeſticos obtenturam, quod per ſe obtinere non potuerat. Ad hæc ne uni tantum moleſta eſſet, omnes ſimul & diſcipulos & Magiſtrum interpellabat. *Quia clamat poſt nos:*

Sed audi alteram etiam ejus conſtantiæ probationem: Qui enim rogantem mulierem dignatus non fuerat reſponſo, ita Apoſtolis pro êa rogantibus reſpondet, ut omnem ſpem impetrandi præcidere videatur. *Non ſum (* inquit) *miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël.* O vocem ipſo ſilentio accerbiorem! Si ipſa loquitur, Chriſtꝰ non reſpondet: Si Apoſt. interce dunt, ita reſpondet, ut omnẽ ſpem eximat: neq; enim de ſuâ voluntate aliquid dicit. Etenim ſi nollet, precibꝰ flecti poſſet, ſed impoſſibilitatem oſtendit, & quod non debeat, itaque nec fieri poſſit: quoniam cùm non agat niſi miſſus, ac tantum ad oves Iſraël ſit miſſus, nil alij ab ipſo ſperare poſſint: quid hic igitur mulier ſperaret, cùm ne fieri quidem poſſe ſperaret? Ad hæc cùm videret patronos ipſos, & eos, Apoſtolos, repulſam paſſos eſſe: immò cum eos videret tali repulſa in ſilentium eſſe redactos, jamque rogare deſiiſſe, quòd ſe fruſtra rogaturos cognoſcerent, quid ſpera-

re

re ipsa ulterius poterat? Quid igitur mulier posteaquàm hoc audivit? Nùm tacuit, ac destitit, aut alacritatem remisit? nequaquam: sed magis instabat: Nos verò non ita: Nam cùm id non assequimur, quod volumus, desistimꝰ cùm propterea magis instare oporteret. Verùm quem non perplexum reddidisset talis responsio? quem ardorem non fregisset? fingas re illius mulieris loco fuisse, & tibi sic à Christo responsum; quàm citò desperasses? Attamen non desperavit mulier, sed cum videret patronos suos nihil effecisse, pulchrâ quadam inverecundiâ inverecunda fuit.

Audi itaque tertiam ejus instantiam, atque hinc disce, quamꝰ in oratione constans, quàm pertinax, quàm perseverans, quam importunus esse debeas: Cùm enim à principio inconspectum venire ausa non fuisset, dicunt siquidem Apostoli, *quia clamat post nos*: quo tempore consentaneum videbatur, ut ipsa rebꝰ desperatis longiùs abiret, aut ad suos reverteretur: *Tunc*, ut ait Evangelista, *illa venit*, id est accessit, *& adoravit eum, dicens, Domine, adjuva me.* Quid hoc est mulier? Num plus habes fiduciæ quàm Apostoli, num plus virium? Fiduciæ (inquit) & virium nequaquam: quin & pudore abundè suffundor: attamen ipsam inverecundiam pro supplicatione propono. Non meritis fulta accedo, sed miseriâ, & importunitate: ut spero meam fiduciam, & libertatem verebitur, eumque mea tanget calamitas: satis sum misera, ut succurrere mihi velit: satis sum infelix, ut importuna fieri possim: & tàm ero importuna ut obtineam tandem quod peto. Sed quid hoc ô Mulier? Annon ipsum audivisti dicentem, *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israël*? Audivi (inquit) sed ipse Dominus est: propterea non dicebat, ora, & precare, sed *miserere mei*, sed *adjuva me*: sic missus est ad oves Israël ut esset & illarum & omnium Dominus.

Audivisti tertiam mulieris instantiam, audi etiam tertiam virtutis ipsius probationem, cui similem nullibi unquam leges. Certè Christus non ab initio illâ usus est, durior enim fortasse visa fuisset; sed cùm mulierem, per minores probationes expertus fuisset, tùm demùm ipsam summâ istâ probatione exercet. Quid igitur? ipse Christus prioribus non fuit contentus repulsis, sed rursum auxit desperationem, dicens: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Suaviùs, & optatiùs non responderat, quando ipsâ clamante, *non respondit ei verbum*: nam beneficium petebatur, quod ipse poterat non concedere, neq; enim petebatur ut debitum, sed quod gratuitò daretur, & quod poterat negari, præsertim cum longiùs abesset, quasi clamantem non audisset, aut quid veller, nesciretur: Quod Apostolis responderat, ferendum videbatur; nam voluntatem suam non causabatur, sed alterius quasi imperium: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*: Nunc verò, non jam ad alios causam traducit, nec se affirmat non esse missum, sed præsentem, & in genua postratam, contumeliâ afficit, alijs postponit, atq; canem appellat, quâ appellatione nulla vilior, nulla contumeliosior fingi potest. *Non est bonum*, καλὸν, hoc est honestum. *sumere panem filiorum, & mittere canibus*: Iudæos, non oves, ut priùs, sed filios, ipsam verò canem appellat: incongruum autem ait esse, quæ dantur Iudæis ut filiis, illi projici tanquam cani: Quid illud tandem est? quantò illa ferventiùs orat, tantò ipse vehementiùs retrudit? Quis non offensus discederet, quis non indignaretur? quis non quereretur se contumeliâ appetitum? si negandum fuit beneficium, nonne satis fuit non dare, præsertim tam necessarium, & tam afflictæ & perditæ mulieri, quod tanto dolere, & tantis lacrymis petebatur, quodq; tam facilè donari poterat, & quod à donante, tam facili, tam benefico, & in omnes tam propenso petebatur; quæ omnia ad dandum impellebant?

Quid hîc mulier faciet? sperabit, opinor, ut Christus aliud faciat, quàm id ad quod missus est? ut id concedat, quod incon-

gruum est, & inconveniens? sperabit, ut qui tam asperè locutus est, qui cum tantâ contumeliâ reiecit, factis tamen sit amabilis ac liberalis? Audi mirabilem Mulieris constantiam, & virturem: Audi vim mirabilem orationis: atque ab exemplo mulieris disce, quantum valeat deprecationis instantia, atque importunitas. Ab ipsis Christi verbis deprecatoriam orationem connectit, & quartò vehementiùs instat, atque perrumpit: *Etiam Domine* (inquit) *nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensâ dominorum suorum*: sensus est. Tu me canem vocas, etiam Domine, me canem agnosco, canis sum, hoc fateor: sim sanè canis, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensâ dominorum suorum: itaque saltem de micis debeo comedere: Vide 1. Mulieris hujus maximam humilitatem, quæ non irascitur, neque offenditur, dum canis appellatur, sed magis ipsamet se canem appellat; Item non invidet Iudæis, cùm audit eos vocari filios, immò ipsa Dominos suos illos appellat: Vide 2. constantiam, nullâ enim ratione patitur se dimoveri à fiduciâ obtinendi: Vide 3. prudentiam, quâ sic arripuit Christi responsionem, ut eum verbis suis quasi illigarit: nam ex responsione Christi, concludit sibi concedendum quod petebat: Itaq; quod disputantes vulgò dicere solemus, cùm adversarius aliquid dicit, quod maximè nobis putat adversari, nos autem existimamus, causam nostram maximè juvare, indèq; argumentamur, id ipsa nunc præstat dicens: Hoc est quod volo me esse canem, *nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensâ dominorum suorum*: Micas appellat minora, ac minùs frequentia miracula, ut Theophylactus annotavit: Quasi dicat non peto à te, ut passim hic, sicut apud Iudæos, miracula facias, ut cœcos cures, mortuos exsuscites; sed unum tantum, & suâ naturâ minus difficile, ut Dæmonem à filiâ meâ expellas: Cùm verò ait *quæ cadunt de mensâ*: significat non rogare se, ut ex professo, quemadmodum apud Iudæos, miracula faceret, sed ut obiter, & quasi transeundo: non quasi dederis, ac ne projeceris quidem, sed quasi tibi exciderit, quemadmodum solent ex mensâ divitum micæ cadere.

Quid expectatis, Auditores, ex eâ instantiâ secutum, nisi Christum quasi nolentem, victum, atque adactum esse ut faceret, quod misera mater sic postularat? Vt autem scias victum fuisse, audi concedentem, sed potius audi exclamantem; *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.* Vide quanta sit virtutis præstantia: non tantùm obtinuit quod petebat, sed quod majus est, virtutis approbationem, & commendationem, immò & admirationem: Tu verò non admiraberis, quod vel Christus admiratur! *Fiat tibi sicut vis*: hoc est tantæ fidei, & constantiæ negari nihil potest. Atqui dixeras, non esse bonum, neque honestum mittere canibus panem filiorum? at quod per se non erat honestum, id precationis instantia fecit honestum, & bonum: Sicut quæ erat extranea, & alienigena, immò indigna, & canis, eam tamen precum frequentia dignam fecit, non tantùm ut inter filios censeretur; sed etiam, ut multis laudibus honestata dimitteretur: dixit enim, *O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis*: In primis, ac si diceret, fides quidem tua, majora quam petis, posset impetrare: veruntamen fiat, sicut vis: si plura, si majora voluisses, impetrare potuisses: fiat itaq; sicut vis: hæc vox illi affinis est (ait Chry.) quâ dictũ est, fiat cœlũ & factũ est cœlũ: *& sanata est* (inquit textus) *filia ejus ex illâ horâ*, vocem enim dicentis effectus est secutus. Deinde uti scias non parum ab ipsâ ad curationem filiæ fuisse collatum, ideò non dixit Christus. Sanetur filia tua: sed *magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*: quasi diceret, quod fiet, erit quia vis: ac ne existimes, id gratiâ assentationis dictum, rerum eventus fidem matris ostendit, nam *sanata est filia ejus ex illâ horâ*. Denique cùm dixit,

zit, *fiat tibi sicut vis*, ostendit, nihil ab Apost. in re mulieris factum fuisse, sed totũ ab ipsâ perfectum fuisse. Uti enim animadvertit S. Chrysostom, serm. 27. de Diversis, rogarunt Apostoli, rogavit & ipsa: & ad illos quidem dixit, *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israël*: quando autem ipsamet accessit, & perseveravit clamans, ac dicens, *Etiam Domine, nam & catelli edunt de mensâ dominorum suorum*, tunc beneficium dedit, & ait, *fiat tibi sicut vis*: Vides quomodo repulit, cùm alij precarentur: ubi verò ipsamet orans pro dono clamavit annuit. Ex quibus omnibus Sole clariùs patuit quantam vim obtineat in oratione perseverantia.

Cæterum congruentissimè hanc conditionem ad impetrandum Deus instituit: Sæpè enim expedit, ut Deus non statim concedat, quæ petuntur ob multas rationes à SS. PP. allatas. Ex multis quas afferunt, paucas subjiciã.

1. Esse potest, Quia cùm ferè sola necessitas ad orandum nos impellat, fit ut si statim obtineamus ab oratione desistamus: Deus igitur ad amator hominum, eos diutiùs detinet, ut cogat secum esse diutiùs, atque versari; uti Patres solent facere, qui liberis dare procrastinant quæ dare volunt, ut eos diutiùs secum habeant: nõrunt enim filios, ubi obtinuerint quod volunt, discessuros. Audi Chrysost. homil. de Pœnitentiâ. Ne dixeris multùm oravi, nec exauditus sum: Etenim vel id sæpe tuæ utilitatis fit gratiâ: novit enim quòd piger es, & animum despondes, & si compos voti fueris, abis jam non orans, & per occasionem orationis, pertrahit te, quò crebriùs Deum alloquaris, orationéque excitetis: Nam si eâ in necessitate existens, atque indigens pigritaris, neque orationi insistis; quidnam egeris horum, si nullo indigueris? itaque id tibi facit, quo frugi tibi res fiat, nolens te jugi absistere oratione.

2. Causa est, Quia sæpe qui petit, non est dispositus ad recipiendum, & paulatim orando disponitur: Hoc significavit Augustinus serm. 5. de verbis Domini. Petendo, & quærendo crescis, ut capias.

3. Causa. Quia vult cogi, & gaudet manus conserere cum creatura suâ: Id expressum in Iacob Luctatore, qui non aliam benedictionem obtinere potuit, quàm eam, quam violentia extorsit & perseverantia: *non dimittam te donec benedixeris mihi*: Guerricus Abbas Igniacensis serm. 2. in Nativ. S. Ioannis Baptistæ. Bona igitur violentia, quæ benedictionem extorsit: fœlix lucta, qua Deus homini succubuit, victusque victorem, gratia benedictionis, & honore sanctioris nominis muneravit: Vide autem in quo consistat ea lucta: subdit enim: An non tibi cum Angelo, immò cum Deo ipso luctari videris, quando quotidie præproperis tuis votis resistit? Clamas ad eum, nec exaudit te: vis accedere ad eum, & repellit te: Decernis rem, & in contrarium tibi cecidit: O dissimulatrix clementia, quæ duritiam te simulas! Quanta pietate pugnas adversus eos pro quibus pugnas? licet enim hæc celes in corde tuo, scio tamen quia diligis diligentes te: & immensa *multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te*. Noli igitur desperare, constanter age felix anima, quæ cum Deo luctari cœpisti: amat utique vim abs te pati, desiderat à te superari. Vnde subdit. Si qua videtur tibi adversari difficultate, aut duritia, ne sis pusillanimis, sed intellige qua mente id faciat. Nempe ut contrarietate ipsa, tibi acuat animum: sicut solet esse natura magnanimorum, ac fortium, ut vires exercitet, constantiam probet, multiplicet victorias, augeatque coronas.

4. Causa. Quia sæpe oratio melior est ea re, quam petis, melius igitur fuerit te diutius orare, quàm re accepta desistere: Hoc significavit Nilus de orat. cap. 32. Ne petas à Deo imperiosè, quod statim velis impetrare, vult

enim te beneficio afficere in oratione perseverantem : Quid enim beatius, quid excellentius, quàm cum Deo colloqui, & usu ejus detineri, & conversatione ?

5. Quia sæpe quod petitur non est tunc utile, erit autem posteà : ut quod petebat S. Petrus cùm dicebat *bonum est nos hic esse*, tunc enim erat, non tempus quietis & fruitionis, sed certaminum.

6. Vt res postulata majori in pretio habeatur, & in desiderio sit, ac diutiùs custodiatur : Augustinus loco citat 5. sermon. de verbis Domini : Cùm aliquando tardiùs dat, commendat dona, non negat : diù desiderata dulciùs obtinentur : citò autem data vilescunt : Servat tibi DEVS, quod non vult citò dare, ut & tu discas, magna magnè desiderare : Basilius in Constitut. Monasticis cap. 1. Eâ re fortasse differt quæ daturus est, ut hoc modo magis te ad assiduitatem vocet, & ut intelligas quod sit donum DEI, & ut datum diligenter custodias : si quidem nititur unusquisque, quod magno labore invenit, id majore etiam quâdam diligentiâ custodire, ne eo amisso labores etiam una cum eo suos multos amittat, néve neglecto DEI munere æternâ vitâ indignus efficiatur. Quid enim profuit Salomoni, citò sapientiæ donum invenisse, quod posteà erat amissurus ? Proinde noli unquam animum despondere, nisi celeriter invenias, quod rogas : Si enim intellexisset Dominus, te si celeriter impetrasses, id nequaquam esse amissurum ; sine dubio, quæ ejus est bonitas, ultrò ipse tibi, nullo tuo rogatu detulisset : nunc verò tibi prospiciens, hoc facit : Etenim si qui talentum quod acceperat, & salvum custodierat, is tamen propterea quod illud ad quæstum non contulerat, condemnatus fuit, quomodo non verisimile est eum multò graviùs mulctatum iri, qui illud etiam amiserit ?

7. Vt fides exerceatur, nam si statim daretur, quidquid postulatur, esset potiùs experientia quædam quàm fides : fides enim maximè exercetur in illâ expectatione, & sustinentiâ.

8. Vt aliquando fides orantium demonstretur, quemadmodum in muliere Chananæâ : nam ut ait S. Chrysostom. de Diversis serm. 27. in fine, docet Christus quod dare distulerit, non ut eam repelleret, sed ut patientiam mulieris, omnibus monstraret : Nam si propter repulsam distulisset; neque tardè ei donasset, & nos minimè agnovissemus mulieris ab initio usque ad finem, fortitudinem; *Dimitte eam* (inquiunt) *quia clamat post nos* : Vos auditis vocem, ego mentem video : scio quid dictura sit: Nolo thesaurum mentis ejus occultum permanere, sed expecto, & sileo, ut manifestetur, & omnibus clarus fiat. Ac licet nullæ tales essent rationes, nihilominus tamen, quia Deus talem posuit, ad impetrandum necessariam conditionem, illa nobis subeunda est.

Verùm quia in omnibus prudentia exhibenda est, etiam illa perseverantia secundùm regulas prudentiæ sic regenda est : 1. Vt nunquam ab oratione desistamus, aut propter diffidentiam, aut propter animi dejectionem, aut propter impatientiam. 2. Vt si fiat oratio pro bonis temporalibus, interdum ex dilatione concessionis, vel ex aliis successibus aut effectibus, sumi possit conjectura, non placere DEO concedere quæ petuntur. Et tunc desisti possit à tali petitione, cum humili submissione, & conformitate cum divinâ voluntate, semper credendo, ita nobis fuisse expediens : sicut in universum faciendum est quando evidenter con-

constat nostrum desiderium, & petitionem non successisse. Quando verò petitio est de bonis spiritalibus, non est facilè desistendum, tùm quia talis oratio per se semper utilis est, tùm quia sæpe impetrat, & habet suum effectum, quamvis nos lateat: ut si quis petat remotionem tentationis, quâ semper appetitur, non propterea desistere debet; quia fortasse, vel per illam orationem impediuntur aliæ tentationes, quæ essent magis noxiæ; vel ista suo tempore tolletur, quando nimirum erit expediens; aut si duraverit, durabit etiam victoria impetrata per talem orationem: Denique sæpe accidit, ut quæ petimus, non accipiamus, ut scilicet rectiora nobis donentur, secundùm illud Augustini epistolâ 34. ad Paulinum: Bonus autem Dominus qui non tribuit sæpe quod volumus, ut quod mallemus attribuat. Vide autem inter duas ultimas orationis conditiones, mirabilem circulum, nam fides, & fiducia perseverantiam affert, uti enim de Abrahamo dixit Apostolus, *Non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide.* Roman. 4. Ita vice versa perseverantia fiduciam accendit: Nam nihil magis fiduciam promovet; quam conditionum impletio: cum certum sit fidei, si nihil obstet ex parte nostra, DEVM suam promissionem impleturum: Adde quod cum DEVS dat perseverantiam in petendo, signum est velle largiri id quod inspirat, ut petatur:

Vnum non prætermittam, sæpe orationem fieri, cum tanto fervore, & intensione, ut ista perfectio diuturnitati atque perseverantiæ æquivaleat: qua de causa dixit Christus, *oportet semper orare, & non deficere*: id est, non deficere, quo usque oratio eum habeat perseverantiæ gradum, quem requirit, præstantia rei petitæ in oratione, aut tanto fervore fiat ut suppleat perseverantiam, uti patet in Publicano, in Centurione, in Patre Lunatici, & singulariter in nostra muliere Chananæa, & aliis multis.

Ex quibus omnibus veram rationem habemus cur passim nostræ orationes non exaudiantur: *Petitis enim & non accipitis, eò quòd malè petatis*: Quàm enim frigidè, quàm supinè, quàm oscitanter. Anna rogavit cum lacrymis & impetravit: Quin cum DEO luctaris, & pugnas; nec dimittas nisi benedixerit tibi? Pete, quære, pulsa, lacrymare, ingemisce, clama, obsecra, obtestare, insta opportunè, importunè, certa, luctare, impelle, coge, vim infer, ne dubites, obtinebis: si non quod petis, certè quid melius: si non cum petis, aliquando tamen. *Deus fidelis permanet, seipsum negare non potest*, hoc promisit, hoc stipulatus est, hoc juravit. Tu felix cujus gratia Deus juravit: Infelix qui nec DEO juranti fidem habeas: Pete itaque ut habeas, quære ut invenias, pulsa ut tibi aperiatur: sed pete aliquid DEO dignum: quære quod reperisse, sit felicitas: pulsa, ut cum apertum tibi fuerit, introeas in gaudium Domini tui.

Amen.

FERIA

FERIA QUINTA, vel SEXTA DOMINICÆ PRIMÆ *IN QVADRAGESIMA.*

CONCIO QVINTA

DE ORATIONE.

De modo quo facienda sit Oratio.

O Mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Matth. 15.

OMNIS virtus practica est, & ideo quæcumque de virtute disputantur, ea praxim respicere debent; propterea que parvæ utilitatis est cognitio de Oratione, nisi praxim respiciat. Refert S. Lucas cap. 11. Cùm Christus oraret in quodam loco præsentibus Discipulis, & orare desiisset, accessisse unum ex illis, qui dixit; *Domine doce nos orare, sicut docuit & Ioannes Discipulos suos*; unde videmus quandam esse veluti orandi artem, atque methodum, quam unusquisque nostrum scire debeat. Quòd si passim homines scire volunt artem suam, ac nemo est qui aliquo Doctore non utatur; Si multi artem oratoriam magno pretio didicerunt, & in eo munere Isocrates divitias maximas comparavit, cur non potiùs omni studio benè orare discamus, quoniam ait S. Augustinus Homil. 4. ex 50. Verè novit rectè vivere, qui rectè novit orare. Sed quo mitiore magistro discemus quàm eo qui *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; *Nam quid oremus, sicut oportet nescimus*: verùm ille *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, & quâ meliore magistrâ, quàm eâ cui dicitur à sponso in Canticis Canticorum, cap. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* & cap. 2. *sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies tua decora.* Cui dixit Pacificus ille Salomon cap. 2. 3. Reg. *Pete Mater mea, neque enim fas est ut avertam faciem tuam*; ipsa est, quam salutans Angelus, dixit ei, Ave Maria.

INitium petamus ab eo quod Nyssenus notat oratione secundâ de Oratione Dominicâ: scilicet quòd si Moses ubi populum Israëliticum de rebus sacris instituit, eum ad montem adduxit, ut videret Dei gloriam, eumque tri-

triduanâ castitate & aquâ lustrali præparavit; id Christus magnificentiùs fecit, non nos ad montem sensibilem deducendo, sed in ipsos cœlos, cùm de oratione voluit instituere; est enim oratio sacrum & divinum quoddam opus. Cùm verò multa nos de oratione docuerit duo tamen præcipuè. 1. quod orare oporteat. 2. quâ ratione sit orandum: Et primum quidem multipliciter docuit, 1. verbis nos hortando, *Oportet semper orare: Petite & accipietis, Nondum petistis quidquam: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem: Vigilate omni tempore orantes*, & alia multa ejusmodi, quibus nos ad orationem invitavit. 2. Exemplo suo. Nam licet omnia Pater dedisset in manus, nihil tamen unquam effecit sine oratione. Totas noctes in oratione pernoctabat, maximam diei partem traducebat; & omnibus præcipuis actionibus orationem miscebat, ut nos rerum omnium egenos orare doceret. 3. Pollicendo impetrationem sine limitatione, ut nihil impediret orationem: Marci 11. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis*; & Joan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis* 4. Removendo omnem dubitationem, multis propositis exemplis ac parabolis; Amici de nocte venientis, & improbitate suâ obtinentis: Parentum erga filios: Immò etiam injusti Judicis, quem neque timor, neque virtus tangeret, sed importunæ preces viduæ: Quibus exemplis satisfecit cuicunque hominum de se cogitationi; ut enim quisque est affectus, ita DEUM, judicat, sed parentem cogita, vel amicum, vel judicem, nihil est quod repulsam verearis, neque enim is est amicus qui importunè adeatur, nec malus parens, nec judex iniquus: quòd si tamen hæc omnia in illis impedimenta precibus & importunitate sunt superata, quid de Deo cogitare fas est?

5. Immissis afflictionibus, ut nolentes cogat, & quia afflicti melior est oratio. Innumera sunt exempla, ut de Annâ matre Samuëlis.

6. Quid orando petere debeamus docendo, sicut pueros solemus, precationem ita conceptam, *Pater noster*, &c. ut nulla hominibus adesset excusatio.

Quoad 2. attinet, nempe modum orandi, id verò nos ipse docuit, atq; illud est quod explicare hodiernâ Concione aggredimur; Non quòd ego in eâ re peritus sim: testis enim mihi est ipse Deus, quàm sæpe ab ipso illud donum petierim, dicens cum Samaritanâ; *Domine da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire*: Sed tantum vobis dicam quę à Sanctis Patribus & Doctoribus legi quoad communem omnium Christianorum orationem: nam illa sublimiora quæ Sponsus agit cum Sponsâ, & secretum postulant, & præcepta non habent: Et verò *nemo scit, nisi qui accipit*, & qui accipit sæpe nescit: *Spiritus enim ubi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat*: Fœlix hora, sed brevis mora. Bernard. ser. 85. in Cant. Dulce cõmercium, sed breve momentum, & experimentũ rarum. Ad modum itaq; orationis ordinariæ veniamus. Et quædam quidẽ ante orationem observanda sunt, quædam in ipsa oratione.

Ante orationem quidem quod ait Sapiens Eccli. 18. *Ante orationem prepara animam tuã, & noli esse quasi homo qui tentat Deum*: Tentare enim Deum ille censetur, qui modo ad impetrandum inepto, & qui potiùs iram, quam beneficium meretur, impetrare contendit. Porrò ista animæ præparatio exigit.

1. Ut turbulentos animi tui motus compescas, & animum tuum abstrahas à curis: hoc est enim quod Christus præcepit Matth. 6. *Tu autem cùm oraveris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.* Ambr. lib. 1. de Abel. cap. 9. Cubiculum tuum, mentis arcanum, animique secretum est,

in hoc cubiculum tuum intra, hoc est egredere de corporis tui exteriore vestibulo, & totus intra in alta præcordia cordis tui, & claude ostium: Hæc ille. Alioqui passim videas homines ab ira, à jurgio, à convitio ad orationem ruere, aut à negotio, aut à ludo. Idem pergunt facere in oratione, adhuc iracuntur, quia scilicet animum non collegerunt: Et passim querimur de distractionibus: Id verò mirum non est, & potiùs contrarium vehementer admirarer: Nam uti mare sedatâ etiam tempestate adhuc movetur: ut solet à magno sensim langueſcere fluctus æquore, &c. ut in febribus post accessus remanet calor: ut post corporis cursum, adhuc cor calet, & salit vena: ita post multa & varia negotia, manet adhuc mens dissipata: & natura ita comparatum est, ut nemo ab extremo ad extremum transeat sine medio: unde passim matutinum tempus commendatur ad orationem, utpote magis tranquillum, & nondum curis implicatum. Sic David precabatur Psalm. 85. *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum*: Hieronymus vertit ex Hebræo, unicum fac cor meum: Symmachus, aduna cor meum ἕνωσον. Aquila autem, fit cor meum unicè μοναχῶς, utnimirum uni Deo vacetur: *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima: porrò unum est necessariũ: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.*

2. Ut cùm animo tuo reputes quem affari, & cujus colloquio frui velis. Chrysost. in Psalm. 145. Cogita ad quem accedis, & sufficiet ad excitandam vigilantiam ejus dignitas, unde gratiam expectamus: acturi enim sumus cum Angelorum Domino, quem Beatæ mentes inusitato metu oppletæ, vultumque obvelantes demississimè venerantur. Cum Rege colloqui vel cum Imperatore olim creditum munus divinum: unde Theodoricus Rex apud Cassiodor. lib. 3. Ep. 22. Quilibet habere nostra colloquia, munera credit esse divina. Quantò magis ut quis cum Deo colloquatur? Hinc fiet ut unusquisque pluris hanc actionem faciat, neque temerè eam aggrediatur: Et hoc voluit Salomon Ecclesiastis 5. *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo, Deus enim in cœlo, & super terram.*

3. Loco requirit Præparatio, ut seriò cogites quidnam sis cum Deo tractaturus: sicut qui cum magno aliquo Principe acturus est, priùs cogitat, quidnam debeat tractare, ne cùm in conspectum ejus venerit, stolidus appareat: ita multò magis qui acturus est cum Deo, ante expendere debet, quid agere velit, nimirùm an illum laudare, an gratias agere, an beneficia aliqua ab eo poscere, & quænam sint, an aliquod negotium ad salutẽ ipsius pertinens, aut spectans Dei gloriam, & servitium tractare. Et eò spectavit Sapiens cùm id dixit quod mox attuli. Etenim ex omissione hujus considerationis, unum ex his tribus incommodis accidet: Vel scilicet in ipsa Oratione nescies quid sis acturus, & quid postulaturus: & est contra Dei reverentiam, meminisse autem debueras moniti, *Deus enim in cœlo, & tu super terram*: vel ex precandi necessitate multa promittes & vovebis, quorum posteà te pœnitebit, & multa petes, quæ nollesaccepisse: unde eodem loco monet Sapiens, *Displicet Deo infidelis & stulta promissio*: vel denique mera garrulitas erit oratio tua, & multa verba inutilia sine aliquo scopo, & sine certa destinatione proferes, more hominis stulti: quòd videmus quotidie contingere in multitudine precũ inutilium, de quo etiam defectu admonuit Sapiens, ibid. *Idcirco sint pauci sermones tui. Multas curas sequantur somnia, & in multis sermonibus invenietur stultitia.* Quasi diceret, quemadmodum variæ diurnæ cogitationes & inconstantes non pariunt nisi somnia diversa & ridicula, ita in oratione multa verba non cohærentia non effi-

efficiunt nisi stultas promissiones. Et ea de re Christus cùm de orationis modo discipulos erudiret, eosdem admonuit, Matth. 6. *Orantes autem nolite multùm loqui, sicut Ethnici, putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur*: Vox græca aliquid habet quod ad nostram rem facit; Monet enim ne simus Battologi, sicut Gentiles, quod explicans Gregor. Nyssen. orat. 2. de Oratione Dominica ait cordatum sermonem, & aliquid utilitatis quærentem, ac sibi aliquid determinatum proponentem dici λόγον: Eum verò qui tantum ad voluptatem superfunditur non esse sermonem seu λόγον, sed Battologiam: Ita amentes & furiosi dum multa jactabundi pronuntiant, nilque sensatum ac determinatum atque cohærens loquuntur, Battologi sunt, non oratores: Idem planè illi contingit qui ad orationem accedit, nec quid peteret cogitavit. Age enim, mi Auditor, quid per horam hîc in templo, versus altare mussitasti, quid libros integros recitasti, quid globulos versasti? Oravi dices, sed quid tandem à Deo petivisti? orare volui dices. Ita sanè, sed non orasti: quamobrem? quia quid cum Deo tractares non prius cogitasti,

Sed videiterum hujus rei momentum. Inter cætera quæ Christus respondit quærenti discipulo quomodo esset orandum Lucæ 11. hoc unum fuit, *Quis autem ex vobis Patrem petijt panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi; aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo, dabit spiritum bonum petentibus se?*

Quâ parabolâ docet ex interpretatione Chrysostom. homil. 24. in Matth. Discrimen esse atque differentiam ponendam inter ea quæ peti possint, quæ Christus in quatuor classes dividit, & tria rejicit quæ peti non possint, & quæ si petantur, nõ obtineantur. Quædam enim sunt inutilia; ut si quis pro pane, lapidem peteret; quædam sunt nociva, ut si quis pro pisce serpentem; quædam mala sunt, ut si quis pro ovo posceret scorpionem: sicut itaq; nemo parens pro rebus utilibus & conveniẽtibus dat filio res inutiles, aut noxias, aut malas; ita nec Deus filiis suis, quia Pater est, & bonus Pater. Sed tu vide ne cogas Deum qui se nihil oranti negaturum dixit, tibi tamẽ oranti quod petas denegare, cùm non petas quod utile est & conveniens: Nam si petieris quæ oportet, repulsam non patieris; sed cùm omnia peti non debeant, ut sunt inutilia, nociva, & mala, sed tantum honesta & convenientia; tuum est priùs quam petas cogitare quid petas, ac discernere, nùm sit utile aut inutile, proficuum, aut nocivum; bonum aut malum: unde patet esse necesse ut ante orationem cogites, quid sis cum Deo tractaturus. Est etiam aliud quod omittere non possum, nempe secundum diversitatem eorum quæ habemus cum Deo tractanda, diversam etiam nobis coram Deo sustinendam esse personã: unde priùs necesse sit ut ante orationem statueris & quid cum Deo tractandum tibi sit, & quo tandẽ habitu, ac dispositione. Quid causæ esse putas cur cùm Publicanus ascendisset orare in templum, steterit de longè, nec oculos ausus fuerit lavare in cœlum, nisi quia veniam de peccatis rogaturus venerat? Cur Magdalena sparsis crinibus, lacrymis per ora fusis, ad pedes Christi Domini accurrit, nisi quia venerat veniam oratura? Putas invenisse in domo Simonis unguentum quod effunderet, cùm nec ipse Simon habuerit oleum quod daret? attulit ipsa alabastrum domo, & effudit in pedes: Quid est quod alio tempore, non pedes, sed caput, unguento perfudit? an id casu fecisse putas? Non certè sed consilio: nam ad pedes rea accurrit, ad caput jam sponsa. Quid est quod CHRISTVS cùm sæpe stans orasset, cùm tamen esset in summa spiritus

agoniâ, *procidit in faciem suam orans?* ut ait Matth. cap. 26. Quid est quod David nunc stans, nunc ambulans, nunc saltans, nunc cantans, nunc in sacrifiicijs Deum oraret, sed cùm pro adulterio & homicidio, & vita pueri deprecatus est, id fecit longè alio apparatu? 2. Reg. cap. 12. *Et jejunavit David jejunio, & ingressus seorsum jacuit super terram*: secundùm illud, *Adhæsit pavimento anima mea.* Quid quod aliter Iudith sistit se Deo ante victoriam, cùm ut dicitur cap. 9 *Iudith ingressa est oratorium suum, & induens se cilicio posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum*: Aliter post victoriam, cùm uti dicitur cap. 16. *Tunc cantavit canticum hoc Domino Iudith dicens, Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi Psalmum novum, exaltate & invocate nomen ejus*: Et de populo dicitur, *Erat autem populus jucundus secundum faciem sanctorum*: Vide prodigum reversurum ad Patrem, quomodo orationem suam disponat, & quid sit dicturus Lucæ 15. *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenarijs tuis*: nunquid ut paraverat ita fecit? *Et surgens venit ad patrem suum*: Ac licèt Pater occurreret & misertus oscularetur. *Dixit ei filius, Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* Vide quàm profuit cogitasse quid diceret? Dic mihi, Auditor, id ne unquam tibi venit in mentem sub quâ personâ te Deo in oratione sisteres, an ut reum coram Judice: an ut discipulum coram magistro: an ut subditum coram Rege: an ut filium coram Patre: an ut sponsam coram sponso: an in luctu & in lacrymis, in sacco & cinere, an hilarem & jucundum in gaudio spiritus in canticis & hymnis, sicut ait Apostolus *Psalentes & cantantes in cordibus vestris*: *Est* enim aliud *tempus flendi, & aliud tempus ridendi: aliud tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.* Sed hæc dicta sufficiant, ut quam ea pars præparationis necessaria sit unusque intelligat.

Quæ sequuntur ita orationem antecedunt ut pars ejus prima & quasi exordium vocari possint, neque unquam omitti debeant.

1. Itaque Deum cum quo agere debes ante oculos tuos constitue, téque illi præsentem siste. Est enim hominis planè insani ac stultiad absentem verba facere. Id verò tanti est momenti ut inde pendeat maximâ ex parte orationis nostræ successus. Pulcherrimè David Psal. 141. *Effundo in conspectu ejus orationem meam*: Itaque uti hæc verba exponit S. Hilarius. Non negligenter neque ex securitate, sed tanquam Deo præsente. Vnde postea subdit, Deum præsentem non absentis dissimulatione, sed præsentis honore reverendum esse. Hæc autem divina præsentia multis modis fieri potest. 1. si concipiam illum tanquam Spiritum per omnia diffusum omnia, implentè & continentem, nostraq; omnia clarissimè intuentem, ac sentientem: Ipse enim ubique præsens est, *& oculi ejus multò plus lucidiores sunt super solem circumspicientes omnes vias hominum*, &c. Eccli 23. Quo sic ob oculos proposito, & considerato, tanquam cum præsente & nos vidente, atque audiente totâ oratione agendum est: 2. si concipiatur tanquam lux immensa intimè nobis præsens, & in corde nostro residens, cum omnibus thesauris & donis suis cum totâ sapientiâ, potentiâ, sanctitate, & bonitate suâ, quibus nos in momento sanctos efficere potest & beatos: Et sub eâ ratione dirigenda est ad ipsum tota oratio nostra; ad eum dixi tanquam intra nos, & in fundo animæ constitutum: Id voluit S. Thomas cùm dicere soleret frustra homines quærere Deum in cœlis cùm orarent, cùm in seipsis eum habeant: Nam cùm inter duos saltem fit oratio, & colloquium, eo genere præsentiæ est Deus in animâ quo non est in creaturis corporeis: & hic modus est omnium opti-

optimus,ac requirit secretum locum, ubi oculi mentem non avertant : Et ita multi interpretantur hunc locum, Matth.6. *Tu autem cùm oraveris intra in cubiculum tuum*: Nã, ut ait Bernardus in Medit. cap.6. ubicunque fueris, intra temetipsum ora;si longè fueris ab oratorio,noli quærere locum, quoniam tuipse locus es ; si fueris in lecto, aut in alio loco, ora, & ibi est templum: 3. Quoniam Deus homo est,& in cœlis,concipi potest sub augusta formâ humanâ, sedens in solio cœlesti,circumfusus luce infinita, & infinitis Angelorum myriadibus quomodo apparuit Danieli,Isaiæ,Ioanni in Apocal.& aliis;quod nobis eo est facilius quò res est verior post Incarnationem.

4. Quoniam Christus Dominus nostrâ causâ varios status subire voluit, nulla erit deceptio, eum sub variis illis statibus intueri. Proponi itaque potest nunc in stabulo Bethlehem,nunc pendens in cruce in monte Calvariæ, nunc plenus luce in Resurrectione,nunc sedens ad dexteram Patris, circumfusus Angelorum & Beatorum Spiritum immenso exercitu,nunc ut sedens in nubibus,Judex vivorum & mortuorum : His & similibus modis Deum cõcipere debemus, quando seriò orare volumus,& ei sic proposito nos humillimè prosternere, ut tota nostra oratio ad eum tanquam præsentem, & nos videntem, & audientem dirigatur: Qui enim cum aliquo vult colloqui, debet eum habere præsentem, & tanquam cum præsente agere, alioqui sermonem ad eum non dirigit,sed in aërem loquitur : porrò nos de oratione loquimur, non eâ quæ de Deo est, sed de eâ quæ cum DEO fit, neque est scenica & theatralis oratio, sed vera & propria : Atque hujus conditionis defectu ridiculæ omninò sunt magnâ ex parte mortalium precationes. Et ut quondam cùm Darii mater Alexandrum salutatura, ad Ephestionem se convertit,Non errasti mater,subrisit Rex, nam & hic Alexander est, pejore successu illi falluntur, cùm ad alium omnem quàm ad Deum orationem suam convertant.

2. Loco adoranda est Dei Majestas,neq; enim videri potest sine metu ac reverentiâ : Ita Reges & Principes adire solemus ; Ita Christus Patrem adorare solitus ; unde ait Paulus auditum illum esse à Patre *pro suâ Reverentiâ*, non eâ tantùm quâ dignus erat, sed quâ Patrem in oratione honoravit. Quid enim dicere volunt Evangelistæ, Matthæus, *Procidit in faciem suam orans*, Marcus, *Procidit super terram,& orabat*, nisi ut nos docerent quâ Christus reverentiâ Patrem oraret ; si Filius id fecit,quid te servum facere convenit? pudeat te minus honoris reddere Deo quam non dicam Regi aut Principi, sed tibi æquali, cui loqui non incipis,nisi priùs salutato. Post factam adorationem.

3. Loco petendum à Domino auxilium, quo dignè tantum munus præstare possimus, nimirum eo mentis ascensu, eâ attentione,eâ reverentiâ, & eo affectu,quo par est Creaturam cum suo Creatore colloqui. Et ratio est, Quia inter homines nemo statim petitionem suam facit, sine aliquâ præfatione honoris. Item ex Dionys. nulla actio Theologica sine oratione perficitur, orationem autem ille vocat opus divinum,& ipsa oratio quæ ad omnia prærequiritur,ad seipsam necessaria est: Deniq; ipsa oratio donum est, ἐυχῆς χάρισμα,igitur peti debet;sed nõ per aliud quàm per seipsam ; Porrò ea petitio fieri debet nunc uno, nunc alio modo, prout orantis animus affectus est: Atque hæc omnia pertinent ad orationis præparationem.

Neque verò hîc mihi dicas, te sæpiùs preces fudisse, neque tamen ista unquam præstitisse. Ita sanè sit, quoniam fateris, sed simul etiam fatere te nunquam precatum esse ut oportuit, nullumque ex precibus tuis fructum retulisse. Ideò tot annos idem es,

in iisdem vitiis, in eodem cœno, immò quotidie evadis deterior. Ideò mens tua in tam varia vagatur, & orationes tuæ, perpetuæ sunt animi evagationes, non oras, sed nugaris; quia neque quid proferas nosti, & licet noris quod verba sonant, id non est in affectu: quod autem quis non desiderat, id verò non petit, licet verba petentium proferat: essentialiter enim oratio supponit desiderium rei quæ petitur, cùm ipsa nihil aliud sit quàm ejus desiderii expressio, quòd cùm actuale nullum sit, fieri non potest ut sit oratio; sed est potius verborum effutitio quàm oratio. At quæris an hæc omnia ad orationem necessaria sint? ita planè necessaria sunt, quo authore id dico? authore Scripturâ, quæ imperat, te animam præparare ad orationem: alioqui, dic amabo, quæ hujus præparationis pars omittenda tibi videatur? 1. an recollectio? nequaquam; nisi velis esse distractus, & te ipsum ad tuam experientiam provoco? 2. an cogitare quo cum sis acturus? sed hæc cogitatio totius orationis est fundamentum: ideò Christus cùm nos orandi modum doceret, sic incepit, *Pater noster*. Age, ni cogitaveris Patrem, itane appellabis? An 3. cogitare quid tractare debeas cum Deo? Neque illud; ne sis planè insanus, aut inurbanus, qui Deum & Regem adeas, neque scias quid velis, quid optes: Nunquam illud audivisti, Angelos nobis orantibus adesse? Id docet Sanctus Bernardus Serm. 70. in Cantica, Credimus Sanctos Angelos astare orantibus; offerre Deo preces, & vota hominum: Itaque Apocalyps. 5. dicuntur habere *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Sanctus Nyssenus, Phialas interpretatur animas orantium, quas vocat κρατῆρας σοφίας, Sapientiæ crateres: Hæc verò odoramenta vocat David Psal. 141. θυμίαμα incensum: S. Bernard. ser. 3. super Missus, holocaustum Sanctæ devotionis: Tertul. in apolog. cap. 30. Opimam & majorem hostiam de carne pudicâ, de animâ innocenti, de Spiritu Sancto profectam.

Quo ista pertinent? ad propositum, mi Auditor. Cùm enim orationes ac preces sint incensum quod gratissimum Deo offertur, secundùm illud Davidis: *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo:* cùm inquam sint sacrificium Deo gratissimum quo offerimus *vitulos labiorum*, immò offerimus quod *placet Deo super vitulum novellum cornua producentem & ungulas:* cùm horum sacrificiorum legitimi Sacerdotes sint Angeli, uti discimus ex Scripturâ in Tobia, in Cornelio, in Daniele, in alijs: hinc fit ut ad Orantes illi statim accurrant. Jam si tu ipse nescis quid velis, quid pro te Angelus offeret? quid suo nomine proponet? Quid facit in manu tuâ thuribulum si non habes incensum?

An 4. negas necessariam tibi Dei præsentiam? Sed profectò ille stultus est qui absenti loquitur, hoc est non audienti. At inquies semper sum illi præsens, ubique enim est. Ita sanè: sed ipse non est tibi præsens. Memento quod ait Augustinus cœcum in sole solem non videre. Ille quidem præsens est soli, sed propterea solem non habet præsentem, quia non videt.

An denique præviam rejicis orationem? Tu verò in urbanus es, ac nescis cœlum suas etiam habere urbanitates: Parum certè nosti te rem aggredi difficilem, quam sine auxilio præstare non possis; *Nam quid oremus*, ait Apostolus, *sicut oportet nescimus: sed ipse spiritus*, qui ut suprà dixit, *adjuvat infirmitatem nostram, postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: Quid petere poteris, cùm nec hoc quidem petere scias, ut aptè petas.

Maneat itaque hujus præparationis necessitas, & facessant nugatores, qui cùm volucres cœli videant nihil in annonam reponere, ne-

negant etiam eum qui orat, parare aliquid debere ad orationem. Sed aliter sentit Ecclesia, aliter sentit Scriptura, aliter omnes Sancti. Certè scio sæpè animam attolli & rapi à summa Dei Majestate, sæpe idem ei contingere, quod ei qui cùm Regem adit paratus de quibusdam, alia majora audit à Rege, nec interpellat. Verùm ex se semper est paratus quisq; si sapit tantillùm, uti majestatem decet Regiam: præterquàm quod nemo Deum tentare debeat, si præsertim ab eo velit aliquid obtinere.

Hac præparatione præmissâ ad orationem accedendum est; quæ ut optimo modo fiat, ea quæ sequuntur requirit.

I. Magnam attentionem ad Deum cui loquimur, quem nobis in præparatione ob oculos posuimus: cum enim tota erectio ad ipsum, tanquam ad præsentem dirigi debeat, sanè à rebus terrenis mens attollenda est. Itaque Christus cùm orare doceret, voluit nos dicere: *Pater noster qui es in cœlis*, & cùm ipse oraret, dicitur. Quòd oculos in cœlum levaret, vel cœlum suspiceret. Eò spectavit illa solemnis in Ecclesiâ monitio ex ritu Apostolico, *Sursùm corda*. Et ut refert Clem. Alexan. libro 7. Strom. pedes attollimus in extremâ orationis acclamatione, prompto animo & alacritate insequi cupientes beatam illam naturam, quæ mente & intelligentiâ percipitur: & unâ cum verbo corpus abducere conantes, erectam animam, & desiderij pennis elevatam cogimus in sæcula progredi. Ex eâ re magna oritur attentio ac reverentia, cùm sciat is qui orat sibi rem esse cum Deo, coram cujus majestate, ne ipsi quidem Angeli securi sunt. Unde Chrysol. serm. 5. Archangeli tremunt, pavent Angeli, potestates metuunt, in faciem proruunt Cœli seniores, elementa fugiunt, solvuntur saxa, montes defluunt, terra tremit, & homo terræ, interpidus intrabit? præsertim cùm sciat orans, Deum peculiari ratione sibi attendere, secundùm illud *Attendite Domine*, item *inclinavit aurem suam mihi*. Hinc oritur ut distractiones voluntariæ sint peccata: nam licet, cùm oras non teneaaris orare aliquando, tamen si oras, debes attendere, & si non facis, peccas, quia si agis cum Creatore, debes agere cum reverentiâ quæ talem decet personam: unde si eo tempore mens applicetur ad objecta obscœna aut alia quæ contineant gravem aliquam inhonestatem & turpitudinem in genere moris, quoniam ejusmodi distractio gravem contra Deum irreverentiam continet, peccatum est mortale, licèt id passim à pluribus negligatur.

2. Magnam requirit ad ea quæ dicuntur attentionem: illa autem duplex esse potest: Aut ad verba ipsa, non solùm ut omnia distinctè, atque aptè pronuntientur, sed etiam ut de sensu cogitetur. Itaque danda opera ut anteà probe illa intelligamus, vel piam aliquam illorum intelligentiam habeamus, & conandum est ut eodem spiritu quo primum concepta & scripta sunt, Deoque à Propheta Davide, aut ab alio decantata sunt, proferantur. Quare illi in nobis excitandi sunt affectus quos in singulis suis partibus exigunt ejusmodi cantica, quosque ipsi Authores sacri habuerunt; & ita cavendum est ne tàm celeriter decurrantur, sed sensim, & paulatim fundenda sunt. Aut aliunde attentio esse debet ad id quod quisque à Deo postulat: cùm enim verba Latina profers quæ non intelligis, & quæ sunt preces Ecclesiæ, eius verbis uteris ad postulandam Dei misericordiam, & ex tuâ intentione hoc idem ipsa significant, quod animi tui affectus; nam licet per se aliud significent, hoc tamen semper significant, scilicet, te aliquid à Deo postulare: Et sæpe fit, ut plus accipias, quàm petis: Tu enim corde petis, quod postulas, & pro te aliud Ecclesia postulat illis verbis quæ profers, quæ quoniã tu adhibes, eadem postulare censeris, & verè postulas.

3. Re-

3. Requirit ſummam humilitatem, & animi demiſſionem, ut Deum rogare, non imperare Deo videaris: nam uti dicitur Eccli. 35 *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet non conſolabitur: &c.* Exemplum in Chriſto orante pronâ in terram facie: Et in Davide jacente in terra, unde ait: *Adhæſit pavimento anima mea.*

4. Quod exigit S. Chryſoſt. in Pſal. 146. σπουδὴν καὶ προθυμίαν ſtudium, & animi alacritatem: nam ferè ex ſocordiâ oriuntur innumeræ diſtractiones ſcio quidem oriri plerumque ex humana infirmitate ut advertit S. Auguſtinus in Pſalm. 102. Item ex Dæmonis malitiâ, unde Chryſoſt. in Pſalm. 145. Deus appellat Diaboli fraudem & machinamentum: Itaque ex Origen. in c. 10. Epiſt. ad Rom. Magnus agon eſt orationis, ut obſiſtentibus inimicis, & orantis ſenſum in diverſa rapientibus, fixa ad Deum ſemper mens ſtabili intentione contendat. Sed præcipua cauſa eſt defectus applicationis, contentionis atque alacritatis animi. Quare monet Iſidor. Peluſiota lib. 3. Epiſt. 171. precari oportere animo vigilanti: alioqui animi per diverſa vagantis orationem rectè Caſſian. Collat. 4. cap. 2. appellat nutabundam, & quodammodò ebriam: Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. factam cum diſceptatione: Iubet enim levari puras manus ſine diſceptatione: Græcè eſt χωρὶς λογισμοῦ. id eſt ſine multiplici cogitationum varietate, quæ diſtrahat mentem, & conturbet; nam de mentis evagatione id ſumit S. Ambroſ. lib. de Sacram. cap. 5. unde Apoſtolica Conſtitutio apud Clementem Rom. lib. 7. cap. 13. Ne ſis duplex animo in oratione tuâ δύψυχος. ſic Iacob cap. 1. Epiſtolæ ſuæ hominem animi diſtracti, ac diſſipati vocat. δύψυχον hoc eſt duplicis animi, & turbati erga plurima, cùm tamen unum ſit neceſſarium: his autem nugis nos liberat animi alacritas de quâ David, Pſal. 85. *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Quod ut ſuprà diximus Hieron. vertit ex Hebræo. Vnicum fac cor meum: & Symmachus aduna cor meum: ut nimirum uni Deo vacetur.

5. Vt ex intimo cordis fiat oratio: quâ voce ſtudium & ardor intentionis deſignatur, qualis fuit Davidis oratio: *De profundis*, hoc eſt ex Chryſ. in pſalm. 129. Ex corde profundiſſimo, & ut loquitur ex ipſius mentis penetralibus: Sic Eliam oraſſe dicit, quippe qui corpus inflecteret orando & capite in genua demiſſo ſeipſum cum magno ardore incenderet. Ideò & David orationem vocat incenſum, ac ſuffitum, ſi videlicet ignis acceſſerit: unde neceſſe eſt animam fieri ut idem Chryſ. ait in Pſalm. 140. θυμιατήριον thuribulum, divini ardoris igne: può flagrantiùs, eò fragrantiùs. Itaque orans non fatigatur eadem ſæpius dicere, atque repetere. Ita Chriſtus *oravit in diebus carnis ſuæ*: Et ea fuit ratio cur avulſus à ſuis oraret, ut clamare poſſet, ſecundùm illud, *cum lachrymis & clamore valido*: Et ea cauſa eſt cur oraturis conſilium dederit ut clauderent ſuper ſe oſtium. Hoc faciebat Iudith, hoc Eſther, hoc Mardochæus, hoc Daniel, hoc David.

Denique id exigit ut finis orationis ſit ferventior quàm initium; iuxta illud Eccli. 70. *Melior eſt finis orationis quàm principium*: idque ſignificavit Chriſtus his verbis & hac etiam gradatione Lucæ 11. *Petite & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulſate & aperietur vobis*: quia, ſi petentibus non datur, quærite, hoc eſt majus Studium, & diligentiam adhibete? nam, ut ait Chryſoſt. qui aliquid quærit, cuncta alia è mente projiciens uni illi intentus eſt quod quærit, ac præſentium rerum nihil conſiderat: quod ſi nec quærentes inveneritis, quia difficile eſt quod petitur, vel aliâ de causâ differtur, non deficiatis, ſed pulſate, id eſt, conſtanti inſtantiâ, & vehementi, quaſi importuni petite; aperietur enim

enim vobis, & quod toties negatum erat, quasi intra portas clausum, consequemini velut januis apertis, & aditu facto: Sic autem animus in oratione paulatim incalescit: Unde S. Hilarius Canone 6. in Matth. obtinere in solâ precum morâ est, non tantùm ob perseverantiam, sed præcipuè propter fervoris augmentum,

Quid hîc primum conquerar, Auditores, *cui loquar, & quem contestabor?* quis enim orat uti oportet, quis has conditiones in orando observat? Quàm frigidi, quàm distracti, quàm irreverentes! De Josepho Abbate dicitur in vitis Patrum quòd cùm manus in cœlum tolleret oraturus, digiti ejus videbantur velut decem lampades ignis claro splendore lucentes: nos tenebras afferimus. Unde de plurimis dici potest, *Et oratio eius fiat in peccatum.* Et illud Isaiæ. 66. *Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecu, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris quasi qui benedicat idolo.* Nam cum orationem Deus dederit quasi communem mundi portum, passim homines oratione non Dei misericordiam, atq; gratiam quærunt, sed iram & indignationem. Quare cùm orare nobis tàm sit necessarium quàm aërem ducere, hoc studeamus scire quod scire tantùm interest, ut cùm orare sciverimus impetrare sciamus. *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Cum certi simus, de assecutione, næ gratis sumus miseri, si orationem non adhibemus. Hoc malum à nobis avertat Deus, sed ita nos doceat, & nobis donet orare ut orando impetrare ipsius misericordiam, gratiam & gloriam possimus.

Amen.

DOMINICA SECVNDA IN QUADRAGESIMA.

CONCIO PRIMA

DE TRANSFIGVRATIONE.

De apertissimâ Christi Divinitatis manifestatione in Patris testimonio, & in luce mirabili.

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.
Matth. 17.

HIC cœli & terræ video certamen, nam quid cœlum habet melius, quàm terra, cùm DEVS terram in Paradisum mutarit. Cur enim Paradisum terram non vocem, ubi se DEVS in gloriâ conspiciendum donat? Quare non mirum si Pe-

si Petrus dicat, *bonum est nos hic esse*: Vbi enim melius? Item *faciamus hic tria tabernacula*: Vbi enim morandum fœlicius quàm in tantâ beatitudine? *Nescíens* tamen *quid diceret*, non quia quod dicebat, non rectè esset dictũ sed quia ipso gaudio abreptus, & in excessu suo diceret: sicut n. nesciebat, quod videbat, nec quod sentiebat, nesciebat etiam quid diceret. Fœlix ignorantia quæ extasim supponit, & mentis excessum! Putas sciemus quæ dicturi sumus aliquando in gloriâ, cùm uti loquitur Scriptura, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*: Multa loquitur ebrius, sed nescit quid dicat: Rectè autem Gregorius Nyssenus, Ebrietatem mentis, extasim interpretatur. Sed ut nunc sciamus quid dicamus, discamus à Matre non solùm *pulchræ dilectionis*, sed etiam *agnitionis & sanctæ spei*. AVE MARIA.

INTER omnia fidei nostræ mysteria nescio an aliud sit, quod simul, & notissimum sit & occultissimum præterquàm Transfiguratio. Notissimum quidem 1. Quia non sine luce, & eâ tantâ ut illius spectatores Solem viderint de propinquo: *omne autem quod manifestatur, lumen est.* 2. Quia non sine voce eâque publicâ, à Patre, & de Nube: *Et ecce vox de nube, dicens, Hic est Filius meus*: Tanto autem sono, ut audientes in terram dejecerit, *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde*: 3. In quo omnis generis personæ concurrunt, Divinæ, humanæ, vivi, mortui, immortales: Divinæ quidem, & distinctè, Pater in voce, Filius in luce, Spiritus sanctus in Nube. Humanæ verò, ex lege Moyses, ex Prophetis Elias, ex Evangelio tres Apostoli: Item ex vivis, Apostoli, ex mortuis, Moyses, ex immortalibus Elias. Idem tamen mysterium occultissimum est. 1. Quia seorsim, & procul ab omnium conspectu, *Et duxit illos in montem excelsum seorsum*. 2. Quia ex omnibus Apostolis tres tantum assumpsit, cæteros removit, 3. Quia silentium imperatum: *Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus dicens, Nemini dixeritis visionem.*

Sed mihi præter cætera difficillimum, & occultissimum est hujus mysterij finem statuere: Nam si nulla est perfecta cognitio non cognitâ causâ, ex causis, omnium nobilissima, finis: & ita quis sit finis hujus mysterij nunc investigandum. Ac ne in aliorum opinionibus aut recensendis aut refutandis tempus conteram; Placet communissima Sanctorum Patrum sententia, ut Chrysostomi, S. Leonis, Theophylacti, & aliorum multorum, Mysterium Transfigurationis, continere apertissimam Christi Domini divinitatis manifestationem.

Christus itaque sæpe Apostolis de morte suâ, déque mortis supplicio mentionem fecerat, sed vel illi non intellexerant, vel abhorruerant, ficut Petrus, *Absit hoc à te Domine*, cùum igitur eorum ingens prævideret scandalum, ne ex Crucis ignominia divinitatem ignorarent, voluit eos quasi divinitatis ipsius oculatos, & auritos testes efficere: Vnde eodem tempore quo apparuit in gloria, de morte sua sermonem instituit: Etenim cum Moyse, & Elia loquebatur de excessu quem completurus erat in Jerusalem, hoc est, de morte, quam erat subiturus: eo facto complens quidquid in lege de eo figuratum erat: lex autem per Moysem ostendebatur: & quidquid per Prophetas dictum erat de eo, de quibus unus solus Elias erat superstes: ex quo efficitur finem hujus mysterii, eam esse divinitatis Christi manifestationem qua clarior nulla esse possit.

Ea porro fit 1. testimonio Patris: 2. rebus ipsis, seu Transfiguratione. S. Hilar. can. 2. Filius DEI auditu, conspectúque monstratur

tur: qui duo sensus sunt omnium potissimi, per quos res digniores, & sublimiores cognoscimus: De testimonio Patris ita Damascenus. Hodie ad hominum aures ea perveniunt, quæ nunquam audita fuerant: nam qui homo cernitur, hic unigenitus, ac Dei Filius, ejusdemque cum eo substantiæ esse perhibetur, atque hoc testimonium verum est, hoc præconium verum: nam ipsemet Pater qui genuit, hanc prædicationem prænuntiat, *hic est Filius meus dilectus.* Id est, ex explicatione Damasceni, sæculis omnibus antiquior, solus ex solo unigenitus, sine tempore, & sempiternè ex me progressus, quique & ex me, & in me, & mecum, & semper est, nec existentiæ ratione me posterior: ex me (inquam) ut ex paterna causa, atque ex mea substantia genitus, unde etiam mihi consubstantialis est: In me, quia sine ulla separatione, atque excessu genitus: mecum denique, ut qui per se perfecta persona sit, ac non sermo qui ore proferatur, ac in aërem dilabatur, &c. Hic est Filius meus, ille, inquam, gloriæ meæ splendor, ille substantiæ meæ character, per quem Angelos feci, stabilita terra, fundatum cœlum, *omnia portans verbo virtutis suæ*, &c. *Atque* illud est *nomen quod est super omne nomen: cui enim dixit* Deus *aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et certè Moses in Scriptura vocatur quidem servus, hic autem appellatur Filius: Vnde *Apost.* Hebr. 3. *Et Moses quidem fidelis erat in totâ domo ejus, tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant: Christus verò tanquam filius in domo suâ*: Hoc verò testimonium fuisse à Patre indicat & ipse rei apparatus omni re humana major, & vocis authoritas *enim a Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsâ ad eum hujuscemodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte Sancto.*

Jam 2. Verbis res accesserunt. Nam hoc Patris testimonium ipso opere comprobatum est, illa scilicet mirabili Transfiguratione Christi Domini, quâ ut loquitur Lucas visus est *in Majestate*, quâ in re Sancti Patres agnoscunt certissimum divinitatis argumentum.

Nota 1. illam vultus Transfigurationem non esse factam per mutationem aliquam substantialem, neque enim figura ad substantiam pertinet: Ita docet S. Hieronymus in Epistolâ ad Pammachium contra errores Joannis Hierosolymitani, eôque argumento ac similitudine probat veritatem carnis nostræ in resurrectione futurâ, in quâ substantia non mutabitur. Item non esse factam mutatione figuræ aut lineamentorum, sed novi splendoris, ac luminis additione: sicut in pulchritudine præter lineamenta & transfigurationem existit color, qui propriè est flos quidam pulchritudinis: Quare quod Marcus dixit Christum fuisse Transfiguratum, & quod Lucas dixit CHRISTI faciem factam fuisse alteram, expressius Matthæus dixit, faciem Christi splenduisse ut Solem. Sic enim Hieronymus in Matthæum: ubi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur: cùm transformatus est Dominus in eam gloriam quâ venturus est in regno suo, transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit. Et Tertull. lib. de Resurrect. carnis: Dominus in secessu montis vestimenta luce mutaverat, sed lineamenta Petro agnoscibilia servaverat. Victor Antiochenus in Marci 9. hinc probat Beatos in Resurrectione in eâdem suâ priori effigie cum maximo tamen decore suscitandos.

Nota 2. In illo splendore explicando duo esse vitanda. I. est illum ipsum splendorem esse divinitatem ipsam visam oculis corporeis Apostolorum, uti nonnulli malè

quosdam è Sanctis Patribus intellexerunt, qui dicere videntur in eâ luce visam esse ipsam divinitatis essentiam. Nam licet divinitas in Scripturis passim explicetur per splendorem, & per lucem (Ita Filius dicitur, *Candor lucis aeterne: splendor paterne gloria: genitus in splendoribus Sanctorum: lux vera que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*) ea tamen verba non sunt intelligenda de luce aspectabili, atque corporeâ sed de intellectuali. Præterea Deus videri nequit oculo corporeo, ne jam dicamus animalia fieri etiam posse beata: Et passim docent Theologi id fieri non posse, quia visio essentialiter respicit & suum objectum, & suum subjectum, est autem oculi visio coloris tantùm & lucis corporeæ visio. Alterum extremum vitandum est, ejusmodi scilicet lumen fuisse tantùm lucis emanationem glorioſam ab animâ Christi gloriosâ. Nam cùm Beatorum corpora inter cæteras dotes habitura sint lucem incredibilem juxta illud Matth. 13. *Iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*, (quem locum de claritate corporum intelligit S. August. lib. de Cognitione veræ vitæ cap. 46.) Christi anima quæ erat beata debebat in corpus suum lumen glorioſum transfundere; quia tamen per dispensationem in Christo duo status conjuncti erant, viatoris, & comprehensoris, hinc factum ut Christi anima esset glorioſa, passibile autem & mortale corpus, ac sine illo lumine glorioſo; & inde (ut nonnulli asserunt) ex dispensatione alterâ, ut in die Transfigurationis anima glorioſo illo lumine corpus perfunderet. Verùm Sancti Patres aliquid longè majus assequuntur in hac actione; neque enim solam luminis effusionem agnoscunt in Christi corpore ab ejus animâ gloriosâ, sed certum insuper divinitatis argumentum, & ab ipsâ divinitate exortam illuminationem: unde aliquâ ratione dicere videntur per illud lumen visam esse ab Apostolis divinitatem. S. Damascenus ser-

mon. de Transfigur. ô miraculum mentem omnem superans, non externè corpori gloria accessit, sed internè, ex Dei verbi deitate, modo quodam omnem sermonem excedente ipsi personaliter unitâ. Idem exponens illa verba, *sicut Sol*, negat intelligi de Sole materiali, sed de Solis conditore: & positum illud verbum dicit ad intelligendum lumen increatum, Patris substantiale Verbum, gloriæ splẽdorem, naturalem Dei ac Patris substantiæ characterem: unde addit: Solis igitur instar, ipsius facies lucet; etenim luci materia carenti personaliter unitur, eique justitiæ Sol efficitur. Vestimenta autem tanquam nix albescunt: vestimentum enim non per unionem glorificatum est, verum per quandam duntaxat affectionem, ac non item hypostaticè. Præterea postquàm dixisset deceptum fuisse Dæmonem, ne Christum agnosceret Deum in Transfiguratione, ex Mosis memoria, cujus facies in oratione fuisset illuminata, subdit Christi & Mosis discrimen. Verùm Moses quidem gloria externè adventante glorificatur, at Dominus Jesus haud quaquam adscititium gloriæ ornamentum habebat, verùm ex insita divinæ gloriæ claritate manans: Unde dicit ab initio Christi corpus Divinæ gloriæ particeps fuisse ob unionem hypostaticam, ita ut (inquit) una eademque esset Verbi, ac carnis gloria: sed videri à corporeis oculis, immò ab Angelis non potuisse. Transfiguratur itaque, ait, non quod non erat assumens, nec in id quod non erat migrans, verùm id quod erat, discipulis suis declarans, eorum nimirum oculos aperiens: atque, inquit, hæc est sententia illorum verborum. *Transfiguratus est ante eos.* Idẽ enim ipse manens, præter id quod prius cernebatur aliud nunc discipulis apparere videbatur. Idem fuit judicium Gregorij Nazianz. orat. de Fide propè finem: Vbi docet divinitatem in humanitate delituisse ad modum Solis, cùm nubes objecta non

tollit

tolit lumen, sed occultat: In Transfiguratione autem lumen aperiri quasi nube disjectâ, ac dissipatâ. Author lib. de mirabilibus Scripturæ qui ab aliquibus tribuitur S. Augustino, sic loquitur eâ de re lib. 3. c. 10. Licet in hac ostensione Domini facies solari splendore fulserit, non ipsa caro splenduit, sed divinitas latens in corpore luminis sui portiunculam conspiciendam foris videntibus, quantum poterant, concessit. S. Epiphan. hæresi 69. quæ est de Arianismo sub finem: *Resplenduit* (inquit) *facies ejus sicut Sol*, ea inquam, facies quæ erat cum divinitate conjuncta: & ita explicat gloriam quæ apparuit, gloriam, ac splendorem divinitatis, S. Cyrillus citatus in Catenâ Græcorum Patrum in Lucam, exponens claritatem in quam Christus Transfiguratus est, eam appellat ἐξαίρετόν τινα καὶ θεοπρεπῆ λαμπρότητα. Eminentem quandam, & Deo convenientem claritatem. Ex quorum Patrum verbis facile colligitur, id quod in Christi Transfiguratione visum est, non fuisse tantummodò lumen corporis glorioſi, cùm tamen dici non possit fuisse ipsam divinitatem: & cùm aliunde dicant per istum splendorem visam fuisse quodammodo divinitatem, hoc unum superest, ut dicamus tale lumen in corpus Christi derivatum à divinitate profectum fuisse, & ex peculiari connexione cum ipsâ, eam sensibiliter qudammodo manifestasse: quid autem illud fuerit, & quomodo factum sit, inquirimus.

Nota itaque 3. S. Thomam 3. p. q. 45. art. 2. in corpore sic exponere. Cùm hoc lumen non fuerit dos permanes, sed tanquam passio transiens, miraculosum illud fuisse, itaque profectum tùm à Christi divinitate, tùm ab animâ eius glorioſâ, tanquam ab instrumento. Verùm si hoc tantum dicatur non satisfit Sanctorum Patrum doctrinæ: Quia licet miraculum coñotet Deum Authorem, tanquam causam principalem, non tamen coñotat Deum ut principium conjunctum: Et in Mosis facie lumen fuit supernaturale, & miraculo productum, non tamen certum indicium divinitatis ipsius: Vnde S. Damascenus Christi & Mosis discrimen affert, quod Moses gloria externè adventante glorificatus sit, Christus autem ex insitâ divinæ gloriæ claritate. Præterea SS. Patres indicant illum splendorem fuisse, ut loquitur Cyrillus ἐξαίρετόν τινα καὶ θεοπρεπῆ λαμπρότητα.

Existimo itaque 1. hujusmodi lumen ac splendorem præcipuæ cujusdam dignitatis ac naturæ fuisse, quod omne aliud lumem superaret, quem splendorem non indignum Deo appellat Cyrillus. Nam ut discursu Apostoli utar 1. Cor. 15. Quemadmodum in naturâ licet plura sint corpora luminosa, tamen gloriâ, & splendore differunt: alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium: *alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stellâ differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum*: Certè etiam in terrestribus lumniosa sunt multimoda, qualia sunt ignis, gemmæ, uniones, metalla, vermiculi, squamæ piscium, oculi plurium animalium, putridum lignum, & sexcenta: sed cùm status alterius vitæ sit supernaturalis, dabitur lumen corporibus beatis longè majus, & alterius rationis, quàm lumen omne naturale. Nam licet dicatur quod *fulgebunt justi, sicut Sol*, tamen ista compatatio necessitatis est, quia in humanis nihil lucidius est Sole: alioqui enim Beatorum corpora septuplo magis, hoc est longè magis lucebunt Sole secundùm illud Isaiæ 30. *Lux Solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die quâ alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussura plagæ ejus sanaverit.* Chrysost. homil. 57 in Matth. Non id dictum est, quoniam tantus splendor eorum futurus est: verùm quia nihil Sole fulgentius videmus, ab eo quod nobis notissimum est, futurum Sanctorũ splen-

dorem voluit designare. Vnde, ne putes lucem ordinariam S. Machar. homil. 1. vocat lumen arcanum. Vide discrimina. 1. Longè major erit nostra: ita Chry. Paræn. 1. ad Theod. Erit lux, non quæ nunc est, sed planè alia, quæ hanc tantùm superabit fulgore, quantùm ista lumen lych. 2. Non erit corruptibilis, ut hęc nostra, ait Rabanus lib. de modo pœnitentiæ cap. 14. Incorruptorum gloria corporum, non hoc splendoris emittit, quod ex istâ corruptibili luce procedit. 3. Non poterit impediri. Chry Non occuletur ullis, aut nocte, aut congressu nubium: 4. Non ejus erunt capaces oculi mortales: Rabanus. Nec talem emittent lucem, qualem nunc mortales oculi capere possunt. 5. Licet futura sit maxima non tamen oculos lædet: Laurent. Iustinianus lib. de disciplinâ & perfectione Monasticâ c. 13. Non intuentium in se reverberabit aspectum sed ineffabili quodam modo confortabit, clarificabitq;. Nunc magna lux lædit, quia ratione caloris organum dissolvit; sed de istâ luce, ait Chry. Nec urit, nec inflammat corpora. Ejusmodi sibi lumen objectum refert B. Theresa in vitâ suâ à se scripta c. 28. ac fatetur eam pulchritudinem omnem aliam formam superare, solo etiam candore, ac splendore. Non est (inquit illa) splendor qui visum turbet, sed gratus & suavis candor, splendorq; & lux infusa, quæ visum valdè oblectet, nec eum fatiget, non magis quàm ejus claritas, in qua videtur illa pulchritudo tam divina: lux est adeò discrepans ab eâ hujus loci, ut claritas Solis quam aspicimus, in illius comparatione lucis quæ se exhibet visui, ita fulgorem suum amittat, ut oculi nollent se aperire ad eam intuendam. Ita idē est, ut si videretur aqua limpidissima currere super crystallum, in quâ reflectitur Sol, in comparatione aquæ turbidissimæ, ac tempore admodùm nebuloso atq; obscuro quæ currat super terram. Non quod repræsentetur Sol aut quod lux sit instar ejus quæ est in Sole, nam demùm hæc lux videtur esse lux naturalis, illa autem altera lux artificiosa. 6. Quia hæc lux non tantùm est in superficie, sed etiam in profundo, itaque sic Beatorum corpora penetrabit, ut sint perspicua. Hinc Sanctus Cyrillus Cateches. 18. & Sanctus Macharius homil. 15. ea comparant ferro ignito; & de iis loquens S. Gregorius 18. Moral. cap. 27. hæc ait, Patebit corporalibus oculis, ipsa etiam corporalis harmonia: ut & S. Augustinus lib. de cognitione veræ vitæ c. 45. dicit eadem, claritate fore tanta, quanta spiritus: alibiq; passim in hanc sententiam plura profert. Quemadmodum igitur lumen corporum beatorum erit longè diversum, & naturæ excellentioris nostro lumine sensibili ita supra lumen corporum beatorum potuit esse lumen istud quod Christo conveniret.

Existimo secundò, ejusmodi lumen ac splendorem peculiarem connexionem habuisse cum divinitate, non absolutè sumpta, sed quatenus unita: ita ut, quemadmodum corpori beatorum debetur claritas gloriæ, quæ emanat ab anima beata: & sicut ex unione hypostatica cum anima Christi sequitur in eaanima esse gratiam capitis: ad hæc gratiam summam sanctificantem, summam sapientiam, atque scientiam visionis, omnia dona & gratias, atq; appendices, quæ debentur Christi animæ vi unionis: Ita corpori ejusdem, vi unionis hypostaticæ fortasse debeatur quædā gloria, quæ instar proprietatis fluit à divinitate conjuncta seu ab homine Deo seu quæ homini Deo debetur, quæ alterius est ordinis ab ea luce & gloria quæ dabitur ejusdem corpori ratione beatitudinis animæ, sicut fit in cæteris: unde Toletus *An.* 57. in cap. 9. Lucæ, ait hanc gloriam corporis non proveniisse ex animæ beatitudine, uti fiet in beatis post resurrectionem, sed ex ipsa unita deitate, in testimonium divinitatis

Chri-

Christi, ut Patres dicunt, & conprobant Evangelica verba, *Hic est Filius meus dilectus* quasi verbum ejusmodi, illo opere confirmaretur. hinc fit ut dicatur divinitatis gloria videri ex eâ gloriâ, seu luce, quæ illi necessariò conjuncta est, quia ab illâ solâ, ut à principio connaturali oriri potest. Itaque non dicitur extrinsecùs ad venire, quia nõ potuit, nec debuit produci in subjecto extraneo atque sepatato à divinitate, sed in subjecto conjuncto, est enim splendor dignº Deo, & est gloria *quasi ingeniti à Patre*: quare ob unionem, & dependentiam reddebat sensibilem Divinitatem: uti anima fit sensibilis per corpus: & Christi corpus fit sensibile in Eucharistiâ per panis accidentia ipsi conjuncta. Denique uti Author librorum de Mirabilibus Scripturæ lib. 3. cap. 10. loquitur: Sicut per carnem Divinitas illuxit, sic & caro illuminata à Divinitate per vestimenta radiavit. Vide ordinem, caro vestem illuminavit, Divinitas carnem, vestis candor splendorem ostendit corporis, & corporis fulgor latentem Divinitatem, licet in istis sit aliqua disparitas.

Ex dictis apparet cùm hoc mysterium pertineat ad Christi Domini Divinitatem confirmandam, eam penè sensibili modo esse manifestatam. Nam præter consensum mirabilem figurarum quæ in Lege sunt significatæ per Mosem: & Prophetarum in Eliâ Prophetâ (unde Damascenus: Eo nomine Moses & Elias astiterunt, ut Legis ac Prophetarum personam explerent, Christus autem medius, quia hæc omnia conciliavit. Et propterea dicitur à Luca, eos locutos esse *de excessu, quem completurus erat in Ierusalem*) Ad hæc, præter miraculorum testimonia, quorum maxima authoritas in Mose, & Eliâ, quod significatur in Apoc. cap. 11. *Hi sunt duæ olivæ & duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes*, &c. *Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint.* Præter hæc omnia, inquam, quæ in ejus Divinitatis confirmationem, concurrunt ipso penè auditu & visu ipsamet in hac transformatione percipitur. Etenim fit sensibilis per gloriẽ convenientẽ sibi personæ divinæ: Auditur sensibiliter vox Patris, testimonium dantis Filio: Et apparent Moses & Elias, quia ailàs promissa visio Divinitatis. Adverte autem dici quòd *nubes lucida obumbravit eos*: nec enim jam sunt in nube caliginosâ, uti olim Moses: unde Damasc. Olim ille Dei spectator divinam caliginem subibat, Legis videlicet opacitatem sub indicans: *umbram enim futurorum lex habebat non veritatem*: nec Israël in Mosis faciem quæ abolenda erat, intendere poterat: Nos autẽ revelatâ facie gloriam Dñi. intuemur à gloriâ in majorem gloriam transformati (vide transfigurationem) tanquam à Dei spiritu, qui in nube significatur: ipse enim in umbrat, secundùm illud, *Spiritus sanctus obumbrabit tibi*: ac proinde nubes lucida non caliginosa obumbravit. Hinc S. Petr, Epist. 2. cap. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris*: Ex quibus verbis patet, Prophetas fuisse instar lucernæ, cujus lux admodùm tenuis est atque exigua: hîc autem, postquam ipse Sol venit, tanta luce eluxit, ut ipsis penè sensibus percepta fuerit.

Hinc factum ut Apostoli sæpissimè hanc mirabilem visionem in medium adduxerint ad fidem sibi conciliandã, & ad probationem Divinitatis Christi, ut ostenderent multò magis habendam fidem Christo, & sibi, quam olim Moysi, contra Iudæos qui dicebant Ioan. 9. *Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus, unde sit*: unde Ioan. in Evan. c. 1. *Vidimus gloriam ejus, quasi gloriam unigenti*. Id est, Filij naturalis Dei, qui unicus est, cùm adoptionis multi sint filij:

ut

ut enim Sol aliter fulget, quàm ſtellæ, ita ipſe aliter quàm Moſes & alij Sancti. Idem 1. Epiſtolâ cap. 1. *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ*: Item *quod vidimus, & audivimus, annunciamus vobis.* Hilarius canone 2. fide dignus eſt, qui & audivit, & vidit. Et S. Petrus Epiſtolâ 2. c. 1. *Non enim doctas fabulas ſecuti* (Hieron. ad Galat. 3. Græci eruditam vanitatem appellant) *notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & præſentiam*, (id eſt adventum, quod multi de ſecundo adventu intelligunt) *ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis: accipiens enim* (pro accepit) *à Deo Patre honorem & gloriâ, voce delapsâ ad eum hujuſcemodi, à magnifica gloria: Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipſum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm eſſemus cum ipſo, in monte ſancto*: ſicut igitur Moſi adhibita fides, quia Deus ei locutus eſt, ita etiam Apoſtolis, & ad quos Deus Pater loqui perhibetur ac multò magis Chriſto de quo, & ad quem eſt ſermo. Ex dictis

Collige 1. Quod principaliter intendimus, Fidem noſtram ex hoc myſterio pæne evidentiam accepiſſe ex uſu ſenſuum ad quos pertinet cognitio, nempe ex uiſu atque auditu, immò ſpectatis omnibus circumſtantiis certitudinem, atque ineffabilitatem.

1. enim tres fuere diſcipuli. *In ore* autem *duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum*: Illi verò nihil cauſæ habuerunt, cur alios deciperent, præſertim cùm eſſent vitæ integerrimæ: de facto verò noluiſſe decipere, vel hinc conſtat, quod pro eâ re non dubitarint mori: quin etiam ex Apoſtolis qui primus mortem oppetiit, fuit Iacobus huius ſpectaculi teſtis: Immò tres Evangeliſtæ mentionem huius rei fecerunt, Matthæus, Marcus, & Lucas, & Petrus ipſe quaſi quartus Evangeliſta in ep. 2. cap. 1.

2. Ut ſcias non eſſe deceptionem, quod erat ignominiæ non id Chriſtus diſſimulavit, nam ſexto die poſt annuntiatam mortem, transfiguratus eſt, uti Evangeliſtæ notarunt, immò in ipſo gloriæ apparatu mentio facta eſt Paſſionis: ut enim ait Evangeliſta *loquebantur de exceſſu, quem completurus erat in Ieruſalem*, hoc eſt de morte dedecoris pleniſſimâ.

3. Quia ſpectaculum erat planè divinum: & ob gloriam; & ob vocem.

4. Quia ad divinam Providentiam ſpectat, ut in re tanti momenti, qualis eſt illa, ne ulli immeritò divinitas tribueretur, nemo deciperetur, eo modo ut fraus detegi non poſſet.

5. Quod Chriſtus ad vanam gloriam id non ſubornarit, patet, quia diſcipulis ſuis, ne id ante mortem ſuam evulgarent, interdixit, quod illi ſedulò obſervarunt. Quare illud myſterium magni facere debemus, quod tet in anno Eccleſia repetit, Sabbatho ante Dominicam 2. Quadrageſimæ, ipſâ Dominicâ, & die ſextâ Auguſti, quâ hoc feſtum celebratur, & ex majorum traditione accidiſſe didicimus, ipſâ meridie ad ipſius Solis pudorem: ut & illius recordatione, fides noſtra ſtabilienda eſt: ſicut enim Apoſtoli qui viſuri erant dedecus, & Paſſionem Chriſti, eius gloriæ quam vidiſſent recordatione obfirmati ſunt, ita nos quoque tanti Myſterij memoriâ roborari debemus contra innumeras tentationes adverſus Chriſti divinitatem.

Collige 2. Inexcuſabilem eſſe noſtram incredulitatem, quandoquidem Deus fidem noſtram modis omnibus adjuvit: nam non tantùm providit infallibilia, quæ nemo in dubium revocare poſſet, ſed etiam conformia; ne difficultatem credendi ex parte noſtra obtenderemus: quoniam enim ſi tantùm ſenſibilia dediſſet teſtimonia, dicturus erat aliquis, hæc vel humano, vel Dæmonis artificio fingi poſſe, dedit quæ nullâ ratione poſſunt

refelli

refelli: unde S. Petrus post allatum Transfigurationis testimonium hæc subdit 2. Epist. cap. 1. *Et habemus firmiorem Propheticum sermonem cui bene facitis attendentes, & quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus vestris*; Quibus verbis significat Petrus præter testimonium datum à cœlo Christo Domino, aliud ei datũ à Prophetis, quod nemo potest inficiari, nemo etiam refellere: ut enim dicitur Apocal. 19. *Testimonium Iesu est spiritus Prophetiæ*. De qua re præclarè S. Augustin. serm. 27. de verbis Apostoli. Quis nostrum non miretur delatâ voce de cœlo certiorem Propheticum sermonem ab Apostolo dictum esse? certiorem sane dixit, non meliorem, non veriorem: Tàm enim verus ille sermo de cœlo, quàm sermo Propheticus, tàm bonus, tàm utilis: Quid est ergo, certiorem, nisi in quo magis confirmetur auditor? Quare hoc? quoniam sunt homines infideles qui sic detrahunt Christo, ut dicant eum magicis artibus fecisse, quæ fecit. Possent ergo infideles etiam istam vocem delatam de cœlo per conjecturas humanas, & illicitas curiositates ad magicas artes referre. Sed Prophetæ antea fuerunt, non dico istam vocem, sed ante Christi carnem: nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas: Quis eum dicit magum fuisse? si ergo magicis artibus fecit ut coleretur & mortuus, nunquid Magus erat antequam natus? Ecce quare ait Apostolus Petrus, *Habemus certiorem Propheticum sermonem*: Vox de cœlo quâ fideles admoneantur: Propheticus sermo quo infideles convocantur. Plura etiam habet tract. 35. in Ioannem, ubi ostendit in Prophetijs nullum esse periculum deceptionis, quasi Christiani quæ vidissent fieri, ea tanquam prædicta ventura, in libris conscripsissent. Quia (inquit) contra inimicos Paganos occurrit nobis aliorum testimonium inimicorum, proferimus codices è Iudæis, & respondemus; nempe & vos, & illi, fidei nostræ estis inimici. Ideo sparsi sunt per gentes, ut alios ex alijs convincamus inimicis. Et quia è contrario dicere aliquis potuisset sese crediturum, si oculis vidisset, aut Deum audisset, attentà nimirum hominum conditione, qui ferè non nisi sensibus tanguntur, propterea hoc etiam testimonium non recusavit. 2. Pet. 1. *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis: accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsà ad eum hujuscemodi à magnifica gloria. Hic est Filius meus, &c. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso, in monte sancto*: ut nimirum omni ex parte inexcusabilis esses ô homo. Quem modum deinde in pluribus observavit: ut enim pœnas inferni crederes, Energumenos esse permisit, ut viderent homines quâ ratione à Dæmonibus damnati torquerentur: Item ut quæ in Scripturis de pœna luxuriosorum hominum dicuntur, crederentur, in luxuriosis hominibus insigne pœnarum exemplum reliquit. Vnde Iudas in Epistola sua, *Sicut Sodoma & Gomorrha & finitimæ civitates, simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes*. Et S. Petrus Epistola 2. cap. 2. *Et civitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, everſione damnavit: exemplum eorum qui impiè acturi sunt, ponens*: quâ de re ita scribit S. Chrysost. homil. 4. in epist. ad Rom. Vidimus enim vidimus, & in præsenti quoq; vitâ, gehennæ effigiem, quandoquidem enim multi futuri erant, qui ijs fidem minimè habituri essent, quæ post resurrectionem futura sunt, nunc cum ijdem audiant esse ignem inextinguibilem, à rebus præsentibus illos Deus erudivit: Tale est igitur Sodomorum incendium & vastatio illa, id quod sciunt ij qui ad ea loca profecti, plagam illam divinam,

ac cœlestium fulminum opus oculis subjecere. Eodem modo ut in Eucharistiâ Christum adoraremus præter Scripturæ testimonia innumeris id ostendit miraculis : *An* non in agro Tholosano, præsentibus innumeris hominibus, uti refert S. *Antoninus*, *A*sinus multis diebus jejunus, supplex ad Eucharistiæ conspectum procidit ? Nonne ante aliquot annos in Burgundiâ apud Fanernum pagum, sola Eucharistia ab incendio sacelli libera fuit? Nos tamen tantis præsidiis excitati ad fidem perstamus increduli; atque infideles. Quibus non digni sumus supplicis, qua non digni gehenna ? Sed nimirum uti de Judæis in simili causa Christus dixit Lucæ 7. *Iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis.* Quia nimirum nullam viam, nullumque modum omisit, quo filiis suis, quos erudiendos susceperat, persuaderet, ne scilicet ullus calumniaretur, non esse cóvenienti modo homines vocatos: qui n. majore sunt intelligentia præditi, illi ex Prophetis, ex Scripturis, ex rationibus difficilioribus convinci potuerunt; qui verò simpliciores, magisque addicti sensibus, sensibili penè modo fidei nostræ mysteria percipere potuerunt. Quid enim homo incredule potes objicere, quid causari, quid tuæ incredulitati prætendere ? Vis Scripturas? Vis Prophetias, apertas, an reconditas? Vis sæculorum authoritatem ? unitatem fidei? an à vitæ sanctitate, an ab omnibus signis, an à miraculis evidentibus, quæ negari non possunt? Videre etiam vis & oculis usurpare, atque etiam audire ? Hæc omnia abundanter tibi sunt provisa, nihil frustrà potes desiderare: *Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.* Nam & ij qui crediderunt, justificant sapientiam Dei, atque exemplo suo ostendunt sufficienter alios vocatos esse. Quot enim manus dederunt visis atque auditis miraculis, Neque est probabile tot nationes convenisse, ut posteritatem & seipsas quoque mutuò deciperent, idque tanto dispendio, ut fidem suam & sanguine & vitâ testarentur. Quot fuere qui cognita doctrinæ uniformitate, & continuatione successionis, manus dedere ? Eâdem quoque ratione Sapientia ab ijs qui non crediderunt etiam justificata est ; dum enim negant se credere, quod quædam ipsi desiderarent ad fidem donandam rebus quæ proponebantur, quæ si darentur, sufficere ipsi judicabant, cùm ea quoque media, & modos Sapientia non omiserit, illi etiam omnes Sapientiam justificant, quia scilicet omnibus modis homines ad fidem vocavit, & nemini etiam quod petebat, recusavit. Illud igitur probatum maneat, hoc Transfigurationis mysterio fidem nostram roborari, & quandam quasi evidentiam nanciscj; ita ut quilibet sit inexcusabilis. Nos autem & ait *A*postolus 2. Cor. 3. *Revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu*, quod fiet in gloria cœlesti, ad quam nos perducat DEI Filius.

*A*men.

DOMI-

DOMINICA SECVNDA IN QUADRAGESIMA.

CONCIO SECVNDA

DE TRANSFIGVRATIONE.

In Transfiguratione Fides noſtra evidentiam accepit, Spes certitudinem, Amor extaſim atque exceſſum.

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.
Matth. 17.

SENTIO Chriſtiani animum intùs mihi tenereſcere, & quodammodò rapi, occurſu prodigiorum quæ hodie intueor. Intima quadam lætitia me abripit, córque meum, ſancta quadam oblectatione affectum conticeſcere non poteſt. Videtur mihi cœlum amplius quàm pro more illuminatum, ac neſcio an vel Sol in terras deſcenderit, vel hodiernus dies peperit geminos Soles: *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Delectatio ita univerſalis eſt, ut ipſi etiam montes ſimiles ſint agniculis qui exultant & ſaltitant in campo. Hermon quidem in Chriſti Baptiſmo, in illa Patris voce, *Hic eſt Filius meus dilectus*, quæ primùm audiri cœpit. Nunc autem (inquit S. Joannes Damaſcenus orat. de Transfigur.) Exultat ac lætitia perfunditur Thabor, divinus, inquam, & ſanctus ille mons, non minus, gloria, ac ſplendoris ratione, quam ingenti altitudine ſublimis: de gratiâ enim cum cœlo certat: Thabor quippe, ut ait S. Hieron. in Oſeam; idem eſt quod lumen veniens. At enim nonne mutatus eſt omnino in Paradiſum? Ejus claritas ſuperat cœli claritatẽ; Illius incolæ, non minores ſunt; Gloria eſt major; Si ſtatuãtur in illo Tabernacula quæ S. Petrus optabat, terra plꝰ valebit quã cœlũ; Illic Filius Dei accipit teſtimoniũ ſuæ divinitatis; Ejus corpus experimẽtũ facit veſtitûs gloriæ; Moyſes recipit effectũ poſtulationis ſuę; Elias zeli ſui pręmiũ

Petrus fidei; Jacobus animatur ad moriendum ante cæteros omnes Apostolos pro confessione divinitatis Magistri sui, cujus redditur testis; Joannesque videt ac audit, quod aliquando tonabit potiùs quàm prædicabit cum admiratione universorum. Assumpsit Petrum, ait Damascenus, quia Antistes totius Ecclesiæ; & quia quod à Patre acceperat confessus fuerat, meruit idem sensibiliter à Patre accipere, atque oculis usurpare: Jacobum quia ipsius causa primus mortem ex Apostolis erat subiturus: Joannem ut tanquam purissimum Theologiæ organum, illud posteà intonaret, *In principio*, unde etiam tonitrui Filius appellatus est. Postremò, & in quo insisto in hoc sermone, Fides nostra inde evidentiam, Spes certitudinem, Amor autem extasim atque excessum accepit.

Incipiamus à Fide, quā ajo accepisse evidētiā quantū ejus natura pati potest, quia nūquā potest esse absque aliqua specie obscuritatis, *quod enim quis videt, quomodò credit*, quod significat nubes ea mirabilis quæ Apostolos involvit: *Nubes lucida obumbravit eos*; quæ scilicet quam vis luminosa umbram tamen efficit: Etsi aliunde minimè sit sine aliqua claritate: *Omne quod manifestatur lumen est*, Ephes. 5. cùm omnis cognitio sit manifestatio, & lumen: unde fideles dicuntur ab Apostolis, illuminati: *in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis.* Sed nullibi tanta manifestatio quàm hîc: sive objectum fidei spectemus, hoc est res quæ manifestantur: sive modum ipsum quo manifestantur, nimirum quodam sensibili modo, auditu, & visu:

Quoad objectum attinet. Hic fit Revelatio.

1. Trinitatis. Vnde Damascenus ita loquentem Moysem inducit. Audi spiritualis Israël quæ sensilis Israël audire non potuit: Dominus Deus tuus, Dominus unus est: unus enim Deus est qui in tribus personis agnoscitur: Vna quippe Divinitatis essentia est; Patris testimonium dantis; & Filii cui testimonium datur, & inumbrantis Spiritus. Pater in voce, Filius in luce, Spiritus Sanctus in nube, ipse enim obumbrat.

2. Divinitatis Christi Domini. Idque duplici modo. 1. testimonio Patris. *Hic est Filius meus dilectus*, id est, ex S. Damasceni expositione, (quam Superiori concione jam laudatam, ut illustrem tamen repetimus) Sæculis omnibus antiquior, solus ex solo unigenitus, sine tempore, & sempiternè ex me progressus, quique & ex me, & in me, & mecum, & semper est, nec existentiæ ratione me posterior: Ex me, inquam, ut ex paterna causa, atque ex mea substantia genitus, unde etiam mihi consubstantialis est: In me, quia sine ulla separatione, atque excessu genitus: mecum denique, ut qui per se perfecta persona sit, ac non sermo qui ore proferatur ac in aërem dilabatur, &c. *Hic est Filius meus*, ille inquam gloriæ meæ splendor, ille substantiæ meæ character, per quem Angelos feci, stabilita terra, fundatum cœlum, omnia portans verbo virtutis suæ, &c. atque illud est *nomen, quod est super omne nomen*: *Cui enim* Deus *dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* 2. Verbis res accesserunt, nam hoc Patris testimonium ipso opere comprobatum est, illa scilicet mirabili Transfiguratione, qua facies Christi Domini resplenduit sicut Sol: qua in visione Patres agnoscunt certum divinitatis testimonium, immò per ipsum lumen visam esse ab Apostolis divinitatem, ob peculiarem quandam connexionem hujus luminis cum divinitate non absolutè sumpta, sed ut unita: Itaque rectè S. Hilarius canone 2. Filius Dei, auditu conspectuque monstratur: ob vocem Patris, & lumen Filii.

3. Revelatio est unionis duarum naturarū. Opinio fuit sancti Damasceni, Solem, licet unus sit, duplicem tamen substantiam habere, alteram

alteram lucis, quæ priùs orta: alteram corporis quod posteà creatum est: corpori autem in seipso secundùm se totum manenti lumen perpetuum unitum est, & in omnes terræ partes diffunditur. Ita Christus sempiternum lumen de lumine, in corpore creato factus, unus est justitiæ Sol, unus Christus in duabus naturis à divisione remotis agnoscendus: splenduit autem corpus, ut Sol, quia ille splendor lucis, fuit verè corporis, quoniam quæ Verbi Incarnati fuerunt communia, tàm ad carnem quàm ad divinitatem pertinebant. Idem in Carmine de Transfiguratione comparat unionem duarum naturarum ruboardenti, quem Moyses conspicatus est: Ibidem subdit, Divinitatis carbonem nobis ostendisti, peccata exurentem, animis lucem afferentem.

4. Revelatio est complementi in Christo totius Legis & Prophetarum: qûa de re: Damascenus. Hodie veteris testamenti auspex ac divinus Legislator Moyses, in monte Thabor, Legislatori Christo, servilem in modum, tanquam hero adstat, atque humanitatis ab eo assumptæ cognitione illustratur: Vidit olim typicè quæ sunt posteriora Dei, nunc Dei gloriam liquidò aspicit, sub petræ foramine coopertus, quæ quidē petra, Christus est, incarnatus Deus, qui carnis suæ, tanquam perexiguam quandam rimam strictim aperuit, immensòque lumine, atque omne oculorum robur superante, astantium oculus perstrinxit Eodem pertinet, quod sit ostensus author utriusque testamenti, cùm enim novum sit veteris complementum, ad eundem Christum utrumque pertinuit: vetus quidem, ut quod umbra significabat, & pollicebatur futura de ipso: novum autem ut quod exhibebat ea quæ per vetus erant promissa. De quo sic Damascenus: Hodie, veteris, ac novi Testamenti Dominus Iesus Christus agnoscitur, ille, inquam, mihi & re & nomine charus, ille verè dulcissimus, summèque expetendus, atque omnis suavitatis cogitationem excedens, &c. Hodie ille novi Testamenti antesignanus qui Christum Dei Filium aperrissimis verbis, prædicavit, dicens, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, veteris auspicem utriusque donatori adstantem intuetur, altàque voce proloquentem. Hic est ille, quem velut me, Prophetam excitatum iri prædixi; velut me, inquam, utpote hominem, ac novi populi ducem: supra me autem, ut & mihi, & rebus omnibus dominantem, quique & mihi & tibi, utrumque Testamentum, hoc est vetus ac novum sanxit.

5. Revelatio est Redemptionis mundi. *In quo mihi bene complacui*, neque enim hæc verba significant quem amavi, vel quo delector, vel in quo conquiesco: uti non satis aperte aliqui interpretātur, sed ex vera verbi εὐδοκεῖν significatione, in quo, id est, per quem, placatus, & reconciliatus sum mundo; hoc est placari, & reconciliari decrevi; in quem cùm intueor, omnem iram, & offensionem pono. Damascenus: benigna si quidem Patris voluntas in unigenito Filio rerum connexionem effecit. Paulus de Christo loquens, Eph. 1. ait, *Secundum beneplacitum ejus quod proposuit in eo.* Id est, Deus proposuit in Christo suum bene placitum executioni mandare: hoc autem beneplacitum est gratuita voluntas homines salvandi, atque redimendi: quæ verba significant Christum non tantùm esse Legislatorem, sed etiam Redemptorem, Psal. 68. *Tempus beneplaciti Deus.* Unde ex Luca. *Moyses & Elias dicebant excessum ejus*, (id est exitum seu mortem) *quem completurus erat in Ierusalem*: Christus enim morte interveniente nos redemit: uti docent omnes Scripturæ.

6. Revelatio est abolitio veteris legis,

ac novæ inſtitutio propoſito novo Legiſlatore, cujus qui vetus Teſtamentum inſtituit, fuit tantùm figura & Propheta: Damaſ. Hodie utriuſque Teſtamenti D. Ieſus Chriſtus agnoſcitur, de quo Moſes dixit: Hic eſt ille, quem velut me Prophetam, excitatum iri dixeram, ut me, inquam, utpote hominem, ac novi populi ducem: ſuprà me autem, ut mihi, & rebus omnibus dominantem, qui utrumque ſanxit Teſtamentum: Vnde dicitur ad Apoſtolos: *Ipſum audite*, Qui enim hunc ſuſcipit, me ſuſcipit, qui eum non herili authoritate, ſed paterno modo miſi. *Ipſum audite*, habet enim vitæ æternæ verba: hæc ſacræ hujus rei concluſio eſt, hæc myſterii potentia, Hic eſt, non ſervus, non legatus, non Angelus, ſed Filius meus dilectus, *Ipſum Audite*. Hæc ille. Tum ſubjicit leges ipſius, quæ aliquid addunt, ad leges Moyſis. Quocirca (inquit) eum audiamus his verbis utentem, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Non occides, immò nec temerè adverſus ſervum tuum iraſceris. *Non Mœchaberis*, immò nec curiosè alienam pulchritudinem aſpicies: *Non peierabis*: immò nec omnino quidem jurabis. Non cuiquam ſua eripies, immo potius petenti te da, & eum quî vult à te mutuari, non adverſeris, & eum qui tua tibi tollit, ne prohibeas: *Diligite inimicos veſtros, Benedicite maledicentibus vos, benefacite iis qui oderunt vos, orate pro calumniantibus, & perſequentibus vos. Nolite judicare, ut non judicemini: dimittite, & dimittetur vobis*. Ipſum eſt, ut modo dixit idem Pater, quod prædixerat Moſes Deuter. 18. *Prophetam de gente tuâ, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies*: ad quam hiſtoriam multi putant hoc factum penitus alludere. Vnde Moyſes ſumptus in teſtem: hîc etiam eſt mons: hîc nubes, vox Dei: hîc facies lucida: hîc timor Apoſtolorum, quorum omnium figura oſtenſa eſt in monte Sinai. Deus autem meminit pacti, ſe nimirum non locuturum populo, ſed ſe daturum eis Propheram, itaque ſubdit. *Ipſum audite*. Altera figura eſt in Ioſué, qui Moyſi ſucceſſit, cui ſic Deus loquitur. *Hodie incipiam te exaltare coram omni Iſraël, ut ſciant, quod ſicut cum Moyſe fui, ita & tecum ſim*: Veritas impletur in Chriſto, cum exaltatus eſt teſtimonio Patris. *Ipſum audite*: non mundum, cujus ſunt iniquæ leges, & impiæ. Huc faciunt verba S. Pauli Heb. 1. quæ ſatis conſonant cum ijs quæ dicuntur Deuteron. 18. *Qui autem audire noluerit, ego ultor exiſtam*

7. Revelatio eſt poteſtatis Chriſti in omnia. Damaſcenus in Carm. de Transfiguratione ſic ait. Tibi ô Chriſte ut cœlo dominanti, & terræ regno potienti, & ſubterraneorum principatum obtinenti, è terra quidem Apoſtoli adſtiterunt: è cœlo autem Elias Theſbites: è mortuorum autem numero Moſes.

8. Revelatio Reſurrectionis mortuorum. Damaſcenus. In hoc mortuorum reſurrectioni fides adſtruitur, ac mortuorum ac vivorum Dominus eſſe declaratur, ut qui ſcilicet ex mortuis Moyſem aſſumpſerit, vivum adhuc Eliam teſtem adhibuerit. Quid quod hinc diſcimus, Reſurrectionem futuram in eâdem carne, & in eodem corpore, ſervato unicuique ſuo vultu, atque lineamentis, addito tamen ſplendore, unde dicitur Chriſtus Transfiguratus, non eſſentialiter mutatus, vel ſecundùm ſubſtantiam, quod ſupra obſervatum eſt.

9. Revelatio ſecundi adventus in Majeſt. & in judicandis vivis, & mortuis: Nam Transfigurati-

rationem multi volunt, atque inter alios Basilius Seleuciæ, figuram fuisse secundi adventus, unde species majestatis, unde nubes, & vox quæ terrorem incutit: hinc Moyses & Elias, quos Ioannes docet esse venturos: ait enim dandam potestatem ignem de cœlo evocandi, & tenendi cœlum: quod Eliæ convenit: & potestatem mutandi elementa, & aquas in sanguinem, & percutiendi omnibus plagis: quæ omnia denotant Mosem.

10. Revelatio Gloriæ futuræ, vel in similitudine Christi secundum illud ad Philippens. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem quâ possit subjicere sibi omnia*: Vel etiam in Moyse & Elia quos ait S. Lucas visos esse in Majestate propter lucem eximiam.

11. Revelatio ex Concil. Trident. sess. 6. contra Hæreticos, Præter fidem & fiduciam in Redemptorem, necessariam quoque esse mandatorum observantiam: Ita enim loquitur can. 21. Si quis dixerit Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant, anathema sit: quæ doctrina fundatur in illis verbis. *Ipsum audite*; sicut præcedentia, Redemptorem notant, *In quo mihi complacui*; id est in quo placatus sum. Ex quibus constat plurima in hoc Mysterio fidei objecta nobis revelata fuisse. Iam quod ad modum Revelationis attinet.

Hæc omnia manifestata sunt penè sensibili modo, uti superiori concione demonstravi, & ita ex hoc mysterio Fides nostra evidentiam quandam accipit.

Sed & secundo loco, ex eodem Spes nostra certitudinem & firmitatem assecuta est, unde ad tam eximij spectaculi conspectum sic exclamat S. Damasc. ô spem, beatitudinem omnem excedentē! ô Dei munera cupiditatē omnem vincentia! ô beneficia sub petitionis mensuram minimè cadentia! ô donum non tàm accipiente, quàm dante dignum!

1. Quidem quoniam ut ait Apostolus Heb. 11. *Est autem fides sperandarum substantia rerũ*, seu hypostasis, *argumentum non apparentium*, seu Elenchus & convictio, hoc est ostensio atque demonstratio. Confirmatâ itaque Fide necesse est corroboratam fuisse Spem: neq; enim vana & futilia nobis proponuntur, sed certa & indubitata: Unde Petrus in 2. sua Epistola cap. 1. *Non enim doctas fabulas secuti*, &c. Vt ne quis putet vano fundamento inniti Spem nostram, cùm tam magna sint quæ speramus, & vires nostras superantia.

2. Quoniam Spei nostræ objecta proposita sunt 1. Corporum Resurrectio in Mose suscitatio: 2. Gloria essentialis & accidentalis, illa in Christi corpore luminoso, hæc in vestimentis candidis: 3. Regnum & hæreditas in illis verbis. *Hic est Filius meus dilectus*, in quibus fundatur omnis adoptio: 4. Societas Sanctorum & ejusdem gloriæ participatio in Mose & Eliâ, unde Damascenus: videbant in Moyse, & Eliâ conservis suis gloriam, atq; animi fiduciam, quâ re animabantur discipuli ad majorem zelum concipiendum, atque ad suscipienda certamina graviora, ut lucri cupiditas homines adducit, ut corpori suo minimè parcant.

3. Quia hæc omnia, quæ speramus, ipsi penè manibus attigerunt, & oculis præsentia usurparunt, Resurrectionem, gloriam, & regnum. Quod si antiqui Patres, quos Apostolus Hebr. 11. Senes, seu Seniores appellat, quia primis temporibus fuerunt, beneficio fidei, quæ res futuras & nondum existentes præsentes facit, securi defuncti sunt, *non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes*, instar navigantiũ, ait Chrysostomus, qui antequam littori appropinquent vident urbes à longè easque salutant; Quid de illis dicendũ est, qui omnia penè oculis usurparunt? Quare hanc spem rectè vocat Damascenus Beatitudinem omnem excedentem, & Dei munera cupiditatem omnem vincentia

Et

Et propterea Petrus hinc nolebat abire dicens, *Faciamus hic tria Tabernacula.* Quia scilicet *bonum est nos hic esse:* eò usque ut non jam Spes esse videatur quæ futuram civitatem inquirit, sed præsens quædam possessio : nam quid melius habet gloriæ possessio, nisi quod non sit alterius gloriæ intuitio sed propriæ possessio.

4. Quia non tantùm quæ speremus ostensa sunt, & sic ostensa ut ferè oculis subjecta sint, sed unde sperare debeamus ostensum: scilicet à Mediatore, quem Pater posuit *propitiationem pro peccatis nostris*, secundùm illud. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui*: Deinde mentio facta mortis Christi, unde omnis Spes nostra : quid enim in tantâ gloriâ loquebantur ? nihil aliud nisi *excessum quem completurus erat in Ierusalem*, ut scias gloriam, & Christi Passionem esse connexa.

5. Adverte autem cùm nihil ita Spem concutere soleat quam hujus vitæ incomoda, persecutiones, passiones, mors, & adversa omnia: (nam si minora nobis eripiuntur, quomodo majora dabuntur? si nec ipsa præsentia nobis relinquuntur, quomodo futura speramus?) Propterea hæc summa bona ostenduntur cùm fit mentio Passionis: *Loquebantur* enim *de excessu*, cùm apparerent in majestate : Et hoc sensu dixit Apostolus Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ Filiorum Dei: non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur*; est enim ejus objectum : *patientia autem probationem* : nam si quisque vires suas experitur, certè an sincerè Deum quærat agnoscit : *probatio vero spem*, nam si in tribulatione permanet, semper erit constans: *Spes autem non confundit*, quia bene fundata est. Ex quibus omnibus constat in hoc mysterio Spem nostram corroboratam esse, atque invenisse firmitatem.

Superest ut de Amore dicamus quem in hoc mysterio extasim atque excessum passum esse diximus: cùm huc concurrerint omnes amoris illecebræ, præpositis à Patre æterno, omnibus Filij sui perfectionibus, suóque ipsius exemplo. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite.*

In primis enim verbis *Hic est Filius meus dilectus* ea omnia continentur quæ ad ejus dignitatem & gradum, & magnitudinem spectant. Nam Pater æternus singulari quodam modo, & incommunicabili Filium suum appellat, quâ ratione nullam creaturam: In quâ voce hæc agnoscit Apostolus Hebr. 1. *In Filio quem constituit hæredem universorum* (id est Dominum) *per quem fecit & sæcula: qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præillis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, hodie genuite?* Hinc dicitur ab eodem Apostolo 2. Corinth. 4. Imago Dei, propter filiationem: imago inquam substantialis, ut scias æqualitatem, sicut Pater & Filius sunt ejusdem naturæ. Unde sequitur Deum esse: neque enim uti dicitur ad Philipp. 2. *Rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* : Item suprà omnem creaturam existere uti dicitur in Epist. ad Coloss. cap. 1. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ : quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra; visibilia, & invisibilia: sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Hinc factum ut eum etiam ut hominem propter unionem cum Verbo exaltarit Deus suprà omnem creaturam, secundum illud Ephes. 1. *Constituens ad dexteram suam in cœlestibus, suprà omnem Principatum & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.*

Porrò

Porrò cum hæc Christi Domini dignitas, multis modis innotuerit secundum illud Rom. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei*, id est demonstratus & declaratus est fuisse Filius Dei, *en virtute* per miracula, *secundum Spiritum sanctificationis*, per Missionem Spiritus Sancti cum varijs donis, uti promiserat: *Ex Resurrectione mortuorum* Iesu Christi Dñi. nostri, id est suâ, posito nomine loco pronominis, quia scilicet suâ virtute resurrexit: quibus probationibus eluxit Divinitas Christi ita ut dissimulari non potuerit, secundùm illud Ioan. 1. *Et vidimus gloriam eius, quasi gloriam unigeniti à Patre.* Nusquam tamen evidentiùs ad oculum & ad aures & sensus sic innotuit ea Divinitas sicut in Transfiguratione, ipso Patre attestante. *Hic est Filius meus dilectus*, ut jam dicere possit quod dixit Ioan. 8. *Testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.* Iam cùm fundamentum amoris æstimativi sit magna eius qui amatur æstimatio, hæc autem pendeat ex majori cognitione dignitatis ac meriti, cùm hinc maxima orta sit æstimatio dignitatis Christi, necesse est hinc accensum esse maximè in Christum amorem.

Quod autem dicitur *dilectus*, certè à Patre, cujus est Filius. Quomodo enim Filium suum sibi æqualem, unigenitum, quem habet in sinu, quemque extra se non genuit, non diligat? Certè tanto impetu & tam arcto complexu, ut Spiritum Sanctum producat amando, igitur infinitè, & divino modo. Nec homine factũ amare desinit. Unde singulariter *dilectus* appellatur, neque enim minus Filius & tanti Patris, secundùm illud. *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*: quantùm autem in eo statu, dilectus sit, significavit Ioannes Baptista, Ioan. 3. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus eius*: nam cùm in generatione æterna suam omnẽ substantiam, suasque omnes perfectiones dedisset, potentiam, sapientiam, bonitatẽ, immensitatem, &c. homini facto, novo quodam modo sic dedit ad quosdam effectus, ut ipsi humanitati subjicere tanta dona quadam ratione visus sit: scilicet ut quoties vellet Christus homo, Dei potentiam ad patranda miracula, bonitatem ad condonanda peccata, & authoritatem ad judicia exercenda applicaret: quâ etiam se spoliare Pater visus est ut Filium ornaret secundum illud Ioan. 5. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem*: Quid igitur mirum si ut ait Apostolus Ephes. 1. *Omnia subjecit sub pedibus eius*: etiam Angelos omnes quibus *cùm introduxit primo genitum suũ in orbem terrarum, dixit, & adorent eum omnes Angeli eius*: Imò & ministrent ei uti solent famuli suo Regi. Quantùm ergo Pater dilexit Filium ut totam suam aulam Filio Pater subjecerit, omnem gloriam suam, majestatem, excellentiam, potentiam communicarit, ut in toto orbe unà cum Patre æqualiter adoraretur, cum anteà tota illa gloria uni duntaxat Patri videretur à mundo deferri, ut nimirum tanto exemplo amor noster succresceret, Quis enim amare eum recuset quem sic Pater dilexit? Nimirum *qui de cœlo venit super omnes est.* Et nos itaque illum super omnes diligere debemus, ut per excellentiam dicatur *dilectus*: juxta titulum Psal. 44. *Canticum pro Dilecto.*

Iam quod secundo loco dicitur *in quo mihi bene complacui*, significatur illum nobis à Patre propositum fuisse, ut per eum ipse nobis placaretur ac reconciliaretur. Id enim hæc verba significant *in quo mihi bene complacui*, id est per quem mundo placatus sum, & reconciliatus, hoc est placari, & reconciliari decrevi, juxta illud Apostoli Rom. 4. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*: Et ad Colos. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem*

ejus, remissionem peccatorum: Habemus itaq; ab ipso primo prædestinationem nostram, Ephes. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum*: Et modum prædestinationis, Rom. 8. *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*: 2. liberationem ac redemptionem, ad Coloss. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum*: 3. Reconsiliationem cum Patre, 2. Cor. 5. *Qui nos reconciliavit sibi per Christum*: Ibid. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, Et ad Colos. 1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum: pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cœlo sunt*: 4. Iustificationem, secundum illud Rom. 4. *iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu*: & cap. 5. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deũ per Dominum nostrum Iesum Christum.* & 1. Cor. 1. *In Christo Iesu qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio*: 5. Omnia bona spiritalia, Ephes. 7. 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*: 6. Omnes gratias, Ephes. 1. *In qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum*: 7. Resurrectionem corporum. 1. Cor. 15. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*: 8. Vitam æternam. Ioan. 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Hinc originem habent omnes illi tituli Redemptoris Ephes. 1. *in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum*: Et Matth. 1. *Et vocabis nomen ejus Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*: Item Sacerdotis & Pontificis, Hebr. 5, *Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex, juxta ordinem Melchisedech.* Et cap. 7. *Hic autem eò quòd maneat in æternum sempiternum habet sacerdotium. Vnde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens, ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex*, &c. Item, Capitis, Ephes. 1. *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*, & ad Coloss. 1. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens:* Adhæc Sponsi, Patruelis, Primogeniti, Regis, & similium passim in Scripturis, quæ nomina significant varios respectus ipsius ad nos & diversa vincula, quibus Christo alligamur, ut nimirum nulla amori nostro deesset occasio. Sic enim videmus passim inter homines fieri, ut major sit amor, quo plures amoris necessitudines intersunt: ut nimirum amor noster in Christum non solùm æstimatione esset maximus, sed etiam intensione, ut neminem ante illum diligeremus, sed neque magis quàm ipsum.

Quod autem tertiò subjicit. *Ipsum audite.* His verbis Pater authoritatem dat Filio & potestatem & docendorum mysteriorum, & ferendarum legum: Vnde nobis ei parere necesse sit: Constituit itaque eum omnium nationum Magistrum, Legislatorem, Consiliarium, Iudicem, Vindicem, ac Remuneratorem, secundùm illud Isaiæ 33. *Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster; Dominus Rex noster.* 1 Dixi Magistrum: sic enim cõmuniſſimo nomine Christus vocatus est. Matth. 23. *Magister vester unus est Christus*, cui convenirent omnes perfectissimi Magistri dotes: Summa scientia, atque Sapientia, ut nihil ignoraret, ad Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Et Ioan. 1. *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Summa item Eloquentia, utpotè & qui verbum erat: unde convenienter proposuit quæ dixit: Psal. 77. uti refert Matth. cap. 13. *Aperiam in Parabolis os meum reve-*

revelabo abscondita à constitutione mundi. Et Lucæ 4. *Et mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus.* 2, Dixi Legislatorem cui obedientia debeatur: Itaque signanter dixit, *Ipsum audite*: Ipsum est quod prædixerat Moses Deut. 18. eum futurum Prophetam, ut pluries diximus: Unde significatur summa ejus sapientia, & indubitata sanctitas, ut nemo vereatur vel obedire jubenti, vel sequi consulentem: Erunt enim leges ipsius absque ullo errore & iniquitate, & ejus consilia cum summa sanctitate: non quales hominum leges, quarum semper aliquæ fuerunt aut iniquæ, aut turpes, & indecoræ: & propterea illũ appellat Joannes c. 1. *Plenum gratiæ & veritatis.* Hinc habuit omnes perfectiones quæ cogitari possunt, ingenii, sapientiæ, prudentiæ, bonitatis, justitiæ, æquitatis, authoritatis, virtutum omnium, & donorum omnium: *Ecce plusquam Salomon hic*, plusquam Moyses, & alii omnes: nam *de plenitudine ejus omnes accepimus*: neq; verò mirum videri debet, quoniam ut ait Apostolus ad Colos. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis.* Et Psal. 2. *Ego autẽ constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.*

Quæ omnes dotes quàm amabilem nobis exhibeant Christum, quis non videat? sed quis non sentiat? Verùm illis omnibus accedit summa ejus pulchritudo, potentissima amoris illecebra. Verba sunt Evangelistæ, *Et resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Certè ut ait Damascenus Orat. de Transfig. Cernitis quàm Sol hic noster pulcher sit, quàm decorus, quàm jucundus, quàm charus, quàm expetendus, quàm fulgidus, ac præclarus: quàm etiam vita hæc suavis, & amabilis, quam omnes velut mordicùs retinere studeant, nihilque non agunt, ut ne eâ priventur. Quanto igitur lucem illam, & ex qua lux omnis illuminatur, & suaviorẽ, & magis expetendam esse putatis? & ipsammet vitam, à qua vita omnis vivificatur, & impertitur, in qua omnes vivimus, movemur, & sumus, quanto tandẽ amabiliorem & jucundiorem? An non totus est dulcedo, ac totus desiderabilis? Nulla est oratio, nulla mentis agitatio, quæ hujus præcellentiæ modum, conjecturâ assequi queat: comparationẽ omnem vincit, nec sub mensurã cadit: quonam enim modo mẽsurâ definiri possit quod circumscriptionis expers est, nec vel ipsis mentibus comprehendi potest? Hoc lumen adversus omnem naturam palmam obtinet: Hæc vita est, quę de mundo triumphavit. Hæc Damascenus. Qui etiam addit comparationẽ Solis necessitatis fuisse, non æqualitatis, sic enim dicitur, non quòd Sole splendidior non esset, sed quantùm intueri poterant spectatores: nam si universam glorię claritatem ostendisset, an non illi protinùs exarsissent? Vnde etiam necesse fuit ut nubes obumbraret eos, nec tamen sic illa potuit obumbrare, ut non esset ipsa lucida; neq; enim opacitate suâ potuit lumen impedire. Sed quod etiã ampliùs admirare, vestimẽta ipsa, licet non essent diaphana, à corporis luce sunt illustrata, un le ait Marcus c. 9. *Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere*; Immò ipsi Moses, & Elias, ex luminis repercussione, uti dicit Lucas, c. 9. *visi sunt in Majestate*: Ac licet id ipsâ meridię fieret, nil tamen obfuit Solis splendor: Vnde Damascenus in Carm. de Transfigur. Sol hic noster se occuluit, ubi te vidit in monte Thaboreo. Certè quidquid de Christi Domini pulchritudine dictum est, ut à Prophetâ, *Speciosus formâ præ filiis hominum*: Item plurimos suâ pulchritudine attraxisse, secundùm illud, *Speciem tuâ & pulchritudine tua, intẽde, prosperè procede, & regna*, Item quod dicitur Ezech. 3. *Vt adamãtem*

& silicem posui faciem tuam, Quod Richard. interpretatur de pulchritudine Christi, qui ferrea etiam corda ad se attraxit: Denique quantum splendida videatur Sponsi descriptio, in cap. 5. Cant. quem Sponsa conquisitis undique similitudinibus formosissimum depingit, *Dilectus meus candidus & rubicundus: caput ejus aurum optimum, coma ejus sicut elata palmarum*, &c. & alia multa ad speciem formosissima, quam descriptionem his verbis concludit, *Totus desiderabilis*: Hæc tamen omnia, specie tam admirabili minora sunt, *Et resplenduit facies ejus sicut Sol*, usque eò ut Patres Græci dicant in eo splendore visam fuisse Divinitatem. Nihil itaque mirum, si inter tot amoris incendia, atque illecebras, extasim passi sint tres illi Apostoli tanti spectaculi testes beati, Petrus, Jacobus & Joannes. Vide enim quid passi sunt. 1. timore magno correpti sunt; ait namque Marcus cap. 9. *erant enim timore exterriti*. Timebant nimirum ne opprimerentur à gloriâ: Ad hæc tanta rerum inusitatarum præsentia, tanta Majestas in luce, in nube, & in voce eos percellebat. Et certè si Moses in monte Sina, perterrefactus est, ut ipsemet fatetur: Heb. 12. *Et ita terribile erat quod videbatur, Moyses dixit: Exterritus sum, & tremebundus*: Si qui Angelum vidissent se morituros credebant. Ita Gedeon Judic. 6. *Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem*: Si Daniel ad unius Angeli vocem penè exanimatus est: Quid mirum si ad tanti spectaculi visionem Apostoli timore sunt exterriti? Est autem timor effectus extasis, dum animus extra se rapitur, nesciens quid sibi fiat in statu insolito, seque ipsum superante. Vt autem scias extasim illam amoris fuisse, fuit ille timor admirationis ac stuporis, præ magnitudine tanti objecti, qui conjunctum habuit vehemens gaudium de eodem bono. Matth. c. 17. *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde*. Hic casus causam habuit timoremi nam ut ait Sanctus Hieronymus in Commentario. Timor magnus, corporis vires solvit: Siquidem humana fragilitas conspectum majoris gloriæ ferre non sustinet, & totâ animâ, atque corpore contremiscens, ad terram cadit, quod ferè solet in extasi contingere; dum enim extollitur anima corpus decidit, omnibus spiritibus exhaustis, quos anima ad unius objecti, illam ad se totaliter rapientis, contemplationem trahit. Sed ille insignis inter cæteros amator Petrus, quid non est passus in extasi? Nam præter ipsius cum aliis & timorem & casum, quo usque à se non est abreptus? *Domine bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum*. Ita scilicet tantæ Majestatis species illius animum occuparat, ut nihil aliud cogitaret, & omnem aliarum rerum memoriam abjiceret. *Bonum est nos hic esse*; quid enim vel honestius, vel delectabilius, vel utilius esse potest? Sic se res habet in extasi, unica res totam animam implet: Itaque consulit tabernaculorum erectionem, quasi aliarum rerum esset oblitus. Sic amanti contingit, ut si amato perfruatur, rerum omnium obliviscatur, nam ei sufficit, si amatum possideat. Sed ut ait Evangelista: *Nesciens quid diceret*; Ita nimirum in extasi quædam esse solet sapiens ignoratio. *Nesciens quid diceret*: Nimirum non habuit, ait Enthymius, quid diceret, quidve loqueretur; nam quæ verba sufficere possent, & tantæ rei significandæ, & suo sensui expromendo? Cùm nihil itaque haberet melius quod diceret, in hæc verba prorupit. *Bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula*. Sed cùm etiam hæc diceret, nescivit quid loquebatur: non quòd non intelligeret quod dicebat, uti malè aliqui interpretati sunt, nam & bonum esse dicebat, quod bonum esse sentiebat in se se, & tabernaculorum mentionem faciebat, quoniam inde exire nolebat, nam hanc fœlicitatem perpetuam esse optabat:

optabat: *Nesciens* tamen *quid diceret*: quoniam incongruè loquebatur, non advertens, quæ loquebatur non expedire: Etenim bonum esse aiebat ut hîc essent, hoc est permanerent: Tùm ut permanerent, tabernacula erigere volebat, in utroque deceptus: Neque enim erat bonum, hoc est conveniens illic manere, neque in tantâ gloriâ existentibus, & intra nubem receptis necessaria fuere tabernacula ut remanerent. Sed nimirum amor præceps est, & in extasi inconsideratus, ita in uno defixus est. Ita tam admirabilis spectaculi dulcedine allectus, & admiratione elatus cùm nihil melius cogitare posset, sic permanere voluit, aliarum omnium rerum oblitus. 1. Quod paulò antè dixerat Christus, sibi moriendum esse: 2. Christum non Petri tantùm causâ venisse, sed totius mundi, quod ipsi Petro exprobrat Damascenus: 3. Id non sufficere ad Christi gloriam, ut in uno monte cum Mose, & Eliâ permaneret, qui in cœlos erat ascensurus eum innumerabili Iustorum multitudine. 4. Id pugnare cum Scripturis Prophetarum, cum Patris voluntate, cum fine propter quem Filius Dei venerat. 5. Quòd nondum esset tempus mercedis sed pugnæ. Igitur, ait Damascenus, non implebitur quod tibi dictum est te accepturum claves regni cœlorum. Nisi Divinitatem Adamus præmaturè expetivisset, quod cupiebat, habuisset. Itaque ne ea quæ bona sunt præproperè petas. Erit aliquando tempus cùm hoc spectaculo in sempiternum fruaris.

Certè vides quod dixi summam fuisse extasim, revelationem omnium sublimissimam ac diviniſſimam. Sic Sponsa introducta in cellam vinariam: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* 1. Cor. 16. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema; Maranatha.* S. Clemens. Sit anathema usque ad adventum Domini. S. Anselmus, Si prior adventus non fuerit utilis, sit ei ad damnationem secundus mox futurus. Finis Transfigurationis solus JESUS. Amen.

FERIA SECUNDA
DOMINICÆ SECUNDÆ,
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO PRIMA;
Exponitur hæc sententia per varias propositiones.

In peccato vestro moriemini. Joan. 8.

MIRA est peccati, & mortis conjunctio, ut de uno dici nihil possit, quin de alio oriatur sermo: Ita ab initio mundi prima mortis comminatio fuit ratione peccati: Unde Apostolus Rom. 5. *Per unum hominem, peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum*

mors, & ita in omnes homines mors pertransiit: in quo omnes peccaverunt, nam ante peccatum homines poterant, non mori, *Deus* enim, *ab initio hominem* creaverat *inexterminabilem*, sed ubi factus est homo peccator, factus est mortalis: & ferè in lege hæc se comitantur, *Anima quæ peccaverit ipsa morietur*. Quod si utrumque seperatim sumptum, est horribile, multò magis conjunctum erit formidabile: 1. Cor. 15. *Stimulus autem mortis peccatum*, quia confixi aculeo peccati homines moriuntur: quasi diceret Apostolus, vim, telum, & potestatem mortis esse peccatum: neque enim mors aliquid potuisset in homines, nisi per peccatum: Mors itaque ut bellator est, in cujus manu peccatum est quasi telum, quod ubi homines sauciati sunt, illicò moriuntur: Itaque stimulus mortis est peccatum, nam mors peccato homines vulnerat, ac pungit, & sic pungendo interficit. Mors igitur est per peccatum, & peccatum per mortem ut sensibiliorem formidabile est: cùm enim per se blandiatur, ejus amaritudo per affectum, seu per mortem sentitur. Sed si mors ex peccato sequens, est acerba, longè acerbior est, quæ cum peccato contingit: quare summa omnium pœna huius vitæ, est mori in peccato, & summus hominum timor esse debet ne in peccato moriantur: Et cùm id maximè nostrum interest, maximè curare debemus, ne illud nobis contingat, & id quotidie flagitamus à Virgine, cùm ejus preces exposcimus, pro horâ mortis. Qua propter ejusdem opem pro hoc, de re eadem, discursu, petamus. AVE MARIA.

DE tam formidandâ materiâ dicturo, veniunt in mentem hæc S. Chrysost. verba homil. 57. in Matth. Non sum nescius, molesta hæc verba multis videri: Verùm quoniam nullum est, emolumentum silentij, aperte mihi dicenda omnia esse video, quippe si tacuero, nec verbis vox exagitavero, non potero per taciturnitatem à supplicio vos liberare: immò vero è contra, non solum vestræ afflictiones futuræ augentur, verùm etiam meæ crescunt: Quid igitur valet blanda verborum palpatio, quæ non modò non juvat ad opus, verùm etiam vehementer nocet? Quid lucrabor, si lætitiam vobis afferam verbis, & reipsa mœrorem præparavero: si delicatissimum aurium sensum demulceam, & animam in pœnas detrudam? Quare necesse est mœrorem hic inferre, ne ibi atrociter puniamur. Hæc ille. Adde quod sicut in hac sæculi corruptione homines non nisi extremis rebus cõmoveri solent, ita illo aquæ sunt ordinaris non tangunt: Deinde tantus est sui ipsius amor, ut præter timorem rerum maximarum nihil nos à malo possit avocare: Denique etiamsi undequaque terrores ingeminemus, quàm pauci tamen sunt, qui à timore Dei, spiritum salutis concipiant, uti dicit Propheta Isaïas cap. 26. *Concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum*: Sed nimirum insolita est in peccatore impudentia, & duritia, ita ut non nisi multo tempore vincantur, nobisq; liceat exclamare cum Ieremiâ c. 5. *Percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti*: Nihil ominus tamẽ si de vestrâ salute desperarem, cessarem utique, vel aliam dicendi viam inirem quæ vobis gratior esset, & minùs mihi laboriosa, nec vos majoribus supliciis dignos efficerem: Verùm zelus, quẽ à Deo mihi dari sentio, maximo mihi argumento est Deũ vestram omnium conversionem moliri: unde etiam obstinatissimos alloquor, qui licet tàm multa audierint, non tamen à peccatis resipiscunt: Quid enim adhuc ad Conciones frequen-

quentissimi accurrunt, nisi quia Deus paulatim eos ad se pertrahit? Et ut vestram conscientiam convenire mihi liceat, nonne jam non tàm libet Deum offendere? nonne sentitur aliquis pudor? nonne tangit conscientia? nonne quærunt ir latebræ? nonne prætexuntur excusationes? hæc omnia indicia sunt victricis gratiæ, quam spero plenissimam victoriam de vobis reportaturam. Age igitur, mi auditor, & in hujus formidandæ sententiæ explicationem ingrediamur, idque per varias, sed inter se connexas propositiones, ut nihil dubitationis relinquam.

I. Propositio. Nemo est qui si post admissum peccatum, quodcunque tandem sit, ingemuerit uti oportet, veniam apud Deum non reperiat: Ezechielis cap. 18. *Cùm averterit se impius ab impietate suâ quam operatus est & fecerit judicium, & justitiam, ipse animam suam vivificabit: considerans enim & avertens se, ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vitâ vivet & non morietur*: Et c. 33. *Impietas impij non nocebit ei in quâcunque die conversus fuerit ab impietate suâ, & si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, vita vivet, & non morietur: omnia peccata ejus quæ peccavit, non imputabuntur ei. judicium & justitiam fecit, vita vivet*: Ambros. lib. 2. de pœnitentiâ cap. 4. Omnibus conversis pollicetur veniam, quia scriptum est, *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit*: Tanta nimirum vis est pœnitentiæ: quod est adeò verum, ut non modò Deus id dicat, sed etiam juret, cum ait, *Vivo ego*: quod advertit Tertull. lib. de Pœnitentiâ cap. 4. Bonum est pœnitere? an non? quid revolvis? Deus præcipit: At enim ille non præcipit tantum, sed etiam hortatur: invitat præmio salutem, jurans etiam, vivo dicens, cupit credi sibi: ô beatos nos, quorum causâ Deus jurat: ô miserrimos nos, si nec juranti Domino credimus. Hinc factum ut in Scripturâ data sint nobis exempla quorumdam gravissimorum peccatorum, quibus pœnitentia statim veniam promeruit: Ambros. libr. 2. de pœnitentiâ cap. 6. sic flevit Ninives populus, & denunciatum excidium civitatis evasit: Tanta est enim pœnitentiæ medicina, ut mutare videatur suam Deus sententiam. Verùm dixi, si tamen peccator ingemiscat uti oportet: Quia non omnis pœnitentia sufficiens est, sed & certum motivum requirit, & certam quantitatem, hoc est integritatem: Quin etiam alia vera est, alia falsa pœnitentia: Neque verò etiam omnis vera pœnitentia sufficiens est ad justificationem, licet possit esse via, & dispositio ad illam qualis est attritio, uti docet Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. Ex his omnibus patet quod dixi, nullum esse qui si post admissum peccatum ingemuerit uti oportet veniam non consequatur.

2. Propositio. Nemo tamen ingemiscit, nisi Deus dederit, secundùm illud Apostoli 2. ad Timoth. 2. *Nequando*, Græcè μήποτε, si quando si forte, *det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis*: unde Leo Papa epist. 91. Pœnitentiam credimus ex Dei inspiratione conceptam, dicente Apostolo, *ne quando det illis Deus pœnitentiam*: & Augustinus lib. 5. in Julianum cap. 3. Nisi ipse dederit, quis aget pœnitentiam? Itaque illud orat Jeremias cap. 31. *Converte me Domine, & convertar, postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam*: Etenim potest peccator per seipsum à Deo recedere, sed redire non potest, nisi Deus revocarit: Vnde ipse Ezechiel. 6. Pollicetur se daturum cor novum: *Dabo* (inquit) *vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*: Idem passim definiunt Concilia, Arausicanum 2. can. 4. Trident. sess. 6. can. 3. Si quis dixerit sine Spiritus sancti

sancti inspiratione, & ejus adjutorio posse aliquem pœnitere sicut oportet, anathema sit: Ratio est, Quia actus pœnitentiæ est supernaturalis, est enim ad gratiam dispositio, quæ à nobis solis proficisci non potest, ne initium justificationis sit à nobis: ad hæc motivum habet supernaturale, & respicit offensam, ut scindentem amicitiam Dei, ut privantem gloriâ cœlesti, addicentem suppliciis æternis, & inducentem, maculam peccati, quę omnia, uti supponunt cognitionem fidei, & notitiam supernaturalem: ita similem habent in voluntate affectum supernaturalem: unde sequitur neminem pœnitere posse, nisi Deus dederit, uti dicimus de actibus Fidei, Spei, Charitatis, & aliis supernaturalibus.

3. Propositio. Nemini verò faceret injuriam Deus si locum pœnitentiæ non daret, nec pœnitendi gratiam. Probatur 1. exemplo Angelorum prævaricantium, quibus ne momentum quidem pœnitentię dedit, sed statim eos de cœlo dejecit in barathrum. Quia per peccatum omne jus amittitur ad omnes gratias, immò omnis dignitas perit, sed potius oritur indignitas, & meritum contrarium: quare cum dicit Trident. Neminem à Deo deseri, nisi prius ab eo deseratur, satis indicat Deum aliquos deserere à quibus priùs fuit desertus: 3. Quia neque tenetur Deus ex justitiâ, neque ex fidelitate. Non ex justitiâ: Quia nihil peccatori debet præter pœnam: unde habitâ ratione peccatoris debet eum potius privare omni gratiâ, quam aliquâ prævenire; debet potius indurare, quam emollire: Neque ex fidelitate, quia Deus nihil peccatori promisit præter pœnam: unde sequitur si aliquibus concedat, allijs deneget; iis quibus negat, nullam facere iniuriam: sed erga istos, justum esse, erga alios misericordem: quod utrumque pertinet, & ad summam ejus dominationem, quia donorum suorum est Dominus: unde Apost. Rom. 9. *cujus vult miseretur, & quem vult, indurat*: & ad summam ejus sapientiam, cujus est non eodem modo omnes ordinare: & cùm in hominibus rationes desint hujus discriminis, oportet eas in ipso Deo reperire: quod idem Apost. facit cùm dicit, *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*: Deniq; ad summam Dei in electos commendandam clementiam, quos ipse fecernit, & quos aliorum suppliciis instruit, secundùm illud Roman. 9. *Sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*: Et sicut melius esse existimavit ex malis bona facere, quàm nulla mala esse permittere: ita melius est ipsum quibusdam non parcere, ut aliis prosit: præsertim quia unicus prædestinatus pluris est quàm innumeri reprobi: immò quibus videtur non parcere, sæpe parcit vitam illorum finiendo, quia diutiùs vivendo deteriores fiunt: cùm enim omnis qui vivit, idcirco vivat, aut ut corrigatur, aut ut alios probet; si Deus aliquem videat, nec suo, nec alieno bono vivere, talem è vivis eripit: alioquin enim ut ait Ambros. lib. de bono mortis, cap. 7. Gravius est ad peccatum vivere, quàm in peccato mori: quia impius quandiu vivit, peccatum auget: moriatur, peccare desinit. Itaque de eo qui moritur impœnitens, sic pronuntiat author de verâ & falsâ pœnitentiâ, c. 17. Si semper viveret, semper peccaret, at Dei est miserentis, qui operatur finem peccantis.

4. Propositio, Aclicet Deus ut plurimùm soleat homines expectare ad pœnitentiam, secundùm illud Isaiæ 30. juxta versionem LXX Interpretum, *Et rursùs expectat Deus, ut misereatur vestri*; ubi vox: *rursùs* iteratam expectationem indicat: (& hinc tam frequens apud Prophetas invitatio ad pœnitentiam: Ezech. 18. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas: projcite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite*

facite vobis cor novum, & spiritum novum: Et quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite. Et cap. 33. *Dic ad eos. Vivo ego, dicit Dominus Deus nolo mortem impij, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat: Convertimini convertimini à vijs vestris pessimis, & quare moriemini domus Israël?*) Quosdam tamen non expectat, neque dat illis spatium, & gratiam pœnitendi, uti accidit Dæmonibus, & illis qui post grave aliquod peccatum incidunt in insaniam, aut phrenesim, aut lethargum; vel quibus vitam aufert morte aliquâ reperninâ, aut violentâ, ut quos oppressit turris Siloë casu repentino de quo scribit Lu. c. 13.

5. Propositio. In illis autem omnibus qui vel expectatur, nihil formidabilius cõtingere potest quàm si in peccato suo moriantur: Nota itaque hanc propositionem, *In peccato vestro moriemini*, triplicem sensum habere posse: Primus est ut particula (*In*) significet causam, & sensus sit, peccatũ esse causam mortis nostræ; Quod in universũ dici potest, secundùm Apost, Rom. 5 *per peccatũ mors*. Ratio est: quia cùm peccatũ invehat reatum pœnæ; peccati pœna maximè propria est mors. Nam qui malè usus est eo quod accepit, meritò illo privari debet, uti multis contingit, seu remissum sit peccatum, seu non remissum: Ita Rex Iosias in exercitu est interfectus eò quòd voci Prophetæ non obedisset: Ita inumeri Israëlitæ interfecti sunt in deserto à serpentibus: 2. Ut sit concomitanter, ut scilicet mors sit in peccato, ante actam pœnitentiã: ac sæpe utrumq; conjungitur, ut scilicet aliquis propter peccatum moriatur, & in peccato: Ita Pharao submersus est: ita puniti sunt Sodomitæ: Ita duo filii Iudæ Her, & Onam interfecti sunt à Domino, Genes. 28. ob semen effusum: & in tali casu mors est effectus reprobationis, & terminatur ad damnationem, sive ad irrogationem Pœnæ æternæ: 3. sensus fingi potest, ut aliquis peccator moriatur in peccato, ita ut mors ipsa sit peccatum, & sit conjuncta cum peccato: Id contigit Saüli Regi, & Iudæ proditori. Et quidem mori ob peccatum durum est, quia mors habet rationem suplicii, & consequenter infamiam; sed nihil gravius, nihil acerbius fingi potest, quàm mori in peccato, ex sensu omnium, nam hoc est votum etiam pessimorum, ut benè moriantur; & nulla frequentior imprecatio, quam malæ mortis: ita ut licet pessimi quique de bonâ vitâ minimè curent, tamen de bonâ morte curent maximè; siquidem ut ait Abulensis, impii volunt bonam mortem, quia felicitas est, nolunt bonã vitam, quia laboriosa: talis fuit impius Balaam Num. 23. *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* Sed vide sensum eorum qui de rebus, uti oportet judicant: Quantum Samuël luxit Saülem cùm à Deo didicit esse reprobatum 1. Regum cap. 15. *Veruntamen lugebat Samuël Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quòd constituisset eum Regem super Israël:* usque eò ut ei dicat Dominus capite sequenti, *Vsque quò tu luges Saul, cum ego projecerim eum ne regnet super Israël*: Quis referat lacrymas Davidis super filium Absalonem, 2. Reg. c. 18. *Contristatus itaque Rex ascendit cœnaculum portæ, & flevit, & sic loquebatur vadens, fili mi Absalom, Absalom fili mi quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom!* & certè meritò: neque enim est luctus in morte ultimâ seu secundâ quæ est animæ, similis luctui qui fit in morte corporali: nam uti dicitur Eccl. 22. *Luctus mortui septem dies fatui autem & impij, omnes dies vitæ illorum.* Quia jactura animæ, est rerum omniũ jactura: illâ enim amissâ, quid tibi superesse potest? Vnde Christus Dominus, Matth. 16. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò detrimenium patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Nam, ut ait Chrysost. Num aliam habes animam, quam possis pro animâ tuâ dare? Sanè qui pecuniam amisit, pro amissâ aliam potest

accipere, similiter qui ędes, qui servos, q cætera hujusmodi amisit: animā verò si perdas, aliā pro eâ dare nunquam poteris: sed si Rex orbis atq; Dominus esses, si omnia quæ in orbe sunt & ipsum orbem offerres, non poteris animā unam redimere. 3. Quia jactura est irreparabilis: sicut enim in præteritum nulla est amplius potestas, ita animam perdidisse, tantum est, ut jactura sine remedio sit: Ecclesiastis 11. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit*: Etenim quod in amicorū, aut affinium morte nos tangit, illud est, quòd moriantur non victuri, & quòd spiritus non revertatur, *& noluit consolari, quia non sunt*: Ita in jacturâ animæ, illud angit potissimùm quòd irreparabilis existit: Quamdiu sumus in hac vita, spes semper est in quocunq; statu: sed si aliquis in peccato mortali mortuus fuerit, de eo in æternum actum est: *Quam dabit commutationem pro anima sua?* 4. Propter illa quæ morti in peccato obitæ succedūt: quæ enim dicuntur de statu misero peccati, quamdiu sumus in hac vitâ, minimè fiunt manifesta; sed mortem in peccato obitam, mala omnia consequuntur: nempe ex Chrysost. in hæc verba, *Ne aliquid deterius tibi contingat*, Fluvii ignei, vermis non moriens, carcer perpetuus, ignominia sempiterna, paupertas, sitis, fames, angustia, rabies, desperatio, & perpetuum cum Deo divortium: quia ex Sancto Bernardo lib. 5. de consider. c. 12. Rectus Dominus noster, qui & cum perverso pervertitur; nunquam recto, pravoque conveniet, hæc enim in vicem adversantur, etsi non invicem lædant, læsio alterius est, absit ut Dei.

6. Propositio. Illud mori in peccato multis modis contingit. 1. per formalem impœnitentiam: 2. sine formali impœnitentiâ, neq; id volentibus, quibus tantū malum contingit. Jam formalis impœnitentia dupliciter contingere potest; vel per formalem & explicitā voluntatum, cùm sic est obstinata voluntas, ut formaliter converti nolit, eò enim aliquando procedit malitia, ut anima etiā morti proxima nolit converti: vel per voluntariam aut culpabilem omissionem pœnitentiæ, cùm præceptū illius obligat, in quo ferè tria distincta peccata mortalia committuntur, unum contra justitiam divinam: nam quia peccatū est offensa in Deum, ideò exigit justitia divina ut satisfiat Deo offenso, quod fit tantùm per pœnitentiam: alterum contra Dei charitatem, nam cùm amicitia Dei perdita recuperari non possit sine pœnitentiâ, certè si charitas ad ullū actū obligat, non dubiū, quin ad ipsam habendā, cùm vero sine pœnitentiâ haberi non possit, necessariò ad illā obligat: tertium contra charitatem sui ipsius, seu misericordiam propriā, quæ obligat hominem, ut habeat curam salutis suæ, secundùm illud Eccles. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo*: quòd si unquā obligat, certè in morte, aut in gravi mortis periculo: Itaq; si quis sciens se in periculo mortis versari, omittat pœnitentiā, vel ex negligentiâ culpabili, ut qui illam differt, qui malè speratse restituendum sanitati, qui non petit efficaciter Confessarium, qui non resistit impedimentis, qui non providit congruo tempore, neq; modis debitis: vel ex ignorantiâ vincibili, vel ex certâ scientiâ, sine voluntate quidem directa omittendi: cum voluntate tamē agēdi, vel timēdi aliquid incompossibile præcepto, ille peccat formali impœnitētiâ.

Materialis autem impœnitentia seu mors in peccato, quæ peccatum novum non inducit, sed hominem ponit in ultimo statu, & inconvertibili, multis modis contingere potest, & sæpe solet.

1. Cùm quis occupatur morte repentinâ, cùm vel periculum nescitur, vel tacetur nobis; aut spe improba Medicorum, nam nostra non sufficit, neq; excusat à peccato; aut negligentia domesticorum, qui curā habent corporis, & sanitatis, & animæ curam non habent; aut metu ne a groti terreantur & affligantur. & sic augescat morbus; vel delirio adveniente, aut insania, aut sensibus occupatis, ac sopitis: ita enim fit ut homo incapax fiat pœnitentiæ ac remissionis peccatorum, atq; ita, si in peccato mortali sit, in eo statu decedat.

2. Accidit quia omnia desunt remedia, etiam-

tiamsi maximè optemus,& quæramus: quod sexcentis modis fieri potest: accidit in numerosâ familiâ, ne unum quidem inventum qui Sacerdotem accerseret, ita alius in alium eam curam rejiciebat, ac miser ægrotus sine confessione decessit: læpe contigit, ut Sacerdos non reperiretur, vel dum venire differret, ut, æger moreretur, & ad litteram illud Christi Domini impletum est, *quæretis me, & me non invenietis*: Ioan. 7. unde fit, ut æger cùm non habeat contritionem, neq; sacramẽtum, licet nihil omiserit, quò confessionem haberet, miserè tamen decedat, atque damnetur, non propter omissam confessionem, sed ob peccatum præteritum, quod deletum non est: Neque Deus injuriam illi facit, non magis quàm ei, quem occupat minimè opinantem, & hæc permissio, plerumque est effectus reprobationis.

3. Accidit etiam quia gravissimis tentationibus, & magnitudine morbi, & gravi mentis ægritudine, ac desperatione impeditur pœnitentia, Deo subducente auxilia supernaturalia extraordinaria, cùm ordinaria nobis, culpâ nostrâ, sint inutilia: cùm itaque Deus non teneatur dare auxilia ista extraordinaria, non facit derelicto injuriam, si non dat: cum illorum tamen negatione conjuncta est omissio pœnitentiæ. & consequenter damnatio, quod fit ex culpâ morientis.

4. Quia quæ fiet pœnitentia, & quæ Deo offeretur, coacta erit, ac minimè sincera, itaque nullius momenti apud Deum, quod justissimè contingit Deo toties contempto: Talis fuit pœnitentia Esau, & Antiochi Regis: de primo ita loquitur Deus Hebr. 12. *Ne quis fornicator aut prophanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. Scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam*: prophanum vocat Esaũ, quòd primogenituram vili escâ vendidisset, seu quod munus Sacerdotii annexũ esset primogenituræ vel jus benedictionis quæ dabatur primogenito: Ille igitur impius, cũ parvi pendisset primogenita sua, ea vili escâ vẽdidit; postea verò, cùm quid egisset agnovit, volens culpam lacrymis redimere, ut vidit se à suo jure excidisse, omnia luctu complebat, sed malâ pœnitẽtiâ, nam rationem tantum habebat utilitatis, & emolumenti externi, ideò suis lacrymis non potuit movere Patrem, ut sententiam suam mutaret: non enim dolebat uti oportebat, sed respectu tantùm terreno itaque indignus judicatus est, qui audiretur, & pœnitentiam inveniret, verum multorum reproborum exemplar, qui in extremâ positi necessitate, inutiles fundunt lacrymas, nec pœnitentiã, quam non quærunt, uti oportet, inveniunt, unde damnantur; itaq; licet viventib⁹ pœnituisse videantur, licet eorũ narrẽtur lacrymæ, & luctus, & clamores, nihilominùs tamen quod quærunt non consequũtur: juxta illud Apostoli, *quod quærebat Israel, non est consecutus*: idq; justo judicio fit, ut ej⁹ pœnitentia & preces non exaudiantur, qui vivens Dei vocationẽ & præcepta neglexit: Ita Prov. 1. *Quia vocavi, & renuistis, extẽdi manũ meã, & non fuit qui aspiceret*, &c. *ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo*, &c. *cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tẽpestas ingruerit*, &c. *Tunc invocabunt me, & non exaudiam: mane cõsurgent, & non invenient me, eò quod exosam habuerint disciplinã & timorẽ Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ*: & Iob. 27. *Nunquid Deus audiet clamorẽ ejus, cũ venerit super eũ angustia*? De altero verò scilicet Antiocho scribitur 2. Mach. c. 9. Regẽ impiũ, cum sumis, & acerbissimis doloribus torqueretur, agnovisse causam hujus supplicii, & coram omnib⁹ fassum esse: proposuisse cõpensationẽ faciẽdam: imò se futurũ Iudæũ, cum divinæ potestatis, & dominationis agnitione, *Iustum est subditũ esse*

Deo & mortalem non paria Deo sentire : Verùm audi, quanti Deus hominis impii pœnitentiam, suppliciis extortam, nec ab amore Dei profectam fecerit : *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus* ; ut nimirum intelligas non quamlibet pœnitentiam etiam cum lacrymis & gemitu, acceptari semper à Deo, quod satis multis evenit, quorum maxima fuere crimina, atque scelera : non quia pœnitentem uti oportet, Deus unquam repellat, secundum illud Psalmi 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, sed quia non sinceram, & coactam pœnitentiam non recipit : Itaque ejusmodi homines in peccatis suis moriuntur, horrendo quodam, & formidabili judicio.

7. Propositio, Quibus contingat tam formalis quàm concomitans impœnitentia seu mori in peccato, ipsa docet experientia.

1. Itaque formalis contingit magnis peccatoribus, cùm enim in vitâ suâ Dei judicia neglexerint, in fine vitæ plerumque aguntur desperatione: Ita Caïn, Saül, & Judas proditor : Id tibi continget, ô hominum infœliciſſime; Tu quidem in vitâ omnia negligis, ac parvipendis, sed erit tempus, cùm te peccatorum tuorum tempestas obruet, atq; aget in desperationem, secundum illud Sap. 4. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso, iniquitates ipsorum.*

2. Qui ex gravi malitiâ peccarunt, quales Hæresiarchæ, & Hæretici qui scienter erraruntt: ex omnibus Hæresiarchis vix unus Berengarius ab errore conversus est.

3. Qui cum maximâ ingratitudine Deum deseruerũt, ut qui desciscunt à magnâ sanctitate, qui magnas & extraordinarias gratias acceperunt, in quibus aliquid insolitum præstitum est : ut insignes Apostatæ à religionibus, secundum illud Hebr. 6. *Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*, nempe ob bonorum rei.

4. Qui peccant peccatum ad mortem, non quodlibet peccatum mortale, sed quod suapte naturâ, ex speciali malitiâ, ita tendit in mortem æternam, ut cum principiis vitæ spiritalis, ex propriâ ratione directè pugnet, quale est peccatum, quod fit ex magnâ malitiâ contra Spiritum Sanctum, & similia: nam ut ait Sanctus Joannes 1. Epist. cap. 5. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*; id est, quilibet de vulgo : eò quòd ejusmodi peccatorum difficilis sit remissio, & laboriosa.

5. Iis qui in aliquo peccato induruerunt, nec aliquando intermiserunt, vix enim sub finem vitæ reverti poterunt ; ita homo impurus vix unquam poterit sincerè suis amoribus renunciare, quia ut ait Sapiens Proverb. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur: ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.*

Materialis verò impœnitentia, seu mori in peccato contingit sequentibus.

1. Iis qui longam vitam sibi polliciti sunt, juxta illud Salvatoris, *qua hora non putatis Filius hominis veniet* : & illud Apost. 1. Thess. 1. *Ipsi diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet; cùm enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugiet.*

2. Qui nimis securi sunt, & vivunt in profundâ pace, unde contrarias avertunt cogitationes : nolunt cogitare de morte, neque de judicio, per hoc enim ipsum puniuntur, per quod peccant : ita mortales diluvio perierunt: Ita Sodoma periit; *qua*, ut ait Scriptura, *subversa est in momento, & non ceperunt in ea manus.*

3. Qui differunt pœnitentiam, ac negli-

gli-

gligunt gratias vocantes, secundum illud Jerem. 8. *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo ; non sunt confusi, erubescere nescierunt: idcirco cadent inter corruentes, dicit Dominus* : Etenim sicut vocationem respuunt, ita etiam irridentur à Deo sub finem , etiamsi illud maximè reformident, Proverb. 1. *Quia vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret : despexistis omne consilium meum , & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis , id quod timebatis advenerit*, &c.

Quid hîc dicam, Auditores: quid faciam? cui loquar? & quem contestabor? Etenim video mihi rem esse cum triplici hominum genere:

1. Si quidem sunt aliqui planè desperati, planè impij, atque infideles, qui tantis rebus non commoventur, quia ne credunt quidem, *Irruat super eos formido, & fiant immobiles quasi lapis.* Quid enim illis pronuntiem , nisi extremum super eos judicium ? sed si aliquis adhuc in eis superest sensus , hoc eos dilemmate percello : vel enim adhuc credunt, vel non credunt: Si credunt, næ jam damnati sunt atque reprobi , vel suo etiam calculo, ut cùm ea credant, illis tamen non moveantur. Nam quid tibi gravius, quid atrocius potest contingere ? Tu si id capis , quanta res sit mori in peccato, quid sequatur mortem obitam in peccato , quàm jure timere debes ex tuâ vitâ, talem mortem : fieri ne potest ut sine sensu remaneas, ac non potiùs toto corpore, totâ mente perhorrescas ? Etenim quid jam est reliqui, quod timere debeas , si hoc non times ? Quid jam reliqui quod sperare debeas, si id tandem incurristi? ubi mens ? ubi sensus ? ubi judicium ? ubi æqua rerum æstimatio ? Si non credunt; quò pertinet ista fidei , & morum, & vitæ dissimulatio ? cur à tam multis rebus inutiliter se abstinent , & cohibent ? cur tantùm in vitâ dissimulant, cur tam multa simulatè agunt ? quid in templum veniunt ? quid conciones audiunt? cur aliquando confitentur ? cur non vivunt arbitratu suo ? Nonne miseri sunt, qui multa pro hominibus faciant & patiantur, quæ nec pro Deo facere vellent , quin, omnia sibi permittunt scelera, crimina, flagitia.

2. Sunt alii qui semper differunt pœnitentiam, & suæ conscientiæ curam, ac spe improbâ decepti pœnitentiæ tempus sibi pollicentur. Sed quo fundamento ? quâ certitudine? sed si spe suâ frustrentur, quid illis fiat ? si occupentur miseri non opinantes, an illa spes justa erit excusatio? Decreveram, inquis, pœnitere, nisi mors occupavisset. Sed monitus eras, ne expectares: Tot voces, tot exempla, id tibi persuadere debuerant: Quid in re tanti momenti, te periculo objicis? ac si periculum dubium fuisset, ne sic quidem agere debueras in re tam gravi, cujus nullum supersit remedium : Nunc verò cùm ipse Christus asserverit te deprehendendum; ubi animus? ubi ratio? ubi consilium? ubi prudentia? ut te certo & aperto exponas periculo ? Sed pœnitentiæ tempus tibi non negatur? Cur quod tibi datur, insumis ad peccandum? Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnis ? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit, secundũ autẽ duritiã tuã & impœnitens cor , thesaurizas tibi iraã in die iræ, & revelationis justi judicij Dei.* Sed quãdo tandem facere proponis? an cùm vitia tua assuetudine coaluerint ? cùm te illis negotiis, illis amicitiis, illis necessitatibus implicueris, à quibus te expedire ferè sit impossibile? Scilicet vis pœnitentiam tibi reddere impossibilem. Sed quando facies ? quando fortassis ad finem præparatarum tibi gratiarum veneris : neque enim illæ infinitæ sunt: ac veniet illud tempus, cùm nulla tibi gratia danda supererit, cùm omnes tibi datas neglexeris: Sed quan-

do facies? an in morbo? an in senectute? an in morte. Sed in morbo multum feceris, si sanitati restituendæ vacaveris: sed in senectute, animus infirmus, debilis memoria, corpus viribus fractum, & ætas rebus difficilibus & gravibus inepta: sed in morte, morbus, dolor, defectus animi, & virium, temporis brevitas, animi perturbatio, graviores tentationes, omnia difficillima, & acerba, & in angusto posita, impediunt ne aliquid fiat, multò magis illud quod in omni alio tempore unusquisque difficillimum experitur.

3. Ac denique alij sunt, qui tantùm terentur, nihil autem propterea operantur. Ab illis hoc quæro, an suos timores putent esse justos, an non? Si non credunt justos; cur se inutiliter ac penè pueriliter terreri sinunt? cur ingemiscunt? cur cõmoventur? cur sine causâ terrẽtur? Quòd si justos putãt; cur igitur nõ aliud adhibent suis rebus remedium, ne in ea incidant, quorum vel sola expectatio ac timor sic animum excruciat atque perturbat? Alioquin omnibus dico, Si has occasiones adeò opportunas negligant, venturum illud tempus, cùm à Deo omninò rejiciantur, atque in suo peccato certissimè, sed & miserrimè moriantur: quod avertat, qui nos ad veram pœnitentiam vocat, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula.

FERIA SECUNDA
DOMINICÆ SECUNDÆ
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO SECVNDA
DE MORTE IN PECCATO

Quòd hæc propositio *In Peccato vestro moriemini.* Joan. 8. vel comminatorie facta, vel enuntiativè sit horrenda: ut pote quæ ostendat homines maximâ ex parte mori in peccato & damnari.

VERA ratio cur sæpiùs de morte cogitandum est, ea est quia semel tantùm morimur, secundùm illud, *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autẽ judicium*: quod n. semel tantũ fit, oportet ut quomodo benè fiat, sæpiùs discamus, qa in eo bis peccare nõ licet: Ita quia semel tãtũ mori aliquis potest in peccato, & si hoc

hoc fiat, res omnis confecta est, propterea id sæpiùs animo versandum est, ne hoc fiat, & ideò non mirum, si iterum de re eâdem agamus, quæ nostra tanti interest. Sed Priùs à Deo gratiam per Virginem postulemus. AVE MARIA.

QVemadmodum in universum de Prophetis dicit Scriptura, Zachar. 3. eos. esse viros portendentes, hoc est, viros præsagiorum & prædictionum; quia non solum verbis prophetaverunt, sed etiam moribus, & vitâ: ita de totâ Iudæorum gente dicere possumus, eam in suis moribus quandam speciem prophetiæ gessisse. Id docuit Sanctus Augustinus lib. 2. contra Faustum cap. 24. Dico (ait) illorum hominum non tantum linguam, verùm etiam vitam fuisse propheticam, totumque illud regnum gentis Hebræorum, magnum quendam, quia & magni cujusdam, fuisse Prophetam. Fundatur hæc doctrina in illo Apostoli dicto, 1. Cor. 10 *Nolo vos ignorare Fratres, quoniã omnes Patres nostri sub nube fuerunt*, &c. *Hæc autem in figurâ facta sunt nostri*: & posteà, *Hæc autẽ in figurâ cõtingebãt illis: scripta sunt autẽ ad correptionem nostrã*: Hoc verò non solùm de antiquis illis Iudæis intelligendum, sed etiam de iis quos Christus alloquitur in Evãgelio, ut cũ audis hodie ter dicentẽ in textu Evangelico, *In peccato vestro moriemini*, id non illis tantũ existimemus dictũ esse, sed nobis. Hoc autem inter figuram & rem figuratam interest, quòd figura umbram solùm contineat; res figurata, veritatem: Quod igitur de illis dicitur, de nobis potiùs dictum credamus. Quare hoc à vobis postulo, ut unusquisque intelligat an hæc oratio ad se pertineat. Sanè nulla res esse potest majoris momenti, cùm ad extremam reprobationem referatur, quæ debet esse maximus timor noster: nam quid post hoc timere debeamus nescio, cùm ad æternam damnationem res spectet. Rem propius aggrediamur.

1. Veritas est hanc propositionem, *In peccato vestro moriemini*, triplicem sensum habere posse, uti proximè superiori Concione explicui, quodque hîc repetere supervacaneum foret.

2. Veritas est, durum admodum esse mori ob peccatum, quia si mors ipsa per se molesta est, multo magis cùm accedit causa, dedecoris pleniſſima: nam si abesset peccatum, aut esset naturæ necessitas, aut infirmitas, aut probatio virtutis; sed cum accedit culpa, rationem habet pœnæ. At quemadmodum jam dixi & commemorari sæpiùs non potest, nihil gravius est, aut acerbius, quam mori in peccato.

Tertia veritas. Hanc eandem propositionem, *In peccato vestro moriemini*, duplici modo fieri potuisse à Christo; 1. comminatoriè: 2. enuntiativè; & utroque modo, valde formidandam esse, sed maximè secundo modo; si nimirùm enuntiativè; facta sit.

Dixi 1. hanc propositionem duplici modo fieri potuisse à Christo Domino, vel comminatoriè, vel enuntiativè: Ita enim passim quilibet vel pœnas alicui interminatur, ut timeat; vel significat illas certò futuras, ut doleat: & ita Legislator comminatoriè, Iudex enuntiativè; primus ut timeatur, secundus ut puniat. Quod ut meliùs intelligatur,

Nota 1. Hæc duo inter se differre, pœnas minari, & pœnas denuntiare: 1. Quòd quæ dicuntur comminatoriè, evitari possunt, & sæpè non fiunt: Ita passim patres & matres multa pueris minantur quos non castigant, & domini servis, & magistri discipulis: immò qui minatur aliquid, vellet non accidere; ideò enim minatur mala, ut evitentur; alioqui enim nemo volens nocere, admonet: quia qui monet, cavere vult monitum: Quæ verò dicuntur enuntiativè, si ab eo qui vera dicit, dicuntur, evitari non possunt, cum certò futu-

futura dicantur: est enim prædictio vera malorum enuntiatio.

2. Differunt ex fine, nam minæ intentantur ad terrorem, & timorem incutiendum: quæ verò dicuntur enuntiativè, dicuntur ad ostendendum pœnæ aut rerum dictarum certitudinem.

3. Differunt ex principio: nam qui minatur, id facit ex amore, & bonitate, vellet enim ut pœna evitaretur: qui enuntiat ex justitia, ut sciatur culpam suâ pœnâ non carituram.

4. Qui minatur sub conditione futurum pronuntiat: ita Psalm. 7. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit*: qui enuntiat: absolutè dicit futurum: Ita Elias Ochosiæ mortem prædixit, 4. Reg. cap. 1. *De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris*: unde subditur, *Mortuus est ergo juxta sermonem Domini, quem locutus est Elias.*

5. Denique effectus minarum pendet ab eo cui fiunt minæ, quia potest conditionem aut ponere, aut non ponere: quod autem dicitur enuntiativè, ab omni voluntate consequente est independens, sed pendet tantùm à voluntate antecedente, quâ positâ absolutè res ponitur: unde minarum effectus evitabilis est: sed enuntiationis certæ effectus inevitabilis est, si peccatum supponat.

Nota 2. Deum plurima in Scripturis locutum fuisse comminatoriè: ita primo homini, *In quâcunque die comederis ex eo, morte morieris*: Ita per Isaiam Ezechiæ, *Dispone domui tuæ, cras enim morieris*. Et per Ionam Ninivitis, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*: In cap. 28. Deuteron. *Quòd si audire volueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, & facias omnia mandata ejus, & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te: Maledictus eris in civitate, maledictus in agro*, & innumera ejusmodi, præsertim apud Prophetas: Ratio verò cur Deus plurima locutus sit comminatoriè, provenit partim ex ejus justitiâ: Quia cùm ex unâ parte nihil pati possit injustum, secundùm illud, *Quia non volens iniquitatem tues*: & aliunde punire nollet, unde castigationes vocat alienum à se opus, homines voluit à peccato minis deterrere, ne puniret: Hoc significavit David, Psalm. 7. *Deus justus, fortis, & patiens, numquid irascitur per singulos dies? Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum: & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*: ex aliâ versione sic legit Chrysostom. in expositione hujus Psalmi, Minans, fremens & non puniens: tùm verba exponens, sic loquitur, Si est justus vult omninò punire iniquos: si fortis omninò poterit: quid est ergo, cur cùm velit & possit, non puniat? quia nimirum est patiens, & non inferens iram per singulos dies, ut scilicet locũ det pœnitentiæ. Vnde subdit, *nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit*: Vide quo verborum apparatu punitionem Deum parantem exprimat: Illum armatum proponit, cum gladio, cum arcu, cum sagittis: poterat simpliciter dicere Propheta, paravit supplicia iis qui puniendi sunt, sed non satis fuisset ad terrorem: nunc autem cùm sagittarum, & gladij, & arcus, & immissionis, & intentionis, & instrumentorum mortis, & incendij meminit, nominum varietate metum incussit: etenim plus terrere vult, quàm punire: Et hoc non vulgaris clementiæ argumentum, per verba terrere, pœnam amplificando, ne reipsâ eam experiamur: propterea enim intendit, propterea paravit, propterea sagittas aptavit, ne veniat ad supplicium: orationem autem reddit graviorem, & minas auget, his verbis; nam per verbum vibrabit, supplicij vehementiam, & celeritatem: per verbum intendit, propinquitatem, per verbum appropinquavit, id quod omninò futurum est, si non sint mutati.

Cer-

Certè si hæc essent furoris, & excandescentiæ, nõ eis prædixisset quòd eos esset invasurus: ira n. hocnõ facit, sed cõtrariũ, & maximè quãdo ad summum pervenit, & jam imminet supplicio: Hostes quippè, & qui volunt supplicium infligere, non modò non id dicunt, sed celantes invadunt, ne qui puniendi sunt, si resciverint, evadant: at Deus contrarium facit, prædicit enim, & terret verbis, & differt, & nihil non facit, ut quæ minatur mala, non inferat: Hoc vide in Ninivitis. Nam in illos quoque arcum tetendit, & gladium vibravit, & jacula paravit, sed ictum non inflixit: An non tibi videntur verba Prophetæ esse arcus, & telum, & gladius acutus, quando dicit, *Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur:* sed telum non emisit, non enim ideò erat paratum ut emitteretur, sed ut reponeretur: Nam milites eâ quidem de causâ armantur, ut puniant: Deus autem non sic, sed ut cùm reddiderit metu modestiores, abstineat manum à supplicio: Ne ergo conturbemur, est enim terror verborum maximæ clementiæ: & quò dicit intolerabiliora, eò illa dicit ex majori mansuetudine. Nam patres etiam quando nolunt punire filios, iram verbis attollunt: Ita Deus quia punire non vult, verbis metum reddit graviorem, & dicit se missurum in gehennam, ne mittat: Et ideò in Evangelio plura dicuntur de supplicio, quàm de regno: quia enim ferè homines plus tanguntur tormentorum metu, quàm bonorum promissione, propterea in iis magis immoratur, & ea proponit assiduè: Hæc paucis mutatis Chrys. In summâ itaque Deus in minis quas intentat, duo maximè spectat, primò, ut homines moniti fugiant mala ventura, Psalm. 59. *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis: dedisti metuentibus te significationem:* 2. ut territi se humilient, & ita illis ignoscat: itaque monet Ieremias cap. 3. *Nolite elevari, quia Dominus locutus est*: id est, intentavit minas, & ideò humiliamini, quia hæ minæ non sunt minæ hominum, sed Dei: *quia Dominus locutus est*: & ipse Propheta de seipso loquens, fatetur se omne gaudium ab animo excussisse, & hominum consortia evitasse, propter Dei minas ipsi revelatas, cap. 15. *Solus sedebam, quia comminatione repletus sum*: & ex illa humiliatione placari solitus est Deus: Vide exemplum in Ninivitis, nam post Ionæ prædicationem, quæ tota fuit comminatoria, *adhuc quadraginta dies*, aut ut legunt Græci, *tres dies & Ninive, subvertetur*, uti dicitur in cap. 3. *Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum à se & indutus est sacco & cinere:* Vide, quo rei eventu: *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de viâ suâ malâ, & misertus est Deus super malitiam suam quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit*: Idem accidit Achab, 3. Reg. cap. 21. cui cùm multa mala prædixisset Elias, *Scidit* ille *vestimẽta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, ex ambulavit demisso capite:* sed quid inde? *Et factus est sermo Domini ad Eliã Thesbiten: dicens, Nonne vidisti humilitatem Achab coram me: quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus eius.*

Nota 3. Deum non semper minas jactasse, sed aliquando enuntiasse supplicia, cujus rei innumera sunt testimonia in Scripturâ. Ita Diluvium prædictum est, Genes. 6. *Finis universæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Cùmque sic Deus locutus est, tunc nihil admittit quo sententiam mutet. Certè duo ferè sunt quæ Deum movent ut de sententiâ decedat; Pœnitentiæ dedimus exempla: alterius rei exemplum habemus in Moyse, Exodi 32. qui suâ oratione impedivit, ne Deus populum idololatrã disperderet, *Placatusque est Dominus ne faceret*

malum quod locutus fuerat adversus populum suum. Sed cùm aliquid absolutè enuntiavit, neque pœnitentia, neque preces id mutare possunt: Id vide in Davidis pœnitentiâ, 2. Reg. cap. 12. cui cùm dictum fuisset à Nathan Prophetâ, *Filius qui natus est tibi, morte morietur*, nihil non fecit, quo Deum commoveret: *deprecatusque est David Dominum pro parvulo, & jejunavit David jejunio, & ingressus seorsum, jacuit super terram*: Sed hæc omnia frustrà: nam die septimâ mortuus est infans: Quis nesciat juges preces & lacrymas Samuëlis ad Deum pro regno Sauli confirmando, cujus privationem ei denuntiarat? sed vide quo successu, 1. Reg. cap. 16. *Dixitque Dominus ad Samuëlem, Usquequò tu luges Saül, cùm ego projecerim eum ne regnet super Israël:* Quasi dicat vanas esse preces, quæ aliquid contra Dei certa definitaque consilia contendant: unde ut omnem spem auferret, jubet alium Regem inungere: Eodem pertinet quod Ieremiam prohibeat orare pro avertendis calamitatibus quas prædixerat Iudæis, cap. 14. *Et dixit Dominus ad me: Noli orare pro populo isto in bonum: Cùm jejunaverint, non exaudiam preces eorum, & si obtulerint holocautomata & victimas, non suscipiam ea, quoniam gladio, & fame, & peste consumam eos*: At vide quorum etiam preces non exaudiat, ubi absolutè punire decrevit, Ierem. 15. *Si steterit Moyses & Samuël coram me, non est anima mea ad populum istum: ejice illos à facie meâ, & egrediantur*: hos quidem Deus aliàs audiverat pro populo Israël orantes, sed tunc minas tantùm intentarat: Verùm cùm enuntiat quod absolutè decrevit, nihil preces efficiunt. Eodem sensu dictum est Ezechieli cap. 14. *Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Iob: ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum*, &c. *Quia nec filios, nec filias liberabunt; sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur*: ut scias quæ absolutè denuntiata sunt, non commutari. Non itaque semper minæ à Deo intentantur, sed quædam aliquando absolutè denuntiantur, nullâ interpositâ conditione, & ejusmodi certò accidunt, & nullo modo evitari possunt, sed contingunt vel necessitate antecedente vel consequente.

Dixi 2. utrovis modo facta fuerit hæc propositio, *In peccato vestro moriemini*, seu comminatoriè, seu enuntiativè, maximè esse formidandum: 1. quidem ratione communi utrique modo pronuntiandi, quæ petitur ab objecto: quia uti diximus non semel, nihil gravius, nihil acerbius proponi potest: alia quippe omnia intolerabilia sunt, sed illud tantum est, ut, sicut de morte dixit Seneca, licet id verius de morte in peccato, Talis mors neque solatium habeat, neque remedium: unde Christus, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: ostendam vobis quem timeatis: timete eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam.*

2. Quia si comminatoriè facta est, significatur 1. fieri posse: possum ergo perire, at solum tantæ rei periculum quantum est? 2. Id futurum sub conditione; cùm autem hæc conditio tam facilè poni possit, ut potè quæ à nostro arbitrio pendeat, quod ita est fragile, cùm tam facilè peccemus; & planè incerta sit hora mortis; in quantæ rei periculo versamur;

Quod si enuntiativè facta sit, quantum illud est, quòd tantùm malum certò sit, & indubitanter futurum? Quare non immeritò addidi tertio loco, eam propositionem longè esse formidabiliorem, si enuntiative facta sit, cum eâ ratione videatur nobis spes salutis

esse

esse ablata: ut itaque propiùs ad rem veniamus, neque quidquam vobis dissimulem.

Quarta veritas est. Hanc propositionē Christi, respectu plurimorum, cōminatoriam esse, dicere potueram omnium: sed respectu maximæ partis hominum esse enuntiativam. 1. pars probatur respectu plurimorum, immò ferè omnium esse cōminatoriam: quia cùm pauci sint qui non peccent mortaliter, & omnibus mortis suæ hora sit ignota, immò cùm Christus sæpiùs dixerit: *Quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet*, quis hâc comminatione terreri non potuit, *In peccato vestro moriemini*? Nam si aliquando peccasti mortaliter, unde factum est ut in tuo peccato mortali non sis mortuus? quippè cùm peccatori nihil amplius debeatur quàm pœna, cur tibi Deus vitam prorogavit? etenim mori poteras, immò merebaris, immò debebas: unde ergo non es mortuus? Prætereà si peccasti mortaliter, cur in eo peccato non perseveraſti? nam peccato mortali jus omne ad omnem gratiam perdidisti, nec non nisi per gratiam peculiarem redire potuisti ad justitiam, non magis quàm homo mortuus ad vitam: quòd si ita mortuus fuisses, idémque tibi accidisset quod plurimis contigit, qui post primum peccatum mortale, aut vitam amisere, quod infinitis modis accidere potest, aut indurati sunt, & in peccato mortui sunt: ubi nunc esses? nonne omninò perditus, & damnatus in flammis torquereris, nullâ spe liberationis, & salutis? nam post mortem quid sequitur, nisi æternitas? & post mortē in peccato, nisi pœnarum æternitas? Et si deinceps pecces mortaliter, unde habes securitatem te non moriturum in tuo peccato? an quia hoc tibi non accidit? sed accidere potest, & si accidet quid de te fiet? immò quia non accidit, an non timere debes quod accidet? Vide quæ tua sit securitas? immò quæ tua imprudentia? quæ audacia? quæ temeritas in re tam gravi, & tam probabili?

2. Pars probatur, nempè respectu maximæ hominum partis hanc propositionem esse enuntiativam, hoc est, significare quod vulgo inter homines contigit, nempe maximâ ex parte homines mori in peccato, & consequenter damnari, quidquid vulgò homines sibi blandiantur. Hîc autem non loquor de non baptizatis & non Christianis hominibus, quia de illis nullus est dubitandi locus, cùm certum sit, infideles damnari, secundum illud, Joan. 3. *Qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filij Dei*: sed loquor de Christianis, & batizatis, & adultis, quorum maxima pars in peccato moritur, & consequenter damnatur, & in illis illa propositio locum habet, & ideò simpliciter vera est, *in peccato vestro moriemini*: licet sint aliqui qui in peccato non moriantur. Etenim in hoc differt propositio negativa ab affirmativâ; quòd negans nullam patiatur exceptionem, affirmativa pati possit: ad hæc, affirmantes, in materiâ necessariâ, uti sunt quæ fiunt in materiâ naturali, semper sunt veræ: in moralibus verò, ut habeantur pro veris, sufficit ut in pluribus ita contingat: talis est ista, *In peccato vestro moriemini*, quam ut ostendam sumptam etiam enuntiative, simpliciter esse veram ostendo in pluribus contingere: Si quidem scimus experientia paucos admodum esse qui innocentiam servent baptismi, & paucos, qui non inhæreant peccatis mortalibus, vel in illa frequenter incidant propter varia vitia, quæ licet aliquoties confiteantur, non emendant,

nec peccandi occasiones fugiũt: porrò ejusmodi sine pœnitentia ferè decedere manifestum est, quod sic probo:

1. Enim quàm multis pœnitentiæ tempus denegatur, quorum alij casibus innumeris occidunt, in bello, in aquis, ex ruina, ex veneno, ex vulnere, ex morbo occulto, ex terræ motibus, ex casu aliquo, à curru, à domo, à tecto, à schalis: denique quàm multi morte repentinâ moriuntur? Jam in morbo quam multi præoccupantur phrenesi aut lethargo, antequàm suæ conscientiæ providerint? Qui verò incidunt in pericula suffocationis, vel præcipitij, vel latronum, vel certaminum, narrant absorberi mentem, sola mortis & periculi cogitatione, & formidine; quapropter nihil tunc de vera pœnitentia cogitatur. Interim in numerum eorum, qui sic moriuntur: quis referat quàm multos obruerint terræ motus, subitaneæ eluviones, naufragia, bella, incendia? quis autem securus est se eo mortis genere non esse periturum? hoc igitur certum, non parvam hominum partem mori in peccato: itaque hoc multis prædico, *In peccato vestro moriemini.*

2. Ex iis qui in lecto moriuntur, & sacramenta accipiũt, multi propter varios dolores, aut debilitates capitis, aut propter anxietatem animi, & metum mortis, impediuntur, ne possint super omnia dolere de peccatis, etiam propter sola motiva attritionis sine contritione: multique similibus dispositionibus impediti, quando convalescunt, ingenuè fatentur, se nihil animadvertisse, quando ministrabantur sacramenta, & testamentum extorquebatur: quin etiam spiritales viri assueti rerum cœlestiũ contemplationi, tunc experiuntur vix se posse aliud cogitare, quàm dolorem acrem, & somnolentiam opprimentem.

3. Vt scias periclitantium pœnitentiam non admodum esse sinceram, cùm ex morbo evasere in quo pœnitentiæ signa dederunt, non minus quàm anteà præcipites redeunt ad vomitum, ut violentam suspicionem dent præteritam pœnitentiam ideò usurpatam, quòd sublata esset peccandi potestas: Id videre est in navigantibus, qui sedatâ tempestate blasphemant, & pejerant, & irascuntur ut anteà, & vix ullus melior evadit.

4. Quia quæ ad extremũ differtur pœnitentia ferè ficta esse solet. Author libri de vera & falsa pœnitentia cap. 17. apud Augustinum, Periculosissimum est, & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium: rationem reddit initio libri: Qui prius itaq; à peccatis relinquitur, quàm ipsa relinquat, ea non liberè, sed quasi ex necessitate condemnat. Augustinus homil. 41. ex 50. Si vis agere pœnitentiam, quando peccare non potes, peccata te timiserunt, non tu illa: Quid dicam quòd qui ad illud tempus differunt, denegat hoc illis Deus: Quia ut ait Augustinus: Percutitur etiam hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dùm viveret, oblitus est Dei. Tremenda sunt verba S. Hieronymi, qui moriturus cùm suos adhortaretur ad pœnitentiam, uti refert Euseb. Epist. ad Damasum, hæc pronuntiavit: Vix de centum millibus hominum, quorum mala fuerit semper vita, meretur habere indulgentiam unus, &c. hoc teneo, hoc multiplici experientia didici, quòd ei non bonus est finis, cui mala semper vita fuit: Nec valet exemplum, Latronis, etenim unicum fuit exemplum, ne omnes desperarent, sed ne ullus præsumeret, alter damnatus est: unde Athanasius. Vide latrones; sed non ambo in ijsdem: alter regnum hæreditavit, alter in gehennam dimissus est: ita ne te falleret exemplum Manassis, cujus sera legitur pœnitentia, rectè advertit Cyrillus Alexand. Orat. de exitu animæ, filium ejus Ammonem, obiisse juvenem: nec ad pœnitentiæ paternæ tempus expectatum fuisse: Ita Hugo Victor. lib. 2. de Sacram. parte 14. cap. 5. valde

ſuſpecta debet eſſe pœnitentia, quæ coacta videtur eſſe ; facile eſt ut homo ſe nolle putet, quod poſſe non datur: ſi non facis, dum potes, manifeſtè oſtendis, quod non vis: & Iſidor. lib. 2. ſentent. de ſummo bono c. 13. Qui pravè vivendo, pœnitentiam in mortis agit periculo: ſicut ejus damnatio incerta eſt, ſic remiſſio dubia: Ratio eſt, Quia difficile eſt ut credas aliquem id odiſſe, quod ſemper amavit: v. g. finge nobilem in mortis articulo verſari, an ita eſt comparatus, ut ſi ſanitati redderetur ad Duellum provocatus non iret ? Item an ita mulier, aut vir, aſſuetus adulterio, ut quòd tantopere amavit, id verè deteſtetur? Sanè vix fieri id poteſt: itaque credo ejuſmodi hominibus, impoſſibilem ferè eſſe pœnitentiam: Quàm multi autem ſunt ejuſmodi?

5. Quia pauci ſunt qui non vivant in affectu aliquo ad aliquid mortale, quod nunquam planè deteſtari poſſunt, ut ad illicitam voluptatem, vindictam, odium proximi, lucrum vetitum, & alieni retentionem. Quàm pauci nobiles Duellis renunciarunt? &c.

6. Multi poſiti in extremis, nimio amore filiorum, uxoris, ac divitiarum, importunis precibus familiarium, & ſervorum, dubiiſque deliberationibus de modo condendi teſtamenti, & occurrēdi periculis quæ ſolēt teſtamentum fruſtrari, ita impediuntur, ut moraliter impoſſibile ſit illos mentem colligere, quantum ordinariè requiritur ut veram agant pœnitentiam.

7. Non pauci moriuntur retentis domi concubinis, vel etiam ad lectuli caput: Non pauci prætermittunt in articulo mortis reſtitutionem honoris, vel pecuniæ, aut reconciliationem cum inimicis: alioqui numera mihi, quot Gubernatores, aut Duces exercituū, aut Iudices, aut Statuum Miniſtri, ante mortē Reipublicæ, aut privatis civibus reſtituant quantum damnum iniquis ſuffragiis, aut actionibus, illis intulēre? Idem peto de Iudicibus iniquè judicantibus: de Procuratoribus, Tabellionibus, Advocatis, &c. Certè pauci admodum ſunt, qui operâ ſuâ, conſilio, aut aliâ ratione, proximum non læſerint, pauci ſunt qui nihil habeant de alieno. Quàm multi ſupra alios celerrimè diteſcūt? Iudica an id fieri poſſit ſine rapinâ? Sed quot audis reſtituere? Et tamen quidquid faciant, quidquid gemant, quidquid confiteantur, quidquid pauperibus largiantur, niſi reſtituant, damnantur & de illis dictum eſt, *In peccato veſtro moriemini.*

8. Ex illis non pauci relinquunt filiis eaſdem peccati occaſiones proximas quas jam experti, teſtari debuiſſent periculoſas: videlicet, quædam munera quæ vix ſine peccato exerceri poſſunt, nec dimitti, niſi cum magno divitiarum diſpendio: ijdemq; conſultò quærunt Confeſſarios indoctos, ne à doctis ad quædam obligentur ad quæ tenentur nihil curantes de propriâ, atq; alienâ ſalute.

Hinc patet verum eſſe quod propoſui, ſcilicet maximam hominum partem mori in peccato: ac licet ægroti videantur eſſe confeſſi, & inde magnam ſpem ſuæ ſalutis relinquere: audi tamen quid de ejuſmodi dicat Auguſtinus homil. 41. ex 50. Fateor vobis, non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus, quòd hinc benè exit: Non præſumo, non vos fallo, non præſumo: Fidelis benè vivens, ſecurus hinc exit: Baptizatus ad horam, ſecurus hinc exit: agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus ſi ſecurus exit, ego non ſum ſecurus: unde ſecurus ſum, & do ſecuritatem: unde non ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum: Tùm ſubdit: Duæ res ſunt, aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur: Quid horum tibi futurū, neſcio: Ergo tene certum, dimitte incertum: Plura alia in eam rem habet, ut non putes me ſolum in eâ eſſe opinione.

Hoç unum ſupereſſet ut dicerem, reſpectu

quorum in particulari hæc propositio sit vel comminatoria vel enuntiativa : nam si respectu tui est tantùm comminatoria, potes effugere: si sit enuntiativa, de te penitùs actum est : sed certè ab unoquoque pendet qualis sit, quia qualis futurus sis, à te pendet, neque enim aliud enuntiat, quàm quod futurus es : quanquam & à te pendet, & à Deo; nam potes non mori in peccato, si non peccare volueris : sed si peccaris, quæ securitas ut in peccato non moriaris? potes quidem non mori, uti sæpiùs in te factum est : sed potes etiam mori; quod pluribus accidit: Verùm seu tibi hoc dicatur comminatoriè, seu enuntiativè, time, & exhorresce, & pete à Deo ne deprehendaris ; sed si peccaris, statim te pœniteat: tene certum, dimitte incertum; quia agitur de æternitate, quam Deus beatam nobis concedat. Amen.

FERIA TERTIA
DOMINICÆ SECUNDÆ
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO PRIMA
DE HUMILITATE.

Miratur cur tam rara sit vera humilitas cùm ad eam tot sint incitamenta, & subsidia.

Qui se exaltaverit humiliabitur, & qui se humiliaverit exaltabitur. Matth. 23.

HUMILITATIS doctrina omnibus hominibus necessaria est, tum illis qui obediunt, tum illis qui præsunt. Unde utrosque Christus erudit. Ac 1. quidem eos qui obediunt, dùm ait, *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi*, docens fieri plerumq; ut deteriores melioribus imperent; verum docet, non spectandos mores, non prudentiam, non sapientiam, sed authoritatem quam habent à Deo : 2. ac præcipuè eos qui imperant quia ob authoritatem quam habent, facilius extolluntur : Vnde re-

pre-

prehendit jactationem, appellationum atque nominum affectationē, & honorabilium ſedium ambitionem, & alia hujuſmodi. Ac in univerſum ita compeſcit ambitum ut oſtendat præpoſterâ ratione homines honorem ambire, cùm exaltatio deprimat, unuſque modus ſeſe efferendi ſit humiliatio: cujus rei cognitio quia plurimùm refert ad eam accurramus quæ hujus virtutis magiſtra eſt: etſi enim virginitate placuit, ſed humilitate concepit. AVE MARIA.

ABſque ullius lædendi aut offendendi propoſito, interrogationem quæſtionemve hanc induco pro argumento hujuſce Concionis. Undenam fit, ut adeò paululùm humilitatis ſit inter homines, ac licet omnes virtutes raræ ſint, nihil tamen rarius ſit & ad pauciores pertinens quam humilitas: reperio enim complures qui devotione præditi ſunt, multos qui ſunt miſericordes, multos qui temperantiam exercent; ſed minor omnium numerus eſt eorum qui vere humiles ſint; & de humili dici poteſt eum eſſe Phœnicem in mundo. Porrò hæc ſunt quæ admirationem meam adaugent.

1. Humilitatis neceſſitas: Et 1. quidem ad ſalutem ſecundum illud Chriſti Domini Matth. 18. *Niſi efficiamini ſicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum*: quâ de re Dorotheus doct. 14. omnium Patrum fuit una ſententia: Ita impoſſibile eſſe animam ſalvari abſque humilitate, ut navim ſine clavis ædificari.

2. Ad præceptorum obſervationem. In primis in genere, ut anima ſubdita ſit Deo. Unde B. Ignatius hunc primum ponit humilitatis gradum, ut anima ita ſe Deo ſubdat, ut nulla occaſione vel ſpe, nullo timore propoſito Deum offendere velit. Deinde ut multa in particulari præcepta ſerventur; ut fidei, quę requirit obſequium intellectus; Confeſſionis, obedientiæ, charitatis erga proximum, condonationis injuriarum, &c.

3. Ad alias virtutes habendas: unde à Beato Chryſoſtomo aliarum initium, & fundamentum appellatur: Quædam enim virtutes quoniam ſecundùm varias rationes alijs neceſſariæ ſunt, propterea aliarum dicuntur fundamentum, vel perfectio: Quia igitur virtutes ingrediuntur in animam per humilitatem, idcircò dicitur reliquarum initium, & fundamentum: & ita quidam è ſenioribus dixit apud Doroth. doct. 2. ante omnia nobis opus eſt humilitate; & ibid. Ioannes Abbas dicere ſolitus refertur, ſolam humilitatem nos introducere: Et ita Abbas Paſtor apud eundem doct. 7. dixit virtutes omnes cum gemitu domum ad virtutem unam commigraſſe, & hominem extra hanc fruſtra eniti, & laborare: Interrogatùſque quænam illa eſſet, hæc ait, ut ſeipſum homo accuſet. Et idem Doroth. doct. 14. Vbi conſtruit ædificium ſpiritale, comparat humilitarem bitumini: quia uti ſine illo lapides non ligantur, ita ſine ſine illâ virtutes non conſtant: omnis igitur virtus abſque humilitate non reputatur virtus à Patribus. Eò pertinet certum eſſe atque indubitatum argumentum in homine virtutes reperiri in quo inſit humilitas: ut enim inquit ipſemet Doroth. doct. 2. Arbores cùm multo fructu onuſtæ fuerint, inclinant ramos, & eos plerumque frangunt, qui autem ramus nullum habet fructum, attollitur in altum, & rectus aſſurgit: quod ſi, ut multi experti ſunt, lapis appendatur, inclineturque ramus, ne rectus aſſurgat, illicò poma parit: ſic anima noſtra ſi humilietur, ſtatim fructus edit, quantoque plures fructus attulerit, tanto magis humiliatur: unde humilitas eſt animæ fœcunditas.

4. Vt virtutes ſint integræ & ſolidæ. Vnde S. Aug. lib. 19. de Civit. cap. 25. Negat virtutes Philoſophorum, & Sapientum Ethnicorum veras virtutes fuiſſe ob humilitatis defectum: Nam licet (inquit) à quibuſdam tunc

verę

veræ & honeſtæ putentur virtutes cùm ad ſe-ipſas referũtur, nec propter aliud expetuntur etiã tũc inflatæ ac ſuperbæ ſunt, & ideò virtutes nõ virtutes, ſed vitia judicãda ſunt: ſicut n. non eſt à carne, ſed ſuper carnem, quod carnẽ facit vivere, ſic nõ eſt ab homine, ſed ſuper hominẽ, quod hominem facit beatè vivere: nec ſolũ hominẽ, ſed etiam quamlibet poteſtatem, virtutemq; cœleſtem. Hæc ille. Sicut itaq; in areâ tollitur vento palea granum verò remanet dum ventilatur; ita vacuæ antiquorum virtutes vanitate, & inanis gloriæ cupiditate, & inanis gloriæ cupiditate amiſſæ ſunt, adeò ut tàm multa in ſpeciem præclarè geſta ipſis perierint, ac quotidie vanis hominibus pereant, ea bona ſuperbiâ diſperdente.

5. Ut virtutes cuſtodiantur 1. tentationibus reſiſtẽdo: ut enim ajebat ille ſenex quem dicere ſolitum retulimus ante omnia nobis opus eſſe humilitate: omnia hoſtis & adverſarij noſtri tela per humilitatem diſrumpuntur: Et ſi B. Antonius cùm laqueos toti orbi ſuper expanſos vidiſſet, ſuſpirans Dominum rogavit, quis eſſet evaſurus; reſponſum accepit, ſolam humilitatem evadere, quam ejuſmodi retia contingere non poſſent: 2. impediendo ne per vanam gloriam amittantur, quam bonorum noſtrorum improbam deprædatricem appellat Chryſoſt. qui ait Dæmones in fine actionum nos adoriri, ut prædones onuſtam navim, non autem ſolventem à portu: Et eodem ſenſu Baſil. Blandam furatricem appellavit; alii ſuave venenum, vocaverunt.

2. Admirationis meæ cauſa, eſt Humilitatis facilitas. In primis quod fermè conſiſtat in negationibus, ad quas non opus actione, ſed quiete, & ceſſatione: ſcilicet non extolli, non ſibi placere, non ſua laudare, non ſua narrare, non ſe extollere, non aliorum laudes imminuere, non invidere ſua ſibi non tribuere, & ſexcenta alia quæ negativa ſunt. Deinde quia in illâ cõſiſtit animi quies quam omnes quærimus: Itaq; ſollicitudinem non habet, neque curam, neq; laborem, neque conatum, ſecundùm illud Chriſti Domini. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris*: Immò inſtar eſt olei, quo excitati fluctus ſtatim detumeſcunt: nam ut inquit Doroth. doct. 2. humili quidquid adverſi contigerit, illico in ſe totus contrahitur, illicò judicat ſe dignum eſſe eâ adverſitate & ærumnâ, nec ſuſtinet quemquam accuſare: non ſuſtinet in alium cauſam hujuſmodi inferre, ac ſine perturbatione, ſine moleſtiâ, cum omni tranquillitate ſe habet: Non igitur ſi humilis malè habeatur, conqueritur, quia ſe pro meritis tractari putat, ſed tunc tantũ ſtuper, cum honore excipitur, ut ſi ruſticus principis domum ingrediatur, non ægrè fert ſi contemnatur, ſed ſibi illudi crederet, ſi illum princeps honoraret, ac juxta ſe ſedere juberet: eodem modo humilis facile fert contemptum, ſed honorem æquo animo ferre non poteſt, quia ſibi deberi non putat.

Tertia hæc cauſa eſt cur tam paucos eſſe humiles demirer; Quòd nullius virtutis tot habemus ſubſidia, quot ad humilitatem nobis ſuppetunt, ad quam univerſa nos adjuvant & urgent. Faciamus triplicem rerum omnium ordinem: Deus primum poſſidet: Statuemus nõ in ſecundo, cùm noſmetipſos melius quam reliqua omnia noſcamus: poſtremo nos omnibus creaturis circumdabimus.

I.

Conſideratio Majeſtatis Divinæ nos obligat, non tam ad nos humilitate deprimendos, quàm ad nos penitus exinaniendos: Imitando exemplum Reginæ Eſther ad aſpectum Regis Aſſueri, quæ in animi defectionem ſemel atque iterùm incidit, ſolo illius intuitu obſtupefacta; & veneratione Seraphinorum, qui ſe

coram

coram Dei facie obvelant: Inde evenit ut Sanctissimi quique, quo prius ad Deum accedunt, eò magis sese deprimant & cõtemnant. Quod S. Dorotheus apertè significavit, cuidam præcipuæ nobilitatis viro in urbe Gaza, qui comprehendere animo non poterat quomodo quis, quanto magis sanctitate crescit, tanto se minorem existimet: cujus hæc sunt verba: Viri sancti (inquit) quantò ad Deum propiùs accesserint, tantò se iniquiores agnoscũt. Memini autem cũ loqueremur aliquando de humilitate, & quidam ex Gazæ Principibus nos audiret istuc ipsum asserentes, obstupuisse eum atque dixisse: Hoc quomodo fieri posset, ignorare se, discere autem velle. Cui ego respondi: Dic (obtecro) Domine ac Princeps, quem te habes inter concives tuos? ad hæc ille: habeo me (inquit) ut nobilem & Principem civitatis meæ. E contrà ego: In Cæsaream pergas, isthîc quem te habeas? Viliorem (ait) aliquantò Principibus Civitatis illius. Iterum: si Antiochiam abeas, quem te ibi existimes? Vt rusticum inquit quendam. Si autem Bisantij sis apud Regem, quem te reputes? ut pauperem (ait) quemdam & mendicum. Tunc ego ad eum versus: Et sic (inquam) sese habent sancti viri: quò enim Deo propiores sunt, eò se inferiores putant. Abraham quippe cùm Dominum vidit, cinerem se vocavit, & lutum: Isaias dixit, *Infœlix ego, quia labijs pollutus sum*: Sic & Daniel cùm in lacu inter Leones esset, & ad eum venisset Abacuc cum prandio, diceretque *Accipe prandium quod misit tibi Dominus*: respondit cum lacrymis. *Recordatus es mei Deus*: Quantam cordis humilitatem etiam in eo lacu, & inter Leones salvus habuit? Et sanè quis ferat tonitru majestatis ipsius? Est autem majestas radius magnitudinis Dei, & ex tribus potissimum cognoscitur.

1. Ex independentiâ, & quidem certè in omni genere causæ: ut & respectu omnis effectus, quod uni Deo convenit: Vnde Apostolus loquens de Deo *solus potens*: Græcè δυνάστης solus dynasta. Hebræis Adonai, Domini, numero multitudinis, ob multitudinem potestatis. Vnde scriptum habet in paludamento, *Rex Regum & Dominus dominantium*. Propterea Ioannes Apocal. 5. ait ei sedenti in throno, omnem creaturam quæ in cœlo est, & super terram & sub terrâ, acclamare, honorem, gloriam, potestatem, Græcè κράτος vim, imperium, & dominationem: Et Petrus appellat Divinita *magnificam gloriam*: Et Paulus ait Deum esse *super omnes, & per omnia & in omnibus*: quæ voces omnem excellentiam continent, ipsius essentiæ, operationis, & inexistentiæ. Et ideo S. Stephanus Deum gloriæ, & Paulus, Dominum gloriæ eum vocant: Quâ de causâ cùm dicimus nos illi gloriam dare, non est sensus quasi à nobis gloriam accipiat, sed ut ait Basil. lib. de Spiritu Sancto ea gloria significat cõmemorationem mirabilium quæ illi adsunt.

2. Cognoscitur ex possessione omnis boni, seu ex infinitate in omni genere perfectionis, quæ efficit, ut singulæ Dei perfectiones efferantur per universalitatem, & totalitatem: Omnipotentia, Omnisapientia, Omnibonitas: & ejus duratio, vocatur æternitas, quæ tempora omnia comprehendit: Et ipse dicitur à Paulo *Rex sæculorum*: à Daniele *Antiquus dierum*: ab Isaiâ *Habitans æternitatem*: à Syris, Gigas sæculorum. Illius extensio dicitur immensitas quæ omnia loca complectitur: & quâ ut ait Athanasius est in omnibus, & extra omnia: & ut dicit Minutius in Octavio est ubiq; non tantũ nobis proximo, sed infusus: Ejus scientia dicitur Sapientia quæ cõprehendit omnes scientias, superatq; universas cognitiones: Vnde Dion. Areo. c. 5 de Div. nom. vocat, ὑπερσοφίαν Sapientiam omni sapientia superiorem. S. Paulus Eph. 3. *Multiformẽ sapientiã Dei*.

Nam, ut ait idem Dion. de Div. nom, c. 7, Divina Sapientia seipsam noscēs noscit omnia: est enim rerum omnium speculum lucidissimum in quo distinctissimè videt omnes partes mūdi, species omnes, naturas singulares, minutias rerum, vim omnem, & varietatē, herbas, stirpes, animātes, quasi in digitis suis numerat arenas in litoribus, pisciculos in mari, stillātes pluviæ guttas, arborum frondes, temporum momenta, hominum & Angelorum cogitationes quæ sunt, quæ fuerant, & in omnem æternitatem sunt futuræ; nec minus cōprehendit muscas in aēre volantes, passerculos in terram cadentes, vibrantes in capitibus capillos, quâ stellas micātes in orbibus, quas nominatim *vocat*, ait Baruch, *nomine suo, & illæ respondent adsumus*: Porro illa scientia nec tempore augetur, nec minuitur oblivione, sed attingit à fine usq; ad finem, & præterita & futura omnibus sæculis ęquè videt atq; præsentia, omnia enim ut ait Apostolus, *Nuda & aperta sunt oculis ejus*. Potestas ejus vocatur Potentia, quippe quæ comprehendit omnes potestates. Unde David Ps. 101. *Quis loquetur potentias Domini?* cui nihil resistit. Vnde vertit Chaldæus, Quis poterit eloqui fortitudines Domini? cui nihil impossibile, immò nihil difficile est. *Dixit & facta sunt*, cujus magnitudinem ut exprimat B. Virgo vocat in Cantico suo brachii potentiam. *Fecit potentiam in brachio suo*: Deniq; ejus Essentia ea est quæ comprehendit omnia infinitate suâ. Vnde dicitur à Nazian. orat. 38. πέλαγος ὐσίας ἄπειρον. Interminatum essentiæ pelagus. De Apost. Rom. 11. *Ex ipso, & in ipso sunt omnia*: Quod verò ipse est, plus est, quam quod alia continet: Itaque S. Dion. de Mysticâ Theologiâ, Ipsi tribuit infinitatem, omnem essentiam superantem ὑπερούσιον ἀπειρίαν. Et Paulus eum vocat Magnum Deum, non comparativè solum, sed absolutè ut ait S. Chrysost. post quē nemo (ait) rectè dici potest magnus: solus ęnim est cujus magnitudinis nullus est finis: Et propterea à David, Ps. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*, quod exponēs S. Hilarius: Hæc Dei prima, & præcipua laudatio est, quod in se nihil mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum, magnitudinis suæ habeat, & laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur.

3. Cognoscitur ex ratione actus puri, ex quo fit ut cum infinitas habeat perfectiones, ad hæc infinitos infinitarum perfectionum gradus, simplicissimus tamen sit, & simplicissimè atque unissimè uti loquitur S. Bernardus omnia sit quæcunq; est hæc Essentia: quod ex eo habet quia actus purus est; nam æquè primo est omnia quæcumque est enim illud esse quod vocatur Exo. 33. *Omne bonum*, quod appellarunt antiqui τὸ πᾶν. hoc omne quod est, quod nullâ ratione melius cogitari potest, neque exprimi quàm per actum purū, cui nihil accedere potest, aut adjici, jam enim potentia aliqua intelligeretur, quæ omnis Deo repugnat, quia actus est purus, quod nulli alteri enti convenire potest.

Ex independentiâ itaque, infinitate & ratione actus puri rectè intelligitur sublimis illa Dei majestas, quæ in Deo nihil aliud est quam eximia quædam infinitáque naturæ sublimitas, & clarissimus in res omnes dominatus, ob quem omni honore dignissimus putandus est, & in cujus conspectu omnis creatura contabescat, usq; eò ut ne cogitatio quidem ipsius fieri possit secundùm illud: *Scrutator Majestatis opprimetur à gloriâ*. Hinc oritur ut singulariter Deus oderit superbiam, & diligat humilitatem, ut vacuitatem impleat, nullâq; re frequentiùs glorietur in Scripturâ, vel etiam prædicetur quàm hoc nomine; uti in Cantico B. Virginis, & in Cantico Annæ 1. Reg. c. 2. *Arcus fortiū superatus est, & infirmi accincti sunt robore: Repleti prius, propanibus se locaverunt; & famelici saturati sunt: donec sterilis peperit plurimos,*

mos, & quæ multos habebat filios infirmata est, & in universum subdit *Dominus mortificat, & vivificat; deducit ad inferos & reducit: Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & sublevat:* Rationem eorum omnium subjicit. *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbē:* quibus verbis significatur eximia Dei potentia, qui rerum omnium absolutus est Dominus, quæ cogitatio ad humilitatem potentissima est. Quo enim fulmine concutitur superbia, cùm dicitur *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: parum siquidem est quod Deus superbos oderit, nisi etiam ipsis bellum inferret, quo modo solemus resistere invasoribus cum eos existimet invasores suæ gloriæ quam unam sibi reservavit. Exempla sunt in Pharaone de quo dicitur ad Rom. c. 9. *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in universâ terrâ.* Item in Rege Nabuchodonosore quem infra hominem abjecit, dans ei cor feræ, & brutæ animantis annorū septem spatio.

Altera Dei cogitatio ut Iudicis multū promovet humilitatem: cùm enim Deus aliter judicet ac homo, fit ut sit nullus qui coram Deo se possit extollere, corā eo inquam qui etiam justitias judicet, omnesque dicere cogat cum Psalmistâ, *Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et cum Apostolo. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me Dominus est*: Ideò Abbas Agatho proximè moriturus, cùm fratres circumstantes eum interrogarent, an timeret, respondit: Hactenus elaborasse se pro viribus, ut Dei præcepta observaret: cùm tamen homo esset, ignorare le an Deo grata essent opera sua, utpote quod aliter judicet Deus, aliter homo: Et ita Job sic de se conqueritur c. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Si autem & sic impius sum, quare frustra laboravi? Si lotº fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ: tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimēta mea: neq; enim viro qui similis mei est, respondebo; neq; qui mecum in judicio ex æquo possit audiri.*

II.

Consideratio quam inire de nobis possumus, habet esse & non esse admixtum. Nam, absolutè loquendo, neque esse neq; non esse nobis attribui potest, quandoquidem sumus esse finitum, hoc est cui admixtum est non esse. Ibi enim finitur nostrum esse, quando desistimus esse plusquam sumus, & quùm inest aliquid quod non sumus. Incipiamus à non esse, quod in nobis est quadruplex, entis, meriti, operationis, culpæ.

1. Quoad non esse Entis, sanè ex nobis nihil sumus quia cùm nihil per totam æternitatem fuissemus, non fuit in nostrâ potestate nos extrahere ex nihilo:

2. Non potuit à nobis esse initium meriti, uti præclarissimè contra Pelagianos disputavit S. Augustinus.

3. Quoad operationes supernaturales vel meritorias ita inhabiles sumus ut egeamus triplici gratiâ, prævēniente, concomitante, & subsequente, ita ut nec minimam bonam cogitationem à nobis habere possimus, sed semper, atque ubique Dei auxilio egeamus: quam doctrinam ita acriter defendit contra Pelagianos; & alios Hæreticos S. Augustinus, ut ejus doctrina sit judicata sola Catholica, & orthodoxa, & Magister gratiæ sit appellatus, ut ex eâ agnitione adeò clara & perspicuâ, collegerit Vasquez non minorem fuisse in B. Augustino humilitatis virtutem, quā in S. Franciscō, quo nomine ergo beatum istum Doctorem, ipse quoq; Doctor egregius mirū in modū affectus erat. Hinc S. Basil. hom. 22. ita nos admonet: agnosce teipsum quis sis, sicut Adam ejectus ex Paradiso, sicut Saül destitutus Spiritu Dei: sicut Israël à sanctâ radice rejectus: *Fide* inquit *stas, noli alium sapere, sed time.*

4. Nihilum culpæ nos abjicit infra nihilum quodlibet naturæ: Cogita dæmones, damnatos item quid sit inimicum esse Deo, eidem odiosum, indignum omni gratia: Ad hæc peccatorũ turpitudinẽ, fœditatem, numerũ, non tantùm ratione plurium actuum, sed vel unius; nam in uno actu peccati distingui possunt variæ deformitates; unde David cùm tantùm duo peccata adulterium, & homicidium admisisset, aiebat peccata sua multiplicata esse supra capitis sui capillos.

Succedit consideratio boni quod duplex est, naturale & morale. 1. Quidem quoad naturale attinet, ad istud nihil nos contulimus, sed totum accepimus: itaque cùm non simus nostri, nihil est quod laudem & gloriam admittamus: cùm laudatur domus, vas, aut pictura, nemo ambigit quin laudetur artifex, & si forsàm opera viverent, atque sensu aliquo essent prædita, insulsa haberentur si eam laudem ipsa sibi vindicarent.

2. Quia illud totum habet principia vilissima: anima anima enim oritur ex nihilo, corpus verò ex fœdissimâ materiâ, uti præclarè disputat Innocentius libr. de vanitate mundi.

3. Quia finiti sumus, & perfectionis exiguæ, quid patet ex numero infinito naturarum, quæ omnes inter se singularibus perfectionibus dirimuntur.

4. Quia innumeri sunt in nobis defectus naturales in omnibus nostris facultatibus, interioribus & exterioribus.

5. Quia debitam nobis perfectionem nunquam simul habemus.

6. Quia semper in deteriùs mutamur usque ad interitum.

7. Propter innumeros casus quibus obnoxij sumus, secundum corpus, & animam: In corpore sunt morbi, dolores, mors; In animâ, insania, error, deceptio: qui defectus tam facilè hominibus contingunt, ab interno, ab externo, volentibus, nolentibus, sanabiliter, insanabiliter, & omnibus possunt accidere.

Eò referri possunt bona acquisita, scientia artes, opes, fama, honores, quæ quidem perexigua sunt, & fermè aliena, & vanissima, & circa quæ innumeri casus contingere nobis possunt, & inquibus à belluis superamur, ut in pulchritudine, sanitate, robore, celeritate, visu, auditu, odoratu, industriâ, & similibus: Quàm enim inferiores sumus in scientiâ, artibus, eloquentiâ, ingenio, Dæmonibus, & multis damnatis, & improbis hominibus; ut vel hinc pudeat gloriam & laudem velle accersere, unde à tam multis abjectissimis superamur.

Jam bonum morale complectitur potissimùm gratiam & virtutes, seu sint habitus, seu sint actus. At 1. nascimur omnes peccatores, & filij iræ, & ad malum propensi, nullaque in nobis potentia est interior & exterior, quæ non sit prona in malum, & non habeat aliquem defectum: Illud verò bonum quod in nobis est, Deus per vim conservat contra corruptæ naturæ nostræ inclinationem. Ad hæc nullum est in nobis bonum, quod non sit datum, juxta illud Apostoli, *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Basil. homil. 22. Gratiam sequitur judicium, & quo pacto donis sis usus, requiret Iudex: & Luc. 12. *Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendaverunt multum, plus petetur ab eo*; 2. Illud bonum quodcunq; in nobis est, semper æstimari debet perexiguum: cujus enim boni capax est unus homo?

3. Multis mixtum est defectibus: quam in rem hunc sensum dedit Deus Patri Alvari anno 1568. 16. Novembris, uti in suo libello scriptum reliquit. Significavit ei vitam spiritualem esse similem telæ argenteæ, quæ in textrinâ conficitur, ac quemadmodum inesset deformitas, si in subtegmen immitteretur

crassum aliquod filum quo totum opificium dedecoraretur, ita rem admodùm invenustam, planeque ridiculam esse culparum nostrarum admixtionem cum opere Dei, cogitationum nostrarum, nostrorumque verborum & operum cum eo quod inspirare nobis Deo propositum est. Si enim unam habemus é cœlo, immiscemus è nostro fonte duodecim insulsas, quæ primam corrùpunt. Si Deus salubre aliquod verbum nobis suggerit, miscemus illud & commaculamus profluentiâ verborum supervacaneorum, quæ saniorem animi nostri partem auferunt. Attamen pretiosa hæc tela non debuerat texi, nisi cum cogitationibus plane divinis, cum verbis è cœlo acceptis, actionibusque cœlestibus: sed quod è nostro adjicimus, totum opus depravat, & dedecore imbuit, adeò nihil agimus integrum ac sincerum. Cogitate quid sentiretis de uvâ quæ pro uno probi racemi grano haberet alia decem corrupta & putrida? Quid de ea scriptione, quæ ad singula quæque vocabula lituram unam, aut attramenti maculam haberet? Quid de tabula quæ pro unico penicili ductu idoneè posito, errata quam plurima objiceret? Nonne contemneretis & racemum, & scriptionem & picturam? Ex eo judicate te, quàm parvi facere debetis bonas actiones vestras, ubi tantùm est malæ, admixtionis, tot insunt vitia, atque errata tot inconsiderate ac præpropere facta, tantùm vanitatis, desidiæ, inconstantiæ, aliarumque culparum, è quibus maxima pars vitæ nostræ conflata est. Itaque recte monet Basilius homil. 22. ne homo sit sui iniquus judex, neque ad gratiam seipsum examinet, ut tantùm meminerit eorum quæ recte habent, non autem quæ male, οὐδὲ γὰρ θεὸς μετρίως ἐξετάζει τὸν ἄνθρωπον, neque enim Deus hominem particulariter examinat, sed opera & cogitationes simul & conjunctim: non itaque uno posito homo videndus est, sed toto corpore; quòd multos decipit, qui se abunâ parte tantùm intuentur & reliqua omnia secum dissimulant.

4. Quàm incertum est nos habere gratiam veramque virtutes, cùm nihil similius virtutibus, quàm vitia? Quàm sæpe putamus aliquid esse tantùm peccatum veniale, cùm sit mortale?

5. Quàm facile gratiam amittimus, ac bene vivendi propositum deserimus: nulla virtus rarior est perseverantiâ.

6. Quàm certum est nos saltem venialiter peccaturos: nam ut ait S. Ambrosius, Nullus dies sine peccato nostro præterit.

7. Nemo certus est de perseverantiâ, quemcunque tandem in se animum sentiat: nemo illam mereri potest, & semper est donum Dei omnino gratuitum, quo sæpe privat vel solum ob teporem, neglectas aliquas gratias, multò magis propter peccata.

8. Nemo non potest esse reprobus, atque damnari: quia nemo cùm peccaverit sibi gratiam polliceri potest, nemo verò sperare potest sibique promittere se nunquam peccaturum, cùm Apostolus admoneat, *Qui stat, videat ne cadat.*

III.

3. Consideratio est rerum aliarum creatarum in multitudine, varietate, nobilitate: Quota pars ego sum illorum omnium? Ita Beatus Ignatius facto progressu comparatione seipsum dejiciebat, cùm cogitaret quantus esset ad integram familiam: quid familia una ad vicum integrum; quid vicus ad urbem; quid urbs ad provinciam; quid illa ad regnum; quid istud ad orbem terrarum; quid homines præsentes ad præteritos & futuros: quid homines ad Angelos; unde cùm ad se rediret vix se superesse aut esse aliquid, ad eam comparationem credebat.

2. Video nullam esse ob quam Deo non sim obnoxius, cùm in ejus conditu, & conservatione aliquam mei rationem habuerit. Itaque illas spectò ut mea nomina atque debita, quibus cum nequeam satisfacere, hinc mei abjiciendi occasio exoritur: & certè dixit Basil. Gratiam sequitur judicium.

3. Nullam esse quâ in mei perniciem abuti non possim secundum illud Sap. 14. *Quoniam creaturæ in odium Dei factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*: unde ex omnibus occasionem humilitatis sumere possum: Itaque rectè ajebat ille Creaturas singulas hæc tria nobis dicere, accipe, redde, cave.

4. Cogito nullum esse alterius peccatum in quo labi non possim, juxta dictum illud B. Augustini. Non est peccatum quod facit unus homo, quod facere non possit alter homo: unde ille è priscis Patrib⁹ cùm audisset alium incidisse in fornicationem exclamabat, væ mihi, væ mihi, quare ulli me præferre debeo.

5. Nullum esse hominem vel Dæmonem cui sine mendacio subjicere me non possim, si me comparem in iis, quæ habeo à meipso, cùm iis quæ habent ipsi à Deo: quâ ratione sanctissimi se pessimis subjecerunt. Ita Salomon de se loquens Proverb. 30. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum: non didici sapientiam, & non novi scientiam sanctorum.* Quasi diceret, quoad me attinet, stolidissimus sum virorum omnium, quia nihil scientiæ, studio meo atque industriâ & more aliorum hominum, mihi paravi, & si quid habeo, illud mihi infusum est, quare quoad me attinet, omnium hominum insipientissimus sum. Nec est quod respectu alterius ullus sese efferre possit: Quia ut rectè monet Basil. Homil. 22. Nihil est quod contra proximum extollamur. *Opus suũ*, inquit Paulus Gal. 6 *probet unusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero*: quid enim utilitatis attulisti proximo quod fidem confessus es, aut exilium propter nomen Domini perpessus, aut jejunandi molestias toleraste? horum utilitas non est alterius, sed tua.

Iam verò si spectem tria tempora præteritum, præsens, & futurum, magna ex quolibet speges humilitatis: Nam in præterito versus innumera sæcula, nusquam fui: nulla mei memoria, nullus locus, nulla duratio, nulla consideratio, nulla necessitas fuit, sed facilè me caruerunt. In exiguo verò tempore quo fui, nihil præter pœnitentiam, aut certè exiguam memoriam residuum est. Præsens vero meum vix est aliquod nisi instans fugiens, ac labile. Quod si duratio ab existentiâ rei non distinguitur, quale est esse nostrum unitantum instanti commensurabile? Certe angusto loco concludimur: eo nempe quo corpus nostrum comprehensum est sed spatium durationis longè minus est, & cujuscunque hominis summi mensura esse potest quodlibet instans: futurum autem nobis occultum est, & incertum. Ad hæc quæ nos manent & quæ sola certa sunt, plena sunt periculi, dedecoris, & doloris: mors nimirum, sepulchrum, putredo, judicium, supplicium, nostri oblivio apud homines: præter innumeros casus, qui in vitâ contingere poterunt, quorum habemus in aliis exempla multa.

Ad extremum illud non omittam: Sicut scorpio morsus sui remedium est, & sicut viperæ caro adversus venena remedio est, ita ex ipso superbiæ vitio tantoperè nobis familiari ingens humilitatis incitamentum, & contrarii morbi remedium accipere possumus. Est enim peccatum dedecore plenum

num quod vix aliquis fateri velit, quodque nemo in aliis ferat, utpote absurdissimum atque insanum, ac nunquam quiescens donec ad summum stultitiæ, atque impietatis apicem pervenerit secundum illud dictum Prophetæ *superbia eorum ascendit semper* : Ejusmodi à se visum exemplum refert Dorotheus Doct.

2. Memini fratres mei, vidisse me aliquando hujusmodi hominem, qui cùm alium laudari videret, illum statim spernere, dicens, quis est ille ? Non est alius præter Zozimum, & qui cum eo sunt. Post cœpit & illos contemnere, ac dicere neminem esse alicujus pretii præter Macarium. Et paulò post, Quis, ait, Macarius? Nullus est præter Basilium & Gregorium. Atque etiam non multò post, hos quoque cœpit pariter spernere, & nullum pretii ullius existimare, nisi Petrum & Paulum. Huic ego prædixi quod evenit, fore ut hos quoque brevi contemneret, quod sanè factum est, nam eos sprevit, & nihil habendum esse in pretio præter Trinitatem asserere cœpit : statimque in DEVM quoque factus insolentior, exarsit & intumuit. Eò certè tendit omnis superbia, quod cùm turpissimum sit, nobis est hoc fonte magna humilitatis occasio.

Cùm igitur homines tanta commoda habeant ad humilitatem, quî fit, ut tam pauci humiles sint ? Eccliſ. 20. *Quid superbit terra & cinis* ? hoc est, cùm mille causas habeamus nos abjiciendi, interius, exterius, sive nos spectemus, sive alios, seu res omnes, sed cùm omnia deessent, vel ipse honoris appetitus nos à superbiâ removere deberet, & ad humilitatem inducere. *Quia qui se humiliaverit, exaltabitur.* Quid est, inquam ? videbimus Concione sequenti : Interim ex tot incitamentis ad humilitatem unum aliquod seligemus quo tantæ virtutis exercitium nobis fiat facile atque expeditum ; ut aliquando verè humiles in hac vitâ, simus in aliâ glorioſi, & in nobis verum sit illud CHRISTI effatum tam solenne :

Qui se humiliaverit exaltabitur.

Ita sit, in cœlis.

* * *

FERIA

FERIA QVARTA

DOMINICÆ SECUNDÆ IN QUADRAGESIMA.

CONCIO SECUNDA

DE HUMILITATE.

Rationem reddit cur adeò pauci sint humiles.

Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.
Matth. 20.

NECESSARIA res est humilitatis virtus, quâ nec etiam Apostoli carere debuerint, quos Christus generali illâ regula inclusit, *Qui se humiliaverit exaltabitur, & qui se exaltaverit, humiliabitur*, quâ ratione, & ipsam superbiam superbiâ domat, & humilitati per humilitatem succurrit. Quia enim videbat immoderatum appetitum magnitudinis, illum per ipsummet aggreditur atque exscindit. Et nos quidem ex ipso vitio superbiæ humilitatem deduximus, sed Christus sapientissimè & divinissimè rem stirpitùs atque radicitùs conficit, dum unam gloriæ viam, ipsius contemptum ostendit, non ita tamen ut gloriam humilitate quæramus, cùm virtus humilitatis melior sit ipsâ gloriâ sed ut eam tantùm speremus quasi fructum humilitatis. Quia enim primâ facie humilitatem amare non poteramus, hinc vel saltem amabilem reddidit, quod gloriam pariat: ut cùm ipsam experti fuerimus, ipsam propter ipsammet diligamùs, licet gloria eam nunquam sit desertura, Et quoniam ea est vis & tyrannis ambitionis, ut qui propter ætatem, aut aliud simile inidonei sunt ad honores, illos saltem filiis suis concupiscant, idque sæpe vehementiùs quàm sibi; hinc est quòd in exemplo Matris filiorum Zebedæi, hoc etiam Christus damnet, ut omnes intelligant, tam ij qui sibi, quàm qui aliis honores ambiunt, unam ad illos viam solam esse humilitatem: Ad hujus virtutis Magistram, Matrem, & Reginam accurramus. AVE MARIA.

MIRATI sumus in priori Concione cur tam pauci sint humiles, cùm omnia ad humilitatem nos pertrahant: hoc est Dei maje-

majestas & justitia: nihilum nostrum multiplex: immò & bona quæ in nobis sunt, & quę vel aliena sunt, vel vana, vel incerta, item mala certa, scilicet peccata: in super creaturę omnes variis planè modis. Huius itaq; reicausam hodiernâ die investigamus, ac quærimus cur in tam paucis hominibus humilitas reperiatur.

Prima ratio peti mihi videtur ab humilitatis naturâ, quæ amori proprio opponitur, quem Plato appellat τελευταῖον χιῶνα postremum animæ amiculum, quod appetitus gloriæ ultimò deponatur: Ita Tacitus lib. 4. loquens de Helvidio Prisco homine laudatissimo, appetentior famæ videbatur, quando etiam sapientibus cupido gloriæ novissima exuitur. Amor autem sui, est propriæ excellentiæ amor; sicut enim amor nostri, vitia nostra nobis elevat & diminuit, ac perfectiones nostras nobis exaggerat, sicut curam famæ nostræ habet, efficitque ut ab aliis amari cupiamus, quia amor quo afficiuntur cæteri erga nos, magnum est testimonium existimationis quæ de nobis habetur: ita humilitas, nobis culpas nostras exaggerat, oculosque nostros à bonis quæ possidemus avertit, & à virtutibus nostris, facit ut contemptionem optemus & ultimum locum consectemur; neque desideremus amari, ne magnificemur. Atque ut admodùm difficile est homini, amorem sui ipsius relinquere; inde fit ut parum humilitatis inter homines existat. Hujus rei exemplum & probationem afferunt nobis Apostoli, de quibus sermo est in hodierno Evangelio, qui cùm Piscatores fuissent, & vitam labore sustentarent, nunc principatus & primas sedes in regno temporali ambiunt; Et quidem in scholâ Christi eruditi, post tam multa exempla & documenta humilitatis. Nec verò duos tantùm hæc cupiditas occupavit, sed cæteros etiam qui indignati sunt de duobus fratribus. Quæ quidem labes eorum animos aliàs infecerat, dum quærerent, quis major esset in regno cœlorum, quibus advocato puero in medium Christus & facto, & verbo respondit. Sed planè intolerabile est quod ipsâ nocte passionis, cùm dolor & tristitia de Magistri obitu eorum implesset animos, nullique alteri affectui locum relinquere debuissent, ea tamen cogitatio sic eos occuparit, ut Lucas dicat cap. 22. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Quis hanc inter piscatores contentionem non miretur, præsertim tam alieno tempore? Hiccine sunt lachrymæ, hi gemitus, quibus abeuntem prosequimini? Itane verò cùm de suâ morte, & crucis supplicio agit, vos de primatu contenditis? Quid hâc intempestivâ contentione indignius? Sed nimirum hic affectus insanus est, vixque, ac saltem ultimus exuitur.

Filiæ humilitatis tres sunt, ait S. Dorotheo doctr. 1. sui ipsius perpetua accusatio, propriæ voluntatis odium: Consilij sui ac sensus abominatio. Quæ res directè impugnant amorẽ propriũ, qui arma nobis suppeditat ad propugnãdum tuendúq; id quod à nobis promanat, uti propria volũtas sensusq; proprius. Inde fit, ut Patres sanè explicent per renuntiationem sui ipsius & perfectam abnegationem: Sanctique Augustinus & Chrysostomus, exponentes primam beatitudinem, *Beati pauperes spiritu*, de humilitate intelligant, quæ est perfecta paupertas, hoc est, integra renuntiatio bonorum, quæ nobis singulariter propria sunt, quæ longè difficiliùs dimittimus quàm bona exteriora, communiter dicta fortunæ bona, quæ minùs nostra sunt.

2. Rationem peto ex diversis speciebus humilitatis, quæ omnes peculiarem aliquam difficultatem habent. S. Dorotheus Doctr. 2. sicut duo superbiæ ita quoque duo distinguit humilitatis genera: primum superbiæ genus est, cùm quis fratrem suum contemnit, eumque quasi nihili æstimat; seipsum verò cunctis excellentiorem putat: 2. est cùm adversus

Deum ipsum insolescit, sibique opera bona, non Deo tribuit. Ita primum humilitatis genus est, si fratrem tibi præponas in omnibus, teque habeas abjectissimum: alterum si quævis opera bona Deo attribuas: & hæc, inquit, est perfecta Sanctorum humilitas. In primâ hoc est difficillimum, ut quis sibi omnes præponat, ac recumbat in novissimo loco: In secundâ, ut id quod maximè est glorioſum, id à se abjiciat, atque alteri tribuat, nam virtute homines boni esse dicuntur: præsertim cùm quisque libertate & voluntate bonus sit, nemini autem veniat in mentem se non posse id quod voluntate est, unde passim Philosophi Morales, uti Seneca sibi virtutem tribuêre.

2. Divisionem subjicit idem Sanctus: ut enim alia est Superbia Sæcularis, cùm quis nimirùm insolescit in fratrem suum, ut pote quia vel ditior est, vel pulchrior, vel ornatior, vel nobilior: alia Monastica quæ non est minor, cùm quis gloriatur ut jejuniorum, & vigiliarum observantissimus: Ita quoque duplex est humilitas, Sæcularis ac Monastica; Prima contemnit bona sæcularia, nec pro illis se alteri anteponit, ea enim bona sunt ex quibus turpe est laudem quærere, cùm tamen in iis plerique ridiculi sint, qui de veste, de cristâ & similibus gloriantur. Procerus est: numquid altior quàm pinus? Pulcher est: an Pavone formosior? Sed hæc mulier formosa est: at paucæ sunt eximiâ formâ quæ castæ fuerint: at morbus, vel ætas, vel ipsa duratio formam expellit. Scienter equitat: itidem facit equarius mango. Ad choreas venustè saltat: sed minùs quàm fidicen. Pilâ bellè admodum ludit: at melius metæ signator. Arma naviter tractat: id rudiarius minister sæpenumero præstabiliùs agit. Suavi & canorâ est voce: Comœdi laus ista est.

Altera Monastica dùm bona opera premuntur, ac nulli alteri seipsum quis præfert, vel hominũ turpissimo, vel iniquissimo *quis enim te discernit?* 1. humilitas difficultatem habet ex consuetudine, quia videlicet hæc vulgo homines magni æstimant. Non sunt res magnæ, sed passim magnæ æstimantur, & ab incunabulis semper laudari audivimꝰ ab omni hominum genere: modis omnibus quærũtur: luctus magnus si amittantur: omnibus votis appetuntur, & *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Quis omnibus hominibus contradicere velit? Altera verò ex quâdam specie meriti: Cùm enim hæc bona vera esse videantur, vix quisquam improbet, ut gloria quam offerunt respuatur, cùm eam justam esse existiment. Ad hæc quæ ipse Deus aliquando laudaturus est, immò & seipso compensaturus, quis æstimare, quis laudare detrectet.

Sanctus Bonaventura tres ait esse humilitatis gradus.

1. est, cum quis se vilem reputat; ac licet dixerit magnus ille & verè pius Antistes Franciscus Salæus, quòd se se agnoscere miserum, est quidem minimè brutum animal esse, sed sed non propterea esse humilem: omnes tamen qui miseriam suam norunt, non ideò se se despiciunt. Quamobrem dico esse humilitatem, semetipsum contemnere. Aliunde verò sicut superbia est, benè de seipso existimare, ac placere sibi: ita humilitas est, se parvi pendere, ac postponere omnibus: quod quidem patet ex contrario ad superbiam pertinente.

2. Gradus est velle ab omnibus vilem reputari: & propterea procurare, & cùm evenit gaudere & exultare: secundum illud Apostoli: *Non solùm autem sed & gloriamur in tribulationibus nostris*, quod valde est arduum.

3. Gradus est nõ extolli de Dei donis quantumvis magnis: quī gradus perfectissimorum proprius est. Sic Bernardus rara virtus, inquit,

inquit, humilitas honorata, præsertim à Deo, maximis donis collatis: nam quem Deus extulit quomodo is potest non se efferre. In his singulis gradibus peculiaris est difficultas: In primo quidem, quia quis in suâ causâ potest esse justus Iudex? præsertim cum naturâ comparatum sit, ut oculos avertamus ab iis quæ displicent, & convertamus ad ea quæ placant: Vir unus Ieremias ita de se loquitur, cap. 3. *Ego vir videns paupertatem meam in virgâ indignationis ejus.* 2. gradus ferè naturam superat: 3. autem adeò altus est, ut ex omnium confessione ad perfectissimos tantùm attineat. Quæ cùm ita sint, & cùm perfectio sit paucissimorum, non mirum si in tantâ humilitatis difficultate tam sint pauci humiles; nullaque sit virtus humilitate rarior.

Sed quoniam, ut ait Cassiodorus lib. 4. epist. 4. Humilitatis virtus tàm est pretiosa quàm rara, si pauci sunt humiles, eò magis contendere debemus, ut simus ex paucorum numero: quia ut ille ajebat, magnum argumentum raritas: quâ de re cùm vos persuasos intelligam, hoc mihi reliquum est ut humilitatis doctrinam & praxim subjiciam.

Sed ante omnia admoneo nemini nõ convenire humilitatem: idque omni tempore, etiam in ægritudine: cùm multæ virtutes, uti oratio, charitatis officia, & labores ob imbecillitatem, atque attentionis defectum eo tempore in usum venire non possint: Nam ut ait Doroth. doctr. 21. Contemptus laboris vicem tenet: quare doctr. 2. ita suos exhortatur: Et si ob infirmitatem laborare non possumus, humiliari saltem studeamus: fateor debilitate corporis non posse nos laborare; sed quid, non possumus humiliari? Hoc posito:

Adverte mihi duplicem videri humilitatis virtutem, unam quam appello mortalem, alteram Christianam: Licet omnem humilitatem, virtutem Christianorum appellent Sancti Patres, quoniam ut ait B. Augustinus in illud Psalm. 31. *Veruntamen in diluvio aquarum multarum, ad eum approximabunt*; fuit hæreticis incognita. Sic enim ait: Hæc aqua humiliationis cordis, hæc aqua vitæ salutaris abjicientis se, nihil de se præsumentis, nihil suæ potentiæ superbè tribuentis; hæc aqua in nullis alienigenarum libris est: non in Epicureis, non in Stoïcis, non in Manichæis, non in Platonicis: ubicunque etiam inveniuntur optima præcepta morum & disciplinæ: humilitas tamen illa non invenitur: à Christo venit, &c. In diluvio autem aquarum multarum extollentium se adversus Deum, & docentium superbas iniquitates, ad Deum non approximabunt.

Moralis initium habet in intellectu, sed residet in voluntate. Etenim nascitur ex cõsideratione vilitatis nostræ, & sui ipsius cognitione; adhæc beneficiorum Dei. Itaque praxis optima est sui frequens disquisitio, & cognitio, ac præsertim consideratio peccatorum suorum, & impotentiæ suæ ad bona opera, & eorum omnium quæ suprà retulimus: præsertim si hæc consideratio fiat coram Deo, quia ut ait Bernardus serm. 42. in Cantic. ad illud lumen veritatis constitutus homo, seipsum sine dissimulatione inspicit, & sine palpatione dijudicat. Actus voluntatis est in affectu circa vilitatem nostram, ita ut ea omnia diligamus, quæ faciunt ad nostri contemptum: quia verè nos existimamus dignos contemptu.

1. Itaque oportet seipsum vili pendere, nihil seipsum existimando quoad ea quæ habet homo ex se se: atque ea est humilitas judicij, ut ait Bernardus, quam adhuc imperfectam vocat, cùm quis seipsum ad veritatis lumen intuens agnoscit suam vilitatem, & se coram Deo dimittit: sed requiritur.

2. Vt verè humilis, veritatis amore impulsus, talē se ab aliis haberi cupiat qualē se corā Deo agnoscit. Est enim humilitas, ait Bernard. loco citato, quā nobis veritas parit, & non habet calorem: & est humilitas quam charitas format, & inflammat. Atque hæc quidem in affectu, illa in cogitatione consistit: Vnde fit 1. ut nihil agat ob vanam gloriam; nam ut ait Climacus, ubi desinit vana gloria, hinc incipit superbia: non tantùm quòd vanam gloriam nihil faciat ut inanem; neque tantùm quia ut ait Basil. Homil. 22. θεὸς μέγας θεαλής, Deus magnus est spectator: φιλοδοξισον ἐπὶ θεῷ, & Deo placere gestias: λαμπρὸν γὰρ ἀποδίδωσι τὸν μισθὸν; qui splendidè mercedem retribuat: sed quia se omni gloriâ putat indignum: 2. Vt nullâ in re humilitatem lædat, abstinendo se ab iis omnibus quæ alienum honorem minuere possunt, & augere proprium, si nulla fuerit necessitas.

3. Vt cùm se videt ab aliis honorari, & magni fieri, doleat; nec illū honorem admittat, nisi ratione officij, aut boni quod habet, & ita in Deum implicitè illum referat.

4. Vt se cum aliis conferendo, deteriorem putet: considerat enim alios secundum ea quæ ipsi habent á Deo, & se secundum ea quæ habet ex se, unde se postponit: hoc enim est ingenium humilitatis in se intueri sua mala: in aliis eorum bona, contra quàm faciunt superbi qui in sua bona intendunt, & in aliorum mala: quisque autem secundùm sua est deterior, quam sint allij secundùm ea quæ sunt Dei.

5. Vt se homo Deo subjiciat velut vile mancipium, ut ipse de illo disponat ad libitum suum in omnibus: secundùm illud 1. Petr. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet*: Et ad hoc pertinet ut quidquid evenerit non modò constanter, sed etiam libenter feramus, quod magnam habet latitudinem.

6. Vt subjiciat se hominibus propter Deum sinens se regi ab illis tanquam instrumentis Dei: unde 1. Petri 2. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum*, &c. in omnibus amputando suam voluntatem, omnibus omninò se subjiciendo, etiam in exercitiis humilitatis: Etenim, ut ait Doroth. doctr. 21. currere suâ sponte ad vilia exercitia nullius profectus est, quin potiùs inanis gloria: sed cùm vile tibi aliquid præcipitur, neque tu contradicis, sed jussa facis cum omni mansuetudine, & obedientiâ.

7. Vt in externis rebus, & functionibus quantum in se est amplectatur semper id quod abjectius est, & minus honorificum, ut locum inferiorem, officia vulgo minus honorata, vestem, supellectilem, &c. quantùm patitur personæ qualitas & decorum.

8. Vt iis etiam virtutibus se addicat quæ minus habent splendoris, & eas humiliationes diligat quæ necessariæ esse videntur, & nos magis abijciunt: unde S. Bernard. serm. 16. in Cantica. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari; gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus quod laudes contemnat: itaq; melius est pati ea quæ ab aliis inferuntur, quàm quæ ab aliis exposcimus: ité ea quæ nos viles, non humiles ostendunt; & ideò rarò nec nonisi prudenter de humilitate loquendum: nam ut ait Doroth. doctr. 21 humiliter loqui arrogantiam præ se fert, & magis nocet, quàm prodest.

Denique, nullis donis Dei extolli, sed potiùs se illis omnibus indignum credere, & ad omnia se inneptum putare, immò ea spectare ut onera sibi imposita, atque hanc sumam appellant humilitatem, & supra moralem Philosophiam.

Ex dictis colligi potest 1. Moralis humilita-

tatis fundamentum esse notitiam sui, quæ ut sit perfectissima postulat etiam cognitionem Dei: unde cognatæ sunt hæ duæ virtutes, humilitas & charitas: secundùm illud Augustini: Noverim te, noverimme, ut amẽte, & cõtemnã me: Hũilitas enim sequitur cognitionẽ sui, charitas autem cognitionẽ Dei. 2. hanc virtutem non esse in intellectu, sed in voluntate; Inclinat enim voluntatem ut se intra fines suos contineat, nec eos excedat vel spe, vel desiderio:

Objectum hujus virtutis esse id quod congruit nostræ vilitati: hoc enim est quod per humilitatẽ & interius appetitur, & agitur exteriùs; nam licet humilitas nos rectè ordinet circa appetitum honoris, non illum 1. quærit solitarium, cùm soli virtuti debeatur & sit ejus appendix: non 2. quærit ex rebus vanis, cùm soli virtuti debeatur: non 3. supra suum meritum, quòd si ex se metiatur nullum est; Sed sui contemptum quærit, quatenus est testificatio nostri nihili, quâ profitemur non ex nobis nihil posse, nihil esse; & consequenter omne bonum nostrum esse ex Deo, & ad ipsum ut ad authorem bonorum omnia esse referenda: hoc enim ipso quòd nostram vilitatem profitemur, tacitè significamus omne bonum nostrum in Deum esse refundendum.

Christiana ea est non quæ in nostrâ abjectique fundatur, sed in perfectâ Christi imitatione: cùm enim anima iutelligat sui causâ Deum Majestatis humiliatum esse, usque' eò ut non homo esset sed vermis, *opprobrium hominum*, & *abjectio plebis*; ut Dominum suum imitetur, omnes honores abominatur, & supplicia reputat, desiderat omnem contemptum, atque ignominiam modis omnibus ambit, & si repererit, amplectitur, lætatur, gloriatur, atque cum Apostolo dicit, *Gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Itaque se contemnentibus non irascitur, immò eos diligit, & si culpa abesset; eos ad hoc provocaret, dolet tamen ob eorum peccatum, sed lætatur propter occasionem contemptus sibi oblatam; ac sicut homines honoris cupidi mille artibus honorem aucupantur, ita qui verâ humilitate, sed ultimâ præsertim præditi sunt, mille modis, & rationibus humiliandi se occasionem investigant. Propterea Basilius homil. 22. docet omnia quæ ad Christum pertinent nos humilitatem docere: Cùm infans esset in speluncâ hospitatur, nec lecto, sed præsepi imponitur: deinde in domicilio fabri, & Matris pauperculæ enutritur: subditus Matri, & illius Sponso: docetur ea audiens, quorum non egebat: subditur Joanni, & baptismum suscipit à servo Dominus: nemini adversariorum resistit, neque inenarrabilem suam potentiam in quemquam vibrat, sed quasi potentioribus cedit: si Pontificibus Sacerdotum in formâ rei sistitur, ad Præsidem ducitur, & judicium illius sustinet: & cùm posset calumniatores suos arguere, silẽtio tolerat illorũ calúnias; conspuitur à servis ac vilissimis pueris: morti traditur; eique, hominum judicio, turpissimẽ: ita hominem omnia ab ipsâ nativitate ad mortem usque exercuerunt. Vt tamen illi virtuti nihil desit, tres illi conditiones necessariæ sunt.

1. Vt sit humilis, nec se se prodat, quantum fieri potest, & ita non inepta sit in verbis, in habitu, in modo loquendi, non sit contentiosa in officiis vilibus ad se pertrahendis.

2. Vt sit prudens, ut cohibeat zelum immoderatum: item cùm opus est, suam famam tueatur, quandò cum proximorum bono conjuncta est.

Denique sit magnanima, ut ea faciat non propter pusillanimitatem, sed propter humilitatem: ad hæc sicut nihil pro vanâ gloriâ vult aggredi, ita nihil boni ob ejus metum deponat: & sic ab oratione non abstineat humilitatis prætextu, nec ab aliis operibus: si aliquid dicendum sit quod sciat, non fingat se ignorare, sed prosit proximo, & ita in cæteris: Hæc est praxis potissima humilitatis.

Quòd si quis viam ad ipsam postulet, docent omnes Patres cum D. Bernardo esse humiliationem, scilicet in vestibus, in officiis, in afflictionibus: nam uti docet Greg. Nazianz. ubi anima se se corpori addixit, passiones corporis in animam transierunt, itaque aliter afficitur animus, cùm corpus ornatè vestitum est, aliter cùm inornatè, aliter cùm corpus sedet in throno, aliter cùm jacet in sterquilinio: unde apud Doroth. doct. 2. quidam senior à fratre interrogatus, quid esset humilitas? respondit magnum opus esse humilitatem, ac divinum nescio quid, vias verò humilitatis labores corporeos esse: & ideo rectè idem admonet doct. 10. ut quicunque à Domino poscit humilitatem sciat se poscere aliquem ad se destinari, à quo contumeliis & injuriis afficiatur, cùmque eas patitur ferat æquo animo, contemnatque in corde seipsum, ut & foris, & intùs pariter humiliętur: & quamquam hæc initio molesta esse videantur, progressu tamen temporis facilia efficientur: immò sola humilitas animi quietem dabit, juxta promissum Salvatoris, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: Sicut enim est sententia ejusdem Patris doct. 1. Turbatio à superbiâ proficiscitur: & sicut Deus ubi animam rebellem videt, ut hæc ei pœna statuta ejus miserabilem ostendat, conjicit eam in turbationem, ita humilitas quietem reddit: unde cùm coràm B. Barsanuphii discipulis quidam, senem interrogaret quid acturus esset ipse qui se nullâ curâ morderi sentiret, ideoque dubitaret de salute, sciens ex scripturâ multis afflictionibus ad eam opus esse; ei senex respondit, vanum timorem adimens, ita necessariò evenire, ut scilicet paratissimi, jucundissimi, & quietissimi sint, quicunque se se in Patrum obedientiam dedidêre, quod per obedientiam humilitati conjunctam præstatur.

Cùm itaque nihil melius optare aut sperare possimus præter pacem, & animi tranquillitatem, humilitatem amplectamur, quæ illius parens est, quâ fit ut ex hujus vitæ tranquillitate in omnis perturbationis expertem vitam beatam transferamur: quod nobis concedat JESVS CHRISTVS. Amen.

FERIA QVARTA
DOMINICÆ SECUNDÆ
IN QVADRAGESIMA
CONCIO ALTERA,

Quicquid in sorte Filiorum Zebedæi fuerit singulare, id totum uni patientiæ tribuendum esse.

Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei, Possumus. ait illis, Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram meam, aut sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Matth. 20.

NEMINI in Scripturâ versato ignotum est nomine calicis tribulationem intelligi: sed hujus appellationis ratio non tam facile reddi potest.

Nam 1. quod aliqui dicunt ideò Christum suam Passionem appellasse calicem, quòd eam acceperit cum tanto gaudio, ut vinum delicatum in magnâ siti bibere videretur: non satisfacit, 1. Quia licet CHRISTVS calicem Passionis sæpe desiderarit, & licet non invitus biberit, tamen ut scias calicem amatum fuisse, ipse orabat Patrem ut transiret calix & ipsum bibit cum maximo dolore & tristitiâ, atque acerbitatem passionis sensit: 2. Quia hæc vox calicis passim usurpatur in Scripturâ ut significetur quodcunque supplicium sive malorum, sive bonorum Psalm. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto: Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fex ejus non est exinanita: bibent peccatores terræ.* Isiodor. Pelus. libr. 1. Epistol. 6. Justa remuneratio designatur quæ misericordiâ temperatur, ut provocet ad pœni-

pœnitentiam : Inclinat autem ex hoc in hoc, id est ex benignitate in supplicium : atque ut nemo confidat lassandum Deum ultione, & obliturum peccata, addit fecem non esse exinanitam, bibent enim omnes peccatores tertæ τὸ τῆς κρίσεως πῶμα. Judicii poculum; vel ut loquitur Epist. 249. ποτήριον πλάνης poculum prolapsionis ac ruinæ: Idem docet li. 2. Epist. 172. Vbi poculi temperationem intelligit per mixtionem: Nam (inquit) purum est Dei judicium, temperatur autem juxta scelerum qualitatem, & quantitatem. Verior tamen sensus est; si dicas: *Calix in manu Domini*, hoc est jam jam parat morti tradere impios; sed non universos simul, ne mundus pereat, sed sigillatim nunc uni, nunc alteri, calicem propinat; *& inclinavit ex hoc, in hoc*, id est ab ore alterius detractum calicem alteri porrigit, ita ut omnes impii illo se potandos esse sciant. Et Ps. 59. *Potasti nos vino compunctionis*, seu tremoris: seu ut vertit Hieronymus soporis. Isaiæ 51. *Bibisti de manu Domini calicem iræ ejus, usque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti usque ad feces:* Et Ezech. 23. *In viâ sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem ejus in manu tua: calicem sororis tuæ bibes profundum & latum*: Et Zachar. 12. *Ponam Hierusalem superliminare trapulæ omnibus gentibus in circuitu*: Et alia multa loca passim id probant, scilicet nomine calicis tribulationem & pœnam significari:

2. Itaque S. Hieronymus appellationem sumit à Pharmaco venenato, quod visum horrorem ingenerat, haustum vero amaritudinem, deinde nauseam, tremorem, vomitum, turbationem : coctum autem gravedinem, ebrietatem, vertiginem & soporem. Sunt potiones affectæ præstigiis, & incantationibus : aspersi veneficio liquores: succi herbis magicis expressi. Verùm Pharmacis non adhibetur vinum, sed toxicum: atque ejusmodi potiones non fiebant à vino sed succo cerrarum quarundam herbarum veneniferarum malignarumque, sexcentis execrationibus, præstigiis & incantamentis collectarum.

3. Itaque ex nonnullorum sententiâ alluditur ad consuetudinem quâ damnati jubebantur cicutam ebibere, uti Athenis jussum Socrati: unde factum, ut mors ipsa calix appelletur. Sic Ps. 115. *Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo*: id est, Mortem libens, & Dominum invocans, subibo: ex quo sequitur. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*: Et eo quoque sensu Christus vocat mortem suam, calicem & baptismum : Nam uti quondam rei, vel occisi sunt epoto veneno, vel in undas demersi: ita in Christo duplex fuit quasi mortis causa, dolores interni, significati nomine calicis, & tormenta externa significata per baptismum. Verùm cum hic mos interimendi non fuerit in usu apud Iudæos, neque ad mortem vinum porrigeretur, non facile consentio hinc sumptam esse talem denominationem.

4. Visum est erudito Ezechielis interpreti Prado in c. 23. hunc loquendi modum petitum à bibendi certaminibus, ubi convivæ coguntur ebibere certas mensuras usque ad fundum calicis non sine fastidio & agone, & læsione virium animi, & corporis: nam ejusmodi potus initio suaves, in fine sunt acerbi, & quod appetit sitis, respuit satietas; sed exhauriendus omnino calix offertur ipsius compotatoris manu, & ebibendus usque ad feces. Talis est potus & concertatio peccatorum cum divinâ Providentiâ, nam dulce vinum voluptatum bibere volunt: fundum calicis, hoc est pœnarum acerbitatem exhaurire recusant, sed ebibant necesse est, *quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto*, id est turbidâ fece, qualis est sanguis recens ab uvis rubris extractus, unde & fervens dicitur, & ebulliens : Et hoc sensu ajebat Christus, *transeat à me calix iste*, nam Christo fidejussori nostro propinata est fex calicis voluptatum, quas nos bibimus in poculo Babylonis.

Sed

Sed 1° non quadrat similitudo, quia duo sunt pocula, unum voluptatis, alterum furoris, & hoc quod propinat totum est amarum. 2. Non potest ostendi ista concertatio in omnibus, ut quando Apocal. 17. dicitur *Babylon habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis ejus*, quod propinavit omnibus Sanctis, eos affligendo, & occidendo: unde subditur. *Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu*: Mitto alia exempla quæ non quadrant.

5. Plurimis placuit alludi ad morem Iudæorum quo damnatis ad mortem offerebatur vinum aliquod excellens & temperatum, ut miseri illo recrearentur. vel si prolixiùs biberent, ita sopirentur, ut dolorem non sentirent. Sic Christo Domino obtulerunt vinum myrrathum, sed ipse eo gustato ne beneficium dedignatus videretur, noluit bibere; hāc etiam consolationem abjiciens nostrâ causâ. Ita ait Sapiens Proverb. 31. *Date siceram mœrentibus, & vis qui amaro sunt corde: bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Ponitur itaque signum pro re significatâ, & calix pro morte. Verùm cùm illud poculum dari soleret ad consolationem, difficile est ex eo appellationem sumere mortis & supplicij: cùm enim Deus aut gestat poculum, aut dat illud propinandū gentibus, ut cùm dicit Ierem. cap. 25. *Accepi calicem de manu Domini, & propinavi cunctis gentibus*; significat potius se quasi gladium accepisse, quàm illud vinum quod datur in supplicij levamen, atque solatium.

6. Mihi itaque omnium probabilissimum est metaphoram sumptam à convivijs, in quibus calix significabat certā poculorum mensuram; pars autem & portio, mensuram esculentorum; quam scilicet Architriclinus ad mensuram dividebat unicuique in convivio: atque utroque nomine, quidquid apponi solebat convivis edendum, aut bibendum: unde quidquid ad singulos homines quocunque jure pertineret, id appellatum est calix, & portio. Hinc David Psal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei*: id est ipse mihi pro cibo & potu: denique omnia ad victum necessaria in ipso habeo. Calix itaque seu pars, significat quod cuique est destinatum: quòd si res destinata bona sit, dicitur calix jucundus & gratus. Ita David, *Et calix meus inebrians quam præclarus est*: & ut significetur illarum rerum abundantia, additur ebrietas, torcular, cella vinaria: ut autem significetur deputatum alicui supplicium, sive sit mors, seu aliud genus afflictionis, non dicitur calix simpliciter, sed calix furoris, vel dicitur vinum mixtum, fex vini, absynthium: uti Theren. 3. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio*: & ut significetur copia seu magnitudo supplicij fit mentio ebrietatis, tremoris, stuporis, & similium: uti intelligatur nihil, condonari, dicitur Isaiæ 51. *Usque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti usque ad fæces*: ut significetur æqualitas supplicij, ait Ezechiel cap. 23. *In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem ejus in manu tua: calicem sororis tuæ bibes profundum, & latum*: profundum, ut intelligas magnitudinem supplicij; latum, ut diuturnitatem. Cùm itaque Christus id sibi elegisset ut pateretur, ut torqueretur, ut moreretur, hinc factum est, ut nullâ re aliâ additâ suam mortem, & passionem vocaret calicem suum, ac de sua morte loqueretur, cùm Iacobo, & Ioanni diceret, *calicem meum bibetis*. Cogita igitur Patrem æternum instar cujusdam Architriclini aut Patrisfamilias unicuique suam sortem destinasse, ac Filio suo pro sua parte dedisse dolores, labores, cruces, & mortem, quam suam sortem, & quasi partem Filius calicem appellavit: *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum*: Hoc posito tanquam hujus discursus fundamento?

Dico 1. Uuicuique suum esse à Patre divino calicem præparatum, seu unicuique suam sortem esse destinatam. probatur: Quia id pertinet ad ordinem divinæ providentiæ, cujus est omnia disponere. Nam ut ait Apostolus Rom. 13. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*: Ita dicitur moderari, *omnia in pondere numero, & mensurâ*. Porro illud verum est tùm in universum respectu Regnorum, Imperiorum, Gentium, *quando dividebat gentes juxtà numerum filiorum Israël*: ipse enim regna & imperia destinavit, id est, & fines dominationis, & mensuram opum, potentiæ, multitudinis, durationis, uti dicitur Actor. 17. *Definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum*: & ideò omnia regna repræsentabat in membris statuæ Nabuchodonosoris, quorum certa erat & magnitudo, & dignitas; & in metallis certum pretium: uti Daniel exposuit. Mensuram etiam pœnarum statuit, & rerum quas illis permittere vult, ita ut nemo possit fines illos præterire. Eodem modo singulis hominibus suum calicem destinavit, tempus nascendi, tempus vitæ, mensuram patientiæ, mensuram donorum, & similia. Porro quibusdam præparavit sortem fœliciorem, alijs verò duriorem: Quidam canere possunt cum Prophetâ *funes ceciderunt mihi in præclaris*, alij verò dicere cum Ieremiâ, *Avis discolor hæreditas mea mihi*. quia bonis & malis successibus distincta: alij cum eodem Prophetâ cap. 12. *Facta est mihi hæreditas mea quasi Leo in Sylvâ*.

Dico 2. Ex præparato unicuique ac destinato calice æstimandam ejus magnitudinem aut dejectionem, quia nullus est faber suæ fortunæ, sed talis solùm esse potest, qualis à Deo destinatur. Ita Christus ut ostenderet superfluam esse curam hominum ut supra Dei ordinationem eveherent, exemplum sumit augmenti corporis: ut enim *nemo potest adjicere ad staturam suam cubitum unum*, ita nemo suam sortem mutare potest. Hinc fit ut qui Angelus metiebatur mensuram Jerusalem ferret in manu sua calamum aureum, id est divinum adhiberet consilium, ut cujusque Sancti intelligeret sanctitatem, atque magnitudinem: nam tantus est unusquisque, quantus est à Deo destinatus. Non itaq; petenda est cujusque magnitudo vel ex ipsius ambitione, aut ex parentum voto, aut ex hominum conatu, & voluntate, sed ex Dei prædestinatione, secundum illud, *Non est volentis, neque currentis sed miserentis Dei*. Isaac volebat benedicere Esaü: Jacob præripuit benedictionem electione divinâ, nam ut ait Apostolus *dictum est ei*, scilicet Matri, *quia major serviet minori*: Ita Joseph Manassem posuerat ad dexteram Jacob, & Ephraim ad sinistrâ, sed Jacob suas manus decussavit & minorem majori prætulit divino consilio.

Dico 3. Et quoniam in particulari horum duorum discipulorum de quibus est sermo calix idem fuit qui & Christi Domini, secundùm illud, *Potestis bibere calicem meum*, & iterum *calicem meum bibetis*, hinc sequitur veram magnitudinis ipsorum mensuram petendam non fuisse, vel ex Matris voto, vel ex ipsorum ambitione *nescitis quid petatis*, nec ex voluntate humana Christi, & carnali benevolentia secundùm illud: *Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis*, sed ex mensura calicis Dominici: *sed quibus paratum est à Patre meo: potestis bibere calicem meum*, &c. *calicem meum bibetis*.

Dico 4. Quoniam itaque eorum calix idem fuit qui Christi Domini, & calix Christi fuit calix afflictionis, sequitur eorum calicem fuisse etiam similem: & quia ex calice sumenda est uniuscujusque mensura magnitudinis, sequitur Apostolorum magnitudinem omnem ex unis afflictionibus esse sumendam. Unica mihi probatio est præter Christi responsionem quæ id manifestè asserit, quia

quia quidquid in duobus illis fratribus fuit eximium, illud omne ad tolerantiam pertinuit. Certè si omnia persequi vellem nimius essem, itaque tria tantum placet afferre in duobus illis Apostolis eximia.

I. Est insignis eorum vocatio & obedientia, atque rerum omnium contemptus, quæ singulariter commendantur ab Evangelistâ. Nota circumstantias: Vocati sunt præsente Patre, eoque satis divite. Nam ut ait Marcus cap. 1. *Et relicto Patre suo Zebedæo in navi cum mercenarijs, secuti sunt eum*: S. Hieronymus nobiles putavit & cæteris piscatoribus locupletiores ut qui servos haberent, & mercenarios: Ita verò nudi nudum secuti sunt, ut omnem rerum humanarum curam abjicerent. Quòd verò hæc omnium rerum derelictio maxima sit, ac convenientissima ad martyriū ac mortem ob Christum subeundam atque ad adeunda omnia pericula dispositio, discimus ex Lucæ Evangelio cap. 22. ac, simul, loco omnium difficillimo lucē damus. Dominus itaque cùm mors instaret, velletque discipulos exemplo suo ad martyrium præparare, admonuit eos de instituto Apostolico à principio susceptо, ac benè servato, nihil proprium habendi; quia nihil sit quod magis à sollicitudine hujus sæculi & vitæ humanæ liberet, & magis expeditos & paratos ad moriendum pro Christo & fide ejus reddat, quàm nihil proprium possidere. Ait ergò Dominus in extremis vitæ, tanquam de re gravissimâ & maximi momenti admonens discipulos: *quãdo misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid defuit vobis aliquid? at illi dixerunt, nihil*: difficile est quod addit: *Et nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram*. Hîc duo videntur difficilia, & quid velit, & quod sequentia prioribus non videantur cohærere, immò contrarium videtur instituto relinquendi omnia. hîc enim non solum non jubet ire sine sacculo, ut Apostoli missi fuerant, sed qui habet sacculum, permittit ei ut habeat etiam peram: sed quæ sequuntur verba obscuriora sunt: *Et qui non habet vendat tunicam suam, & emat gladium*, &c. *at illi dixerunt, Domine ecce duo gladij hic, at ille dixit eis satis est*: quò enim hæc omnia pertinent, quidve CHRISTVS intendebat? Mirum est quàm variæ à Patribus & ab Interpretibus afferantur explicationes: sed nulla nil magis explicat quam illud, summam esse hujus loci difficultatem. Omnium uti existimo acutissimè & eruditissimè Photius Patriarcha Constantinopolitanus hunc locum explicavit in responsis ad quæst. 300. Amphilochii Metropolitæ Cyzici: postquam enim varias antiquorum attulit sententias, subdit gratias agendas esse S. Patribus à quibus, qui posteà secuti sunt, acceperunt semina, & primitias ἀκεραιοτέρων σπιλύσεων id est limatiorum solutionum: approbans igitur (ait) constantiam discipulorum ad summam virtutem, Martyrii scilicet, eos revocat. Nunc, inquit, cùm mea passio instat, & bellum contra vos paratur, qui sermonem meum de relinquendis scilicet omnibus, & me sequendo, non servaverunt, eos sequetur cum sacculo cura etiam de perâ acquirendâ: Et hoc significant: *Et nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram*: Qui verò laboraverunt, & studuerunt ut servarent, hi imponent finem & consummationem certamini prius susceptо: Eos contra qui ab hac perfectione nihil possidē di lapsi sunt, sollicitudo & cura de multis rebus excipiet, quibus cum sacculo, pera, & quidquid vitæ commoditas imperat, non deficient: Idcirco, inquit, Pulchrum fundamentum futurorum certaminum jeciſtis in paupertate. Quare reliquum est, ut magis nunc quàm priùs parati & prompti sitis ad mortem pro me subeundam: jam enim & ego mortem pro mundo subeo: Id enim ea verba significant: *Dico enim*

vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: & cum iniquis deputatus est: etenim ea quæ sunt de me finem habent; ubi genus mortis & supplicium designat: Benè autem fecistis, qui omnia vitæ hujus reliquistis, ita ut nihil possit vos retrahere. quo minùs læti, ad id quod caput est omnium, id est ad mortem pro me appetendam veniatis: illud itaque sanè sequitur ut præsto, & prompti sitis ad dandum extremum amictum, & vitam pro me cum morte commutãdam: hoc enim probabilissimè significat illud, *Vendere tunicam, & emere gladium*: quod perinde est quasi diceret: Nec ultimo amictui parcet, qui perfectionem nihil possidendi consummaverit, imò dabit locum promptè emendo gladio: Itaque prænuntiat futurum esse, ut custodia illius instituti de nihil habendo, hoc ultimum & ingens officium virtutis præclaræ vobis repræsentet. Suadebit enim mortem pro me libenter adire, ab omni prætereà sollicitudine rerum humanarum liberos esse, ad nullamq; curam rerum ad corpus pertinentium converti, omniaque ad cultum meum referre: Quod autem nihil aliud in ænigmate duo gladii significarent quam mortem Domini, & discipulorum, ex eo licet intelligere, quod cùm respondérent discipuli: *Ecce duo gladij hic*, nihil amplius ab eis requisivit Dominus, sicut requisiverat in habente sacculum, ut tolleret similiter & peram: & in vendẽte tunicam ut emeret gladium, sed satis (inquit) est, scilicet ad significandum in symbolis quod voluit, nempe ad passionem Domini designandam unus gladius, & ad discipulorum mortem ostendendam, alter gladius. Hactenus Photius εὐσοχασώτατος interpres Sacræ Scripturæ qui scopum propiùs attingat inter omnes Interpretes: ex quâ doctrinâ discimus præludium, atq; dispositionem ad martyrium esse bonorum derelictionem.

Reflexio. Quàm longè sumus ab hac perfectione qui rebus humanis ita adhærescimus: Si enim opes, vel opum partem non potes Christi amore relinquere, quomodò vitam relinqueres? si opes non potes profundere, quomodò sanguinem? In illa urgente necessitate persecutionis, & obsidionis, monet Christus, *ut qui in tecto est non descendat tollere tunicam suam, & qui in agro est non revertatur in domum quærere pallium suum*: Itaq; *væ*, dicit, *nutrientibus & prægnantibus in illis diebus*, quia scilicet rerum humanarum cura in tanto rerum discrimine diutiùs detinet, ac suos amatores prodit: Nonne vides eum cui nihil est in rebus humanis, quàm audaciter adeat maxima pericula? Nihil habet perdendum (ajunt) præter corpus suum: ita in rebus spiritalibus contingit, atque in scholâ Christi: Hinc factum ut Christus ab eo consilio legem perfectionis inchoarit. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. O quàm felix fuit parvulus Joseph, qui nec globulis astrinxerat nec fibula erat togam adeò ut valentibus illum eâ distinere, illicò ipsam dimiserit. Adolescens ille in Evangelio non habuit animum sequendi Salvatoris, neque se perfectum præstandi: causam Evangelium subjicit. *Qui cum audisset verbum, abiit tristis, erat enim habens multas possessiones*: Id quotidie in multis occasionibus experimur in quibus rerum terrenarum possessio impedit à perfectione, immò etiam à salute. Certè quod habuerunt Apostoli, erat exiguum, illud tamen neque illis manere voluit CHRISTVS, quia unus rei etiam minimæ cura in aliam facile nos injicit. Nam *qui habet sacculum, tollat, similiter & peram, & qui non habet vendat tunicam suam, & emat gladium*. Ex dictis apparet quod diximus duorum de quibus loquimur Apostolorum vocationem, & obedientiam pertinuisse ad laborum tolerantiam, nempe ad martyrium,

ad

ad quod disposuerunt se rerum omnium amissione.

II. quod in duobus illis *Apostolis* fuit eximium est eorum electio in Apostolatum, quę res tanta est ut in rebus humanis nil majus fingi aut cogitari possit: est enim dignitas omnium maxima quæ est in Ecclesiâ teste *Apostolo* Paulo 1. Cor. 12. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores*: Et rectè omnino Chrys. homil. 1. in Epistol. ad Rom. Apostoli munus, ait, res bonis infinitis exundans, gratiis omnibus majus, ac dona omnia complectens: quid enim ampliùs dixerimus, quàm id, videlicet CHRISTVM hoc ipsum illis commisisse, quod ipse si nobiscum versaretur fecisset, ac si demum à nobis abiisse, id quod Paulus exclamans, Apostolorumque dignitatem extollens, ait, *pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos*, hoc est Christi vice.

Porrò dixi duo. 1. Electionem. 2. in Apostolatum. In electione illud est eximium, neminem id mereri potuisse: Item neminem per se suisque viribus in tantum gradum conscendere potuisse, sed vocari debuisse, unde Christus sæpè eis dicebat. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: Id autem optimè explicatur â Marco c. 3. *Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse & venerunt ad eum: & fecit ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare, & dedit illis potestatem curandi infirmos, & ejiciendi dæmonia*: Tùm eorum nomina subjicit. Deinde cùm tantum duodecim ex omni hominum numero electi sint, magnum omninò fuit illo numero censeri.

2. Dixi in Apostolatum: quod nomen ut ait fusè Chrysostomus homil. 50. de Diversis, nudum non est, sed est magistratus appellatio & maximi magistratus, & magistratus maximè spiritualis, & magistratus cœlestis. Id latè ibidem prosequitur: ostendit enim ut in rebus sæcularibus varii sunt magistratus, alii majores, alii minores, quos enumerat, sed summus omnium, Consulatus: Ita in spiritualibus varios esse, (Alii enim sunt Evangelistæ, alii Prophetæ, alii Doctores, alii pastores, &c.) Verùm omnium maximum esse Apostolatum, quod probat ex eo loco Pauli supra laudato 1. Corinth 12. Neque vero, ait, tantum principatus est cæterarum dignitatum, sed radix & fundamentum. Vt enim caput in corpore non tantùm habet principatum, sed etiam radix est ob nervos, quorum continet capita & initia; Ita hoc donum non tantum aliis eminet donis, sed eorum omnium radices in se comprehendit, ut qui illud habet reliquis quoque sit ornatus: quod in Paulo ostendit, in quo fuisse Prophetiam, genera linguarum, gratiam curationum, &c. ex ipsius testimonio demonstrat, sic demum inferendo: meritò igitur spiritualem Consulatum appellaremus Apostolatum, sunt enim à Deo designati Magistratus Apostoli, quibus non gentes, urbesque variæ tribuuntur, sed quorum omnium fidei simul, totus orbis terrarum committitur: Porrò illi Magistratus spirituales sunt, ut intelligatis tantò meliores sæcularibus esse, quantò ipsi Magistratus sæculares pueris ludentibus antecellunt.

Sed hæc tanta dignitas quo pertinuit nisi ad uberem passionum, atque afflictionum segetem? hoc illis Christus significavit cùm diceret. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: allusio est ad nomen, & officium Apostoli. Vide autem distinctius quomodo miserit. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*: Rem disce ab eventu, quem Apostolus describit 1. Corinth. 4. *Puto enim quod DEVS nos Apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus: Nos stulti propter CHRISTVM, vos autem prudentes in Christo, nos infirmi, vos autem*

fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles: usque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus, tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc: Itaque in hac voce (Apostolus) tanquam in compendio collige eas omnes persecutiones quibus duo illi discipuli jactati sunt: tanti enim constat ea dignitas, atque de singulis dici potest quod dictum de Paulo. *Ostendam enim illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

III. In duobus illis Apostolis egregium est eorum Martyrium neutri enim defuit; nam licet Joannes martyrii consummatione non obierit, Martyrium tamen Romæ passus est: atque in insula Patmos exul quid non est passus? itaque sic scribit Apocal. cap. 1. *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientiâ, in Christo Iesu, fui in insulâ quæ appellatur Patmos propter verbum Dei & testimonium Iesu.* Jacobus autem primus omnium inter Apostolos Martyrio vitam finivit. Referunt veteres Hebræi cùm transeundum fuit mare rubrum, Israëlitas restitisse ad ripam, nec ausos aquarum profundum ingredi; qui primus ausus est, ducem fuisse è tribu Iuda, itaque ei regnum traditum fuisse. Ita quoniam Iacobus primus ausus est ingredi mare rubrum sanguinis, propterea aliquâ ratione primatum aliquem habuit inter Apostolos, & Matris omniũ Ecclesiarum fuit Episcopus: quia *de Sion exibit lex, & verbũ Domini de Ierusalem.* Dixerat Apostolis Christus. *Eritis mihi testes in omni Iudæâ & Samariâ & usque ad ultimum terræ*: Id fecit Iacobus, ac verus fuit testis & Martyr omnium primus, quoniam primus omnium sanguinem fudit. Sanctus quidem Stephanus primus obiit, sed in tumultu nõ latâ sententiâ, nõ mortis electione: sed Iacobus hoc habuit ut omniũ primus post Christum latâ sententiâ moreretur. Illud vero in ambobus quantum sit, quis sufficienter æstimare & explicare possit? Rogaverat & ambierat Mater ut ambo sederent filii, unus ad dextetam, alter ad sinistram: pro throno calicem utrique propinandum dedit Christus, & pro dexterâ majori dedit ut primus omnium moreretur. Nullus thronus sublimior throno Crucis: Christo in eo sedenti assidet omnium primus Iacobus dùm primus omnium mortem appetiit. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? dicunt ei, possumus.* Verè potuerunt, & biberunt, & sederunt, sed in throno gloriæ crucis. Verum itaque quod diximus horum duorum Apostolorum magnitudinem peti ex afflictione, & ex calice passionis.

Dico igitur 4. Quoniam omnis magnitudinis proportio, atque æstimatio fundatur in vero magnitudinis principio, nempe in Christo; sequitur omnem nostram magnitudinem ex eâdem mensurâ peti debere. Quod enim est primum in unoquoque genere, illud est mensura cæterorum: quia igitur in Christo licet innumeri extiterint magnitudinis ejus fontes, aliunde tamen eam non acceperit nisi à Cruce, juxta illud, *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Et illud: *Nisi granum frumenti*, &c. Et illud, *Et ego si exaltatus fuero*, &c. Et illud Apostoli: *Humiliavit semetipsum*, &c. *Propter quod exaltavit illum*, &c. Propterea nemo aliunde magnus esse potest quàm ab afflictione & cruce. Vnde in universum pronuntio, quantùm quisque affligitur, tantùm inde magnum esse: si parùm, parùm esse: si nihil, nullum: si multùm, magnum: si maxime maximum.

Probatur 10. ex ordinatione Divinâ, cujus est rerum omnium leges atque jura præscribere: ejus autem ordinationis præcipuum

excm-

exemplum est in Christo Domino, cui nihil accessit magnitudinis nisi à Cruce, & passione Quæ lex eâdem ratione Sanctos omnes devinxit: quò enim quisque major fuit, eò pluribus persecutionibus est agitatus. Itaque Judith, cap. 8. *Memores esse debent quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est: sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo per multas tribulationes transierunt fideles* De quibusdam sic Paulus Hebr. 11. *Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alij vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.*

2. Probatur ex verâ ratione virtutis quæ nunquam summa est & heroïca, nisi probata per multas tribulationes, & magnis laboribus exercitata. Hanc ob rem semper in Ecclesiâ tanti habiti sunt Martyres, ut nil in eorum vitam inquisitum sit: Sat enim constat de eorum sanctitate, & magnitudine si magna passi sunt, si vitam profuderunt, & sanguinem: Illis unis Templa dedicata, altaria consecrata, illis potissimùm honores decreti.

Hinc æstima quanta res sit tribulatio, quâ nihil in rebus humanis majus, nihil melius fingi potest. Unde Apostolus Rom. 5. *Non solùm autem sed & gloriamur in tribulationibus*: Cùm dicit non solùm, plurimas ostendit esse utilitates tribulationis, quasi diceret, præter cætera commoda quæ percipimus ex tribulatione.

1. Quod major sit securitas in adversis quam in prosperis, nam nil fallacius est prosperitate.

2. Quod vix ullus in prosperitate salvetur, vix ullus in adversitate damnetur.

3. Quod nulla sit certior, ac facilior satisfactio quam tribulatio.

4. Quod nullæ virtutes probatæ ac exquisitæ nisi in tolerantiâ laborum.

5. Quod ex nullâ re majus colligatur meritum quàm ex tolerantiâ, secundùm illud: *momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: præter hæc omnia commoda, *Non solum autem sed & gloriamur in tribulationibus nostris.*

1. Enim quàm illud glorioſum post Christum ire, secundùm illud. *Calicem meum bibetis*: Ille enim prior bibit, & plus bibit: quare nec molesta jam potio, nec ullius dedecoris: quis enim libenter non sequatur?

2. Hoc tantùm referre illi possumus æquale: nam corpus habemus quo pati possit, & mori, & sanguinem quem fuso ipsius sanguini refundere possimus, His quippe tantùm duobus cùm illo certare possumus, amore & passione: amavit nosac prior dilexit & ego amare possum, & diligere: pro me pati voluit & mori, pro illo pati possum & mori: in cæteris omnibus minor & impar. An non illud magnum & glorioſum, in quo Deo ipsi certare possis, ac illum æquare?

Denique quàm illud glorioſum, securum esse de beatitudine cœlesti? secundùm illud *Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Itaque Apostolus hæc duo connectit Roman. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur, pati-*

enti-

entia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit, Ex hoc diſcurſu.

I. Concluſio. Si omnes Chriſti diſcipuli, Apoſtoli, & Martyres; Si omnes Sancti, B. Virgo, & ipſe Chriſtus non niſi epoto calice regnum cælorum ingreſſi ſunt, quis ego ſum, qui per delitias ingredi volo? Id enim verbis illis ſignificatur, *Non eſt meum dare vobis*, quaſi diceret determinatam eſſe viam ingrediendi in cœlum. Quia ſcilicet non datur indoli, nobilitati, generi, ſtripi, favori, uti apūd Iudæos filij Abrahæ electi erant; & domus Aaron electa & vocata ad Sacerdotium: ſed *à diebus Ioannis B. regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, id eſt illis datur, qui majori violentiâ utuntur. Itaque magnitudo gloriæ non datur dignitati, nec gratijs datis: nec duobus Apoſtolis datum ſedere ad dextram aut ſiniſtram in regno Chriſti ob conſanguinitatem: quia *non eſt meum dare vobis*: nec quoniam Apoſtoli: etenim Iudas eo loco dignitatis cecidit: ſed quoniam multa paſſi ſunt: ſiquidem uti Paulus dicebat Actor. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Collige 2, Quidquid tandem ſit, ac quidquid velis, id ſemper eſſe neceſſarium, ut in omni conditione patiaris. Etenim unicuique ſuus calix à Deo deſtinatus eſt. Vnus quippe eſt pœnæ, quē bibent omnes peccatores terræ, alter eſt probationis, de quo dixit Chriſtus *poteſtis bibere calicem meum.* Sed noñe melius eſt bibere calicem Domini, quam calicem iræ ac furoris? *Calicem meum bibetis.* Memento triplicem fuiſſe in Calvariæ monte erectam crucem: Vna fuit pœnitentis latronis; altera impœnitentis; tertia Chriſti victoris. Prima ſalutaris; altera ignominioſa; tertia glorioſiſſima. Tu cùm habeas innumeras patiendi cauſas, cur non potiùs amas crucem Domini perferre non vales, quomodo calicē iræ ac furoris ferre valebis quem peccatores in inferno bibere compellentur, de quo Scriptura loquitur *Ignis, grando, nix, glacies ſpiritus procellarum, pars calicis eorum*? Quàm illud ſuavius ut dicas cum Davide, *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Non tantum quia non ad hoſtium libitum, ſuorum vitam exponit, ait enim *capillus de capite veſtro non peribit*, ſed quia magni æſtimat: nam ſi eorum vitâ dignus non eſt mundus, multò minus pretioſâ eorum morte, quæ ſic obita omni vitâ melior eſt, & quam ſemper & beata & melior, & æterna vita ſequi ſolet; quam det nobis amabilis Eccleſiæ Sponſus Jeſus Chriſtus. Amen.

***

FERIA QVINTA
DOMINICÆ SECUNDÆ
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO PRIMA

De Scandalo apparente circa Evangelium de Divite & Paupere.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.
Lucæ 16.

NIHIL eſt quod naturaliter noſcamus de Deo melius, Providentiâ: Nihil etiam quod nobis difficilius ſit in illo comprehendere eâdem illa perfectione. Quæ cauſa eſt ut quemadmodùm plerîq; agnovetunt Divinitatem per illuſtria ipſius ſapientiæ opera, ita complures cùm eam cognoſcere non poſſint in aliquâ gubernationis ipſius parte, impudenter ipſius Eſſe negaverint: quod Eſſe idcirco divinus Dionyſius ſolet appellare κρυφιότητα occultationem, hoc eſt obſcuritatem tenebras, ignorationem. Quod quidem nomen ipſum eſt quod Ægyptij tribuerunt præcipuo Deo ſuo, quià Græcis Latiniſque nominatus eſt Ammon, id eſt, occultus ſeu occultatio. Verùm ex graviſſimis ſcandalis, quæ fidem & confeſſionem divinæ Providentiæ appetierint, unum fuit partitio tam inæqualis, quam videmus in bonis divitiisſque inter homines: quorum alii videntur eſſe nati ut ſint felices, alii verò deſtinati miſeriæ, & ad pauperiem damnati. Ecce cauſas illius ſcandali quæ omnium animos perculerunt.

1. Quia vel aliqua habetur ratio meritorum, vel nulla: ſi habetur aliqua, quanta eſt injuſtitia, cùm ditiſſimi ferè ſint iniquiſſimi, ſecundùm illud S. Hieronymi; omnis dives, aut iniquus, aut iniqui hæres; juſti autem

omnibus egeant. Itaque verè Christus Dominus, divitias appellavit iniquum mammona, & mammona iniquitatis, ob inæqualem ipsarum distributionem. Quòd si nulla habetur ratio demeritorum, aut meritorum; quæ tandem justitia est in eâ partitione, cùm ea distributio pertinere videatur ad justitiam distributivam, quæ rationem habet meritorũ? n ãsi justitia nõ distribuit, igitur temeritas.

2. Vel divitiæ bonæ sunt vel malæ: si bonæ sunt, cur etiam malis dãtur, & bonis negãtur? si autẽ malæ, cur etiã aliquibus bonis conceduntur ut Abrahamo, Jobo, Davidi? &c.

3. Cùm Providentia Deum, Patrem constituat, quis Pater familias, si æquus est, uni è filiis omnia largiatur, nil autẽ aliis relinquat, ut fieri vulgò in mundo videmus? Etenim omnia simul bona in quorundam domos confluunt, ab aliorum verò domibus prorsus exulant. Quidam rebus omnibus ad profusionem abundant, alii verò rebus omnibus egent ad summam necessitatem? Quis unquam Parens erga liberos ita se gessit, si sapuit? Mitto dicere, hîc parùm videri elucere Dei sapientiam, bonitatem & justitiam, Sapientiam quidem in eâ gubernatione bonitatem in suorum neglectu, justitiam in rectâ compensatione, vel bonorum distributione.

4. Si Sapiens Eccli. 9. dixit, *hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt: sicut bonus, sic & peccator: sicut perjurus, ita & ille qui bonum dejerat*: multo pejus est, quod mala bonis accidant, malis verò eveniant bona, unde sumunt occasionem in malo perseverandi. Inde autem & boni & mali sollicitantur. Quis enim bonus esse velit, ut miser sit? Quis nolit esse malus, ut infœlix non sit? *sed & hoc vanissimum judico*, ait Ecclesiastes cap. 8. quod indignum, & injustum Sanctus Bonaventura interpretatur: Symmachus autem apud S. Hieronymum, cognitu difficillimum: nam si aliqua ratio est, obscurissima est.

Ac ne putes eam cogitationem homines de plebe, aut ignavos tantùm commovisse, justissimos quosque ita perculit, ut eâ de re sine commotione nunquam loquantur. Iob quem cæteri casus affligere non potuerunt, ista cogitatio vehementissimè turbavit; sic enim loquitur cap. 21. *Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, & concutit carnem meam tremor: Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? semen eorum permanet coram eis*, &c. Quàm in multis vitæ casibus David exercitatus ab adolescentiâ suâ? Sed vide quid de eâ re sentiat Psalm. 72. *Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei*: titubationem significat, aut præ admiratione tam gravem tentationem, ut parum abfuerit ut à vero & recto exorbit ret: *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*: etiam se tactum invidiâ fatetur, uti exponit Theodoretus: *Quia non est respectus mortis eorum, & firmamentum in plaga eorum: In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Ieremias cap. 12. *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum, verumtamen justa loquar ad te*: hoc est, non ineptam, nec sine ratione querelam proponam: *Quare via impiorum prosperatur? Bene est omnibus qui prævaricantur, & iniquè agunt: Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt: & faciunt fructum: prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum*: id est, à conscientiâ, quia scilicet tantùm in speciem Deo serviunt, non autem syncero affectu. Et Abacuc. cap. 1. *Quare non respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se?* & multa alia in hunc sensum.

Sed rem totam ad summum, quò pervenire potest deducamus: Et in una quasi tabula intuere, hinc primo summum humanæ fœlicitatis

tatis apicem; inde verò summam infœlicitatem: 2. hinc summam improbitatem; inde verò summam sanctitatem: uno verbo, primam hodierni Evangelii partem hîc propono: hoc est, hinc Divitem Epulonem, inde Pauperem Lazarum, uno eodemque tempore, imò eodem in loco, & prope eâdem in domo: quoniam uti dicitur in Evangelio, Mendicus Lazarus ad Divitis januam jacebat egens.

Incipiamus à Divite, ut hac etiam parte Lazaro sit superior, & ita fert usus hominum, ut divites pauperem semper antecedant.

Primum itaq; dicamus de divitis statu, qui fuit, qualem vulgo homines beatissimum existimant, quique ab omnibus desideratur, in quem nimirum bona omnia confluxissent.

1. Igitur, non illi defuerunt opes, non divitiæ, ac rerum omnium abundantia, hoc enim significat vox illa *dives*: possessiones habebat, & fundos, habitabat in palatio, magnam vim argenti, atque auri copiam habebat, frumentum in horreis, vina in cellario: copiosam familiam, numerosa servitia, supellectilem pretiosam, vasa cujuscunque generis, gemmas, uniones, census, equos, currus, armenta, greges, canes, aves, & similia: quibus ostenditur opum magnitudo: & consequenter aderant illi quæ opes sequũtur, honor, aulici, assentatores, authoritas: nemo palàm inimicus, nemo obtrectator, nemo adversarius.

2. Nec solùm dives, sed & magnificus, unde in eo omnia splendida, præsertim in cultu corporis, & mensâ. Etenim *induebatur purpura & bysso*: id est, erat cultu regio, mensa autem, perpetuum convivium, & talis erat in rebus cæteris. Quod verò infrequens est, & rarissimum, etiamsi tanta esset opum profusio, nulla tamen diminutio; ita enim DEUS ejus bona cumulabat, ut semper abundaret: unde post tantum luxum, mortuus tamen est dives, ita ut ne morte quidem divitis nomen amiserit.

3. Abundavit voluptatibus, byssо enim induebatur, *& epulabatur quotidie splendidè*; epulis autem omnia conjuncta, musica, ludi, scenæ, theatra, choreæ, luxuria, & alia similia.

4. Valetudo illi integra: cui in tanto luxu inedia quidem unius diei necessaria fuit, cùm tamen epularetur splendidè.

5. *A*ffinitates ei amplæ: nam quinque fratres habebat, in unâ domo, eâque paternâ, ut discas magnam extitisse inter eos concordiam, ne hac saltem ratione ejus voluptas & securitas turbaretur, quæ omnia ad beatam vitam conferunt.

6. Ex Chrysost. Concione 1. de Lazaro. Nihil adversi sensit in vitâ, hinc patet, quia *epulabatur quotidie splendidè*.

7. Vitâ usus est longâ, atque diuturnâ, nam ut ait textus, priùs obiit mendicus, seriùs autem dives, quod his verbis insinuatur, *factum est autem ut moreretur mendicus: mortuus autem est & dives*: Vide sermonis tarditatem, & hinc colligeseram fuisse & dilatam mortem.

8. Non defuit honor funeris, & sepulchri, illi, qui tot fratres habuit, tot delitiarum comites, & qui tam opimum patrimonium reliquit: unde ait Chrysologus serm. 121. In obsequium divitis migrat tota civitas cùm funus effertur.

Hîc habes scenam hominis divitis: vide num egregiè hominis beati personam gesserit. Quid tibi de hac vitâ videtur? Num tu illam optares? Nùm illa vulgò magni fit ab hominibus?

Sed à domo divitis exeamus. At sistе in vestibulo, ac vide ipsum Miseriæ vultum, formam ac veritatem, hominem longè miserrimum, in quem mala omnia cõfluxisse videntur; adeò ut S. Chrysost. dixerit, neminem

prioribus sæculis extitisse, qui tot tantaque mala sit passus; unde ait à Christo propositum nobis fuisse in exemplum.

1. Itaque malorum omnium importunissimum sustinuit, summam scilicet paupertatem, & quæ ex eâ sequuntur: sed qualem paupertatem? omnium maximam. Non domum habuit, non tectum, non casam, sed ne pavimentum quidem suum, ac solum; quippe qui in divitis vestibulo jaceret, in quod non tam deductus, quàm projectus erat. De Asellâ dixit Hieronymus epist. 15. ad Marcellam: Idem terræ solum & orationis locus extitit, & quietis. Sed quanta hujus paupertas fuit, qui ne quidem terram habuit communem, & in solo alieno, eundem locum totius vitæ habuit? Ibi autem non coopertus vulneribus; cæterùm rerum omnium egentissimus, usque eò ut summas delitias putaret, si posset *saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis*: sed *nemo illi dabat*: Quanta egestas, ut de micis cuperet saturari, nec tamen posset, cùm nemo daret? Rectè advertit Chrysostomus ægros, cibos omnes etiam delicatos aspernari solere: vide quanta in isto fames fuerit, ut de micis saturari cuperet. Iterum quanta fames, ut præ illâ, ne sua quidem vulnera sentiret.

2. Afflictissimâ erat valetudine, & doloribus confectus. 1. enim jacebat; quia cùm esset inediâ confectus, pedibus stare non poterat: itaque jacere cogebatur. 2. ulceribus plenus, nempe exhausto, & enecto fame corpore: ad hæc toto corpore deformatus ulceribus, hoc est plagis saniem fluentibus, unde canes lingebant: diceres cadaver esse, nisi spiraret: nisi esset super terram, non sub terrâ. Cogita itaque aridum caput, & ulcere incrustatum, defossos introrsum oculos, genas depressas, os contractum, extincta labia, attenuata brachia, tibias graciles, compressa latera, extantes costas ac lucidas, ventris locum pro ventre, vulnera vulneribus superaddita, diductas & hiantes plagas, aperta ulcera sanie, & tabo diffluentia: denique vel unum corporis vulnus, potiùs quàm corpus, vel corporis umbram, atque effigiem: vox erat debilis, lentus pulmo, vix ullus in corde motus, & tanta membrorum debilitas, ut cùm venientes ad se canes videret, nec eos voce terrere, ullo corporis motu abigere posset. Vides itaque in eodem homine summam paupertatem, & summam ægritudinem. Quòd si utrumque malum separatum, per se se unumquodque intolerabile est, cùm simul glomerata fuerint, nonne adamantem convellere possent? Quid mortem ejus memorem? Qui in tantis miseriis diu vivere non potuit, vixit tamen satis ut suas miserias sentire posset, ac sæpiùs moreretur. Nulla sepulturæ ipsius fit mentio, nam ne ditior esset mortuus quàm vivus, ne terrâ quidem tectus est, ne admitteret nuditatem. Itaque non delatus ad funus, sed projectus ad sterquilinium: nam exsuccum corpus non potuit tetrum odorem emittere, sed nova sterquilinii pars factus est. Certè Sapiens Ecclesiastis 6. ait qui nec bonis sit fruitus, & sepulturâ caruerit, *De hoc ego pronuntio quòd melior sit illo abortivus. Frustrà enim venit, & pergit ad tenebras, & oblivione delebitur nomen ejus.* Enimverò nullâ re memorabilis fuit quàm miseriâ: eique una paupertas titulos omnes fecit. De Gorgoniæ sororis suæ paupertate dixit Nazianzenus, μηδὲν ἀφῆκε τῇ γῇ πλὴν τοῦ σώματος, nihil terræ reliquit præter corpus: Sed hic neque corpus integrum potuit relinquere.

Verùm quoniam facilè intelligo me orationis penicillo hanc tam lugubrem pietatis aut miseriæ imaginem, suis non posse coloribus depingere: Age alterius manum implorem, hoc est Chrysostomi, qui dum varias

calami

calamitatis hominis hujus circumstantias persequitur, facile persuadet, non solâ paupertate atque ægritudine mala ejus omnia contineri.

1. Itaque ab omnibus destitutus ac derelictus erat, & in tantâ hominum turbâ mira erat pro ipso solitudo: Nam nec se agere poterat, nec à domesticis ferri. Sed qui ejusmodi sunt, ab his qui vident, & misericordiâ tanguntur, ferri possunt in publicum: hic verò ab omnibus desertus ac destitutus, in vestibulo divitis jacebat.

In quo 2. reperio magnum supplicium, nam si in terrâ desertâ, nulliisque habitâ jacens, hæc passus fuisset, nelectusque jacuisset, non tantùm doloris sustinuisset. Cùm enim nullus adest, etiam nolenti persuadetur, ut ferat quæ accidunt: sed quid aliquis in tantâ hominum frequentiâ ebrietati indulgentium, & suaviter viventium jaceat, & ab iis negligatur, id verò maximè affligit.

3. Nullus erat qui dictis consolaretur, nullus qui factis offerret solatium, non amicus, non vicinus, non cognatus, nullus videntium adeò erat tota divitis familia deliciis corrupta.

4. Alterum in fœlicitate videbat, unde affligebatur, non quod invidus esset & pravus, sed quòd omnes soleant in aliorum prosperitate, exactiùs suas sentire calamitates. In divite verò erat aliquid, quod graviùs afficiebat. Non enim tantum conferens suam calamitatem cum divitis fœlicitâte angebatur: verùm perpendens quòd ille vitam ducens crudelem, & inhumanam in omnibus prosperaretur, ipse verò virtutem & modestiam colens extrema pateretur. Nam si ille dives justus fuisset, modestus, suspiciendus; tolerabile fuisset: sed omnia videbat contraria: Cogita quid sentiret, cùm intueretur adulatores, parasitos ascendêtes, descêdêtes, ingredientes, egrediêtes, saltantes, ridentes, comedêtes, omne genº lasciviæ edentes. Si enim quasi propter hoc venisset, ut esset alienorum bonorum testis, ita in vestibulo projectus erat: solummodò tantùm vitæ habens, ut sua mala posset sentire in portu faciens naufragium, juxta fontem molestissimâ siti discruciatus, prope epulas fame enecatus.

5. Non poterat alium videre Lazarum, quia nullus præcesserat; nos autem illum spectantes consolamur: Nam malorum nostrorũ reperire consortes sive in factis, sive in dictis lugentes consolatur.

6. Nihil potuit de resurrectione philosophari, sed hujus sæculi res hîc finem habere putabat: nondum enim advenerat tempus ejusmodi dogmatum: quanquam nil magis nos in nostris malis consolatur, quàm hæc fides. Quòd si nos post hæc audita & credita, adeò dejectis animis sumus, quid tandem putandum est illi accidisse, etiam hac destituta anchorâ? quanti tristitiæ fluctus?

Hinc ipsius fama apud hõmines traducebatur. Solet enim vulgus quos maximè videt afflictos malisque extremis affectos, non bonam de ipsis opinionem habere, sed ex ipsâ calamitate vitam eorum æstimare, & judicare illos affligi ob malitiam: unde ita loquebatur, Hic si Deo charus esset, nequaquam ipsum in ejusmodi malis esse Deus pateretur. Exemplũ Iobi proponit idé Pater, & Pauli, de quibº hæc opinio habita: sic enim Barbari de Paulo: Hunc à mari servatum ultio non passa est vivere: attamen cùm fluctus essent tam multi, vicissimq; alij superalios, illum impeterent, non propterea demersum est navigiũ.

Hactenùs singulos vidisti separatim, nunc jam compone unius bona cum malis alterius. Ille dives, hic mendicus: Ille vestitus purpurâ & byssо, hic ne vestitus quidem, nisi sanie, & ulceribus: Ille quotidie epulabatur, hic ne micas quidem capere poterat: Ille splendi-

dus in omnibus, hic nec necessaria etiam habebat: Ille in palatio, hic nequidem in proprio solo: Ille multis cinctus, hic in summâ hominum frequentiâ solus, nisi quòd à canibus ejus vulnera lingentibus stipabatur: Ille omnia habuit pro voto, hic omnia adversa. Atque ut mirere magnis & rem altius perpendas.

Cogita 1. utrumque ejusdem esse naturæ & conditionis, itaque ambos planè similes in rebus quæ sunt communes: in ortu, in exitu: eædem in utroque fuerunt facultates animi & corporis, ijdem sensus, eædem actiones: idem ingressus in mundum, cum lacrymis, cum egestate, exitus cum dolore: idem saporum, & odorum sensus: idem colorum, & lucis: idem pro utroque sol, eædem anni tempestates, eadem terra, idem mare, eadem sydera: ex eodem uterque luto, ex eodem hominum parente communi:

Cogita 2. utrumque æqualiter ad Deum pertinuisse cùm esset utriusque & pater & dominus, & utriusque curam gereret. Ad hæc uterque ejusdem nationis, ejusdem religionis, utrique spes eadem, lex eadem, commune templum, sacrificium commune: denique uterque ejusdem urbis civis, & ferè in eâdem domo, quia pauper ad januam divitis jacebat, ut ne loco etiam divisi viderentur.

Cogita 3. Non temerè factum, & casu, ut unus esset dives, & alter pauper: item nec divitem talem factum esse, aut rapina, aut suâ industriâ, nam non accusatur injustitiæ, sed immisericordiæ: neque is qui quotidie epulabatur, potuit suâ industria fieri dives: nec etiam pauper factus est talis sua ignavia, sed summa miseria: Itaque ut scias id factum esse à Deo, convincit Abrahami responsio facta diviti, *Recordare fili quia recepisti bona in vita tua*, &c.

His positis judica si potest, unde tanta differentia, unde tantum discrimen, & quòd maximè mireris inter duos tam sibi vicinos, qui penè se contingerent, ut in eodem loco totum tibi propositum esset spectaculum, quasi in eodem theatro ambo se conspiciendos præberent.

Idem potes quotidie cernere in urbibus & agris: Quàm enim multi rebùs omnibus abundant ad luxum, & superfluitatem? 1. nempe quanta domorum magnificentia? videas jam non domos privatas, sed parvæ urbis spatium, ubi aurata sunt omnia, laquearia, columnarum capita, parietes, januæ. S. Hieron. ep. 17. ubi domus, miserorum pœnis & labore vestitæ sunt, ubi instar palatij, opibus privatorum extructæ basilicæ, ut vile corpusculum hominis, pretiosiùs inambulet: & quasi mundo quidquam possit esse ornatius, tecta sua magnis velint aspicere, quàm cœlum: è contra verò vide pauperum tuguria & sordes, &c. 2. Vide famulorum & servorum greges, vestes eorum, & ornatus. 3. vestes. 4. convivia: 5. voluptates omnis generis: 6. magnificentiam & splendorem.

Interim vide in plateis jacentes ægros, in agris rusticos, in carcere debitores: hic omnia possidet, ille nihil: hujus divitiæ multos possent locupletare, ille tot miseriis est oppressus ut ne pluribus adjumentis & auxiliis juvari possit, ne sit miser.

Sed in tabulam nostram oculos reducamus: vidistis sortis & conditionis discrimen in exemplo nobis ab Evangelista proposito; aspice etiam vitæ utriusque differentiam, & ex eâ maioris scandali occasionem deprehende. Etenim divitis vita fuit inquinatissima, cuius rei triplicem habeo probationem: 1. est vitæ ipsius exitus, *sepultus est in inferno*, cruciatus in flammis, & quòd negatailli fuerit, vel aquæ guttula; id est, quòd omnia tuleritsupplicia. Ex pœna igitur gravissima colligo eiusdem

dem crimina: cur enim ita depressus, ut sepultus fuerit in inferno, nisi quia elatus est superbiâ? cur cruciatus in flammis, nisi propter luxuriam, & turpes voluptates, & indumentorum mollitiem? cur lingua arefacta, nisi propter gulam, propter blasphemias? cur coactus stipem emendicare à Lazaro, nisi quia pauperes contempsit? cur non exauditus, nisi quia vocem pauperis non audivit? cur ei negata gutta, nisi quia summè fuerat immisericors? cur sepultus in inferno, nisi quia omnibus membris Deum offenderat? oportuit igitur ut flammis totus vallaretur ut nihil esset immune.

2. Probationem habeo, quòd ante exitum vitæ, ita pauperem fastidiret: res enim satis docet, quòd nullius sit misertus, qui jacentis ad januam suam non sit misertus. Tantùm abest ut pauperes quæsierit in xenodochiis, vel audierit plateis, cum hominem in suo vestibulo jacentem semper despexerit. Movere tamen debuit.

1: Quòd quotidie sæpiùs jacentem videret & afflictum: nam quòd primo die neglexerit, debuit aut altero, aut tertio, certè quarto, aut quinto flecti: Verùm illo judice, qui nec Deum, nec homines verebatur, immitior fuit, & inexorabilior: quanquam non erat similis postulatio mulieris vindictam deposcentis, & Lazari, multo enim & justior & facilior fuit hæc deprecatio.

2. Quòd cùm fame premerertur, nihil tamen diceret, sed silens & jacens, appareret diviti: hoc enim satis erat ad cor saxeum emolliendum, cùm in obtundentes soleamus irasci.

3. Occurrit facies hominis fame & morbo diuturno confecti, in quo est maxima divitis crudelitas: neque enim idem est si egeas, & non invenias, atque si opulentus neges: non idem, si semel, aut iterùm videas, aut si sæpiùs: nec idem si qui calamitate pressus & anxius animi, non opituletur: aliud si magnâ delibutus voluptate occludat viscera, nec vel ab ipsâ lætitiâ reddatur humanior: id enim experimur nos læto rerum successu mitiores ac benigniores effici: necesse igitur est hominum fuisse improbissimum, ac planè ferreum qui sic vixerit.

Tertiam probationem habeo ex Chrysostomo, Quotidie vacabat deliciis sine ullo metu: sicut enim timor Domini bonorum omnium initium est, ita etiam sine metu vivere, summum exitium; quia nulla non modo bona, sed nec bonorum initium: Ad hæc in tantâ prosperitate vivere sine metu periculosissimum est, cùm in potestate nullum est frænum: esse verò quotidie in delitijs, illud certè sceleratissimum: teste Prophetâ Amos cap. 6. secundum Versionem LXX. Interpr. *Va vobis qui venturi estis in diem malum, qui appropinquatis & attingitis sabbatha mendacia.* Quia scilicet eos etiam dies, qui à Deo dantur, ut abducti à rebus temporalibus, cœlestibus vacarent, voluptatibus, ac delitijs impendebant: Ita dives impius, otio, securitate, & quibuscunque à Deo illi datis, ad delitias abutebatur; quâ agendi ratione nihil est pernicioſius, teste Moyse Deuter. 32. *Incrassatus est, dilectus & recalcitravit*: &c. illius intractabilitatem significans:

Sed uti dignam habeas cogitationem improbitatis hominis: Cogita in primis quomodo certarit cum misericordia Dei non pietate, sed impietate: Etenim cùm audis ei dictum *fili recordare, quia recepisti bona in vita tua*: Nemo (ait Chrysol. homil. 66.) putet audiendo ista, quia dives pro bonis receperit bona, quando hinc magis reus est, quod cùm à Deo pro malis receperit bona, bona pro bonis Deo reddere contempsit: Nam de divitiis tantis nec victum dedit pauperi; nec sacrificium Deo minimâ oblatione dependit. Cogita etiã quomodo fuerit divitiis suis indura-

tus.

tus, & ut loquitur S. Chryſolog. ſerm. 121. nõ tam dives, quem divitiarum captivus, ſervus opum, et ipſis cenſibus compeditus, tantùm pompæ immobile ſepulchrum, in quo totus pietatis viſus, & auditus defecerat: non jam perſonam, non pauperem, ſed ipſam miſericordiam deſpicit ad januam ſuam, Lazaro ſic jacente: ut igitur Deus Lazarum præparabat, quo tanquam telo contra ipſius crudelitatem uteretur, ita ipſe ſe ſe vitijs voluptatibus obfirmabat. Sed egregia ſunt verba Chryſologi. Purpurâ, byſſo, delicatis veſtibus, epulis blandis, ferrea viſcera crudelis anima nutriebat, quem Deus humanæ ſalutis avidus inquiſitor, emollire cupiens, non tam Lazarum, quam ipſum pietatis conflatorium, ejus projecit ad januam: conflatorium dixi propter ferrea viſcera.

1. Igitur occaſio & materia ſeu objectum ei datur, & proponitur impiis ejus oculis mẽdicus Lazarus, ingeritur, admovetur.

2. Ut dives dare poſſet, ei Deus auget opes, & quotidie ejus cenſus magis magiſque cumulat. Quid contra dives? quomodò reſiſtit? Sed dives adamante durior: quidquid Deus propter pauperis alimoniam, divitis cõferebat ad cenſum, ille aut effundebat turpiter, aut crudeliter reponebat.

3. Iterum Deus hominem adoritur. Ne itaque pauper taceret, ut clamaret, ut divitem admoneret, & ſe tantùm panem quærere jejuniis oſtenderet, vel ad minima largienda abundantis impelleret animum, augetur pauperi fames: *cupiebat*, inquit, *de micis ſaturari, quæ cadebant de menſa divitis*: Quid dives? at dives variis crapulatus ferculis, indigeriem ſuam ructabat ad cœlum, ne vocem pauperis humi, & taliter jacentis audiret.

4. Quia obduratis auribus, unius oris nihil erat vox clamantes, ad aperiendum cor divitis, Deum totum corpus pauperis vulneribus aperit, ut in admonendo divite, tot eſſent pauperis ora, quot vulnera: ſoluuntur viſcera, ulcera producuntur, hiatus vulnerum dilatatur, ſanies effunditur, & tota pauperis caro componitur in ſçenam pietatis, ut quem vox eſurientis non moverat, vel ſuſpiria, vel dolores, gemitus, & tota ærumnarum congeries, commoveret: ſed dives ſuperbo oculo, & inſatiabili corde, hæc omnia videre & audire contemnit.

5. Quærit etiam Deus quemadmodùm dives à ſuâ obſtinatione ſolvatur: ſolvit pauperi manus à ſuis artubus, uti nec abigeret canes digitis, quos vulneribus ſuis, divitis erat paſturus in vulnus, & novo modo humanitatis ordo mutatur: fit humana mendicitas, ut cupiditas prodatur in humana: dives pauperem nec cadentibus de menſa micis paſcit, & Lazarus pauper, quia aliud non habebat, etiam de carnibus ſuis, canibus humanus extitit, &c. Mitiores canes tui, imò tu ſævior canibus tuis, nam te ſæviente, illi parcunt, qui non ad morſum dentes, ſed linguas ad obſequium ſic producunt, ut in modum ſpongiæ non vexent vulnera, ſed detergant. Sed neque hoc exemplo motus eſt dives: quin canes urgebat ad morſum, cùm eum ipſi miſericordiam docerent.

Hæc de divitis vitâ dicta ſufficiant. Nunc vide in Paupere longè aliam vivendi rationem atque inſtitutum. Porrò illius ſanctitatem.

Colligo 1: ex vitæ ipſius exitu: nam ſublatus eſt ab Angelis, viſus in Abrahæ ſinu, hoc eſt ſummus in gloriâ; ita ſummus: id enim patet ex loco quem in hoc convivio habuit, ipſi Abrahæ accumbens, immò quieſcens in ejus ſinu: ut de eo dici poſſit ſuo modo quod de Joanne recumbente ſuper pectus Jeſu in ſuâ cœnâ, hoc ipſi datum ut Dilecto,

Ex iis quæ paſſus eſt ante mortem, ex immobili ejus patientiâ, ac tolerantiâ, cujus neque gemitus audiuntur in tantis malis, & tantâ rerum deſperatione: Nam ut ait Chryſoſt.

Orat.

Orat. 1. de Lazaro, cùm tanta pateretur, non dicebat apud se quod dicũt complures, Quid tandem est hoc; ille qui improbam crudelemque vitam agit, omnibus rebus fruitur, nec ullam patitur animi molestiam, ego porrò hic jaceo, exemplum iis qui me conspiciunt, probrum, ac ludibrium, & fame contabescens. An hæc sunt providentiæ? An ulla justitia respicit res hominum? Nihil horum dixit, neque cogitavit: unde hoc liquet? ex eo quod Angeli stipatum illum deduxerunt, inque sinum Abrahæ deposuerunt: nam si blasphemus fuisset, nunquam illi tantum honoris contigisset. Quod si virtus heroïca ideò cæteris præcellit, quia difficilis est, cogita eximiæ virtutis hominem, qui rebus omnibus spoliatus tot malis afflictus, cùm eum omnes homines deseruissent, in tanto contemptu, in tot doloribus, religionem servarit, Deum laudarit, modestiam, patientiam retinuerit, neque ullum hominem verbo aut maledicto violarit. Ex his quæ sentimus hanc virtutem æstimemus, & ex iis quæ admiramur in aliis, quæ omnia in hoc homine eximia fuerunt.

Denique ut virtutibus suis divitis vitia aut æquaret, aut vinceret, uti dives, cùm rebus omnibus abundaret, nihil unquam Deo dare voluit, ita pauper cùm omnibus egeret, nihilque haberet præter animam, hanc Deo ipse reddidit. Audi Chrysologum Ser. 66. Dives de tantis divitiis, nec victum dedit pauperi, nec Sacrificium Deo minimâ oblatione dependit: At pauper dives vulnere, censu nudus, nudus corpore, vestitus pœnis, animam quam solam non tenebant vulnera, Deo in hostiam jugiter offerebat.

Ex hactenus dictis hoc discursu, vide an non ex duobus hisce hominibus in Evangelio nostro propositis maximum contra divinam providentiam scandalum oriatur: Nam si uterque bonus fuisset, aut uterque malus, quæreremus cur inæqualiter habiti à Providentia: sed cùm dissimiles fuerint in vita; Lazarus quidem omni virtute præditus, alter autem sceleratus; cur malè habitus est, alter autem tam benè? Vbi justitia, ubi æquitas, ubi providentia? Vbi Deus? Hic sisto Auditores, neque rem tanti momenti uno verbo, expedire placet. In alteram concionem, responsionem differo, sed ne ista sine aliquo fructu nobis elabatur: Ex utriusque moribus adeò diversis.

Collige 1. Divitias magnam esse & ad virtutem & ad salutem impedimentum, adeò ut divitem esse, ferè idem sit, atq; esse sceleratum, atque à salute alienum, secundùm illud Matth. 19. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum: & iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus intrare, quàm divitem intrare in regnum cœlorum*: & Lucæ 18. *Quàm difficile qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt. facilius enim est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Dei*, unde Lucæ 6. *Væ vobis divitibus qui habetis consolationem vestrã*: Vide enim quæ vitia ex divitiis oriantur.

1. Superbia & minorum contemptus. Nam ex August. hom. 13. ex 50. Vermis divitiarum Superbia est, difficile est ut non sit superbus, qui dives est, & serm. 5. de verbis Domini. Nihil est quod sic generent divitiæ, quomodò superbiam: omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum, alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici, vermis divitiarum superbia.

2. Fractus animus, atque in delitijs enervatus: nam *bysso induebatur & epulabatur quotidie splendidè*, unde cætera vitia carnis.

3. Immisericordia: nam vulgò divites sunt minùs misericordes quam tenuiores, qui plura dare solent quàm divites.

4. Cordis duities: ut enim duri sunt ad

pauperes, ita etiam ad Dei vocationem: unde divitiarum cupiditatem ita reprobat Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa, inutilia, & nociva quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Quid autem efficiet possessio, si id facit sola cupiditas? Novi [inquit Chrys. Or. 2. de Laz.] quòd hæc quæ dicuntur molesta sunt, verùm multum lucri, & inenarrabilem fructum afferunt; dives ille si quem habuisset qui ipsi talia monita, taliaque consilia admovisset, ac non potiùs adulatores, omnia ad gratiam consulentes, atque ad delitias trahentes, nequaquam venisset ad illam gehennam, nequaquam supplicia adjisset intolerabilia, nequaquam inconsolabiliter de illis pœnituisset: verùm quoniam omnes ad gratiam loquebantur, tradiderunt illum incendio. Hinc conclude quibus oculis, & quo animi sensu in nobis, & in alijs divitias intueri debeamus. An hinc nobis complacendum? an ex ea causa alijs invidendum? an verò potiùs & illis & nobis timendum, quidquid vulgò insaniant homines, ac imprudenter judicent?

Collige 2. In ipsa paupertate magnum esse ad salutem compendium: docet enim homines philosophari, docet rerum omnium, contemptum & vanitatem, mundi & sæculi odium, mille aufert tentationum occasiones, & maxima quæque peccata impedit: Itaque pauperum mores ferè sunt humiles, mansueti, modesti, patientes, benigni. Unde divites non tam gaudere debent de vitijs, quam in illis timere, quasi in onusto vehantur navigio: Pauperes autem plus de suo statu gaudere, quam divitibus invidere, quia difficiliùs merguntur. Sed tamen ipsis necessariâ esse pietatem & patientiâ nemo videt, ne de Deo conquerantur, & nimis doleant.

Collige 3. Ex Chrys. in fine homil. 2. de Lazaro. Divites simul ac pauperes imitari debere Lazarum, neque enim [ait] unum tantùm, aut duo triave virtutis certamina sustinuit, verùm & multa plura, paupertatem, adversam valetudinem, solitudinem ac destitutionem ab eis qui illius curam gerere debebant. Item quod biduum triduum ve, sed per omnem vitam, & seipsum videret in ejusmodi calamitatibus, & divitem in diverso rerum statu: quomodo igitur erimus excusandi, si cum hic cunctas afflictiones simul unitas tantâ pertulerit animi fortitudine, nos ne dimidium quidem horum tulerimus? non enim potes alium commemorare qui tanta passus sit mala: Ideoque illum Christus proposuit, ut si quando res tristes acciderint, ex eo capiamus exemplum: Communis igitur orbis doctor ille propositus est rem quamcunque molestam patientibus: Illum itaque doctorem in ædibus, in foro, & ubique circumferamus. Et Conc. 2. initio. Pauperibus ac divitibus in commune stat hic præceptor: si enim in paupertate non est indignatus, quam veniam merentur, qui id faciunt in divitijs? si in fame, tantisque malis degens gratias egit, quid excusabunt qui in rebus affluentibus non idem faciunt?

Rursus pauperes qui molestè ferunt egestatem, quam impetrabunt veniam, cùm hic in fame, & penuria, solitudine & adversa valetudine vitam assiduè trahens in ædibus divitis, & ab omnibus despectus, nec alium habens quem aspicerer, sic est philosophatus? Quid ambobus supereſt, nisi eleemosina divitibus: egenis patientiâ? quarum ope cùm illi tùm isti æternæ beatitudinis gloriam, assequi poterunt, quò nos provehat Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

FERIA

FERIA QVINTA
DOMINICÆ SECUNDÆ
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO SECVNDA

Prima remotio Scandali apparentis circa Divitem & Pauperem.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.
Lucæ 16.

PRÆCEPTUM eſt Levit. 19. *Nò maledices ſurdo: nec coram cæco, pones offendiculum.* Hæc quoque verba ad nos ſpectant, ne inſciis ſcandalum demus: *Maledictus qui errare facit cæcum in viâ*, Deuter. 27. Ne igitur ſcandalum quod contra divinam Providentiam attulimus incautos faciat ruere, age tollamus ſcandalum, & cæcos reducamus in viam, ſed neutrum agere poſſumus ſine gratiâ. AVE MARIA.

IN gravi ſcandalo quod adverſus divinã Providentiam allatum eſt, ex inæquali divitiarũ partitione quam in illuſtri exemplo propoſuimus, cùm oſtendimus omnia uni data, alteri omnia negata; providentiæ juſtificatio facilis nobis eſſet, ſi utriuſque, Lazari, & divitis, vita, non magis nota nobis eſſet quàm cæterorum hominum. Nam ſi ex reliquis hominibus, rem æſtimare debemus, tantæ ſunt in uniuſcujuſque vitâ tenebræ, tanta obſcuritas, ut vix ſcias, quẽ damnare, quẽ abſolvere poſſis. Quot en. magna ſcelera parietibus, quàm plura, vultu, ac diſſimulatione teguntur? quàm multi larvâ virtutis turpem conſcientiam obvelant, ita ut Apoſtoli monitum planè neceſſarium ſit, *Nolite ante tempus judicare*? Omnia fucata ſunt, omnia miniata. Sed licet falli homines poſſint, quia ſecundum faciem judicãt: unde hominum æſtimatio parvi facienda eſt, *Et diẽ hominis non deſideravi*, ait Jer. & Apoſt. *Mihi autẽ*

pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die, sed neque meipsum judico: Deus tamen falli non potest, quem πάνσοφον appellavit Philo lib. de Mundo, id est omnigenâ præditum Sapientiâ, & S. Dionys. c. 5. de Divin. Nom. ὑπέρσοφον, omni Sapientiâ Sapientiorem, unde ait Apostolus Heb. Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus: In Græco est τετραχηλισμένα metaphorâ ducta à sacrificiis: nam uti doctores Hebræi tradunt, solebat hostia excoriari, tùm è cervice usq; ad infimã partem discindi, adeò ut intestina, & quæ priùs abdita fuerant & arcana, tùm oculis subjicerentur, porrò ita victimam discindere & aperire τετραχηλίζειν dixerunt: hinc igitur omnia oculis Dei, mũdum circumspicientis τετραχηλισμένα nuda & aperta sunt, quasi aperto & patefacto pectore: Itaque quidquid latet in Oceano, in terræ fundo, in imis pectoribus, in Angelorum cogitationibus, id pervadit. Quocirca si de his duobus Lazaro & Divite ut de cæteris judicare liceret; venire posset in mẽtem Deum quædam in abdito vidisse, quę nos laterent, & diversa utrũq; tractandi ratione manifestare, quod in unoquoq; deprehendat. Sed scandalum quod attulimus hac ratione revelli non potest: neque enim cuiquam suspicari fas est occultè improbum fuisse Lazarum, licet apertè castigatum, vel è contrario in divite Deum aliquid agnovisse quod facilem tractationem postularet: Quoniam Scriptura, uti ostendimus in priori Concione, ita utriusque vitam depingit, ut si grave scandalum sit eam videre inæqualitatẽ tractandi utrumque, longè majus existat, ex vitæ utriusque cognitione: cùm certum sit divitis vitam fuisse flagitiosissimã; pauperis vitã non innocentem modò, sed virtutibus omnibus laudatissimam: in quo habes integrum in Providentia Dei scandalum, in quod multi gravissimè impegerunt: In tam dissimili vita, tam dissimilem tractationem: ubi tanta scelera, tantam fœlicitatem; ubi tot virtutes, tãtam miseriam: Et dixi, *Ergo sine causa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas*: Sap. 2. *Hæc cogitaverunt & erraverunt, excœcavit enim illos malitia eorum, & nescierunt Sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum Sanctarum*: Verum ut à minoribus incipiam.

In universum hoc pronuntio hanc divitũ ac pauperum inter homines inæqualitatem non modò non esse contra ordinem divinæ Providentiæ, sed potius ab illa esse profectam, quod adeò verum est, ut ad rectam mundi gubernationem necessarium fuerit, Deum, homines, alios divites facere, alios inopes; tùm respectu vitæ civilis, & politicæ, tùm respectu vitæ moralis & studiosæ virtutis.

Et ut 1. de vita civili loquar. Non parvum fuit divinæ Providentiæ artificium ad hominum societates concinnandas ita hominum conditiones distribuisse, ut uni divites sint, alii verò pauperes, & sibi mutuas operas impenderent: neque enim ait Chrysostom. homil. 34. in 1. ad Corinth. divitibus solum opus habent pauperes, sed etiam divites pauperibus: & illi quidem magis his, quàm hi illis: & uti hoc videas manifestiùs; Faciamus, si ita videbitur, duas civitates, alteram quidem divitum solum, alteram verò pauperum: & neque in civitate divitum sit ullus pauper, neque in civitate pauperum sit ullus dives, sed utraque exactè expurgemus, & videamus utra magis sibi possit sufficere: Ergo si in illa quidem locupletum civitate, nullus erit opifex, nullus ædificator, non faber, non sutor, non pistor, non agricola, non faber ærarius, non funium contextor: quis, amabo, ex divitibus hæc unquam tractare voluerit, cùm etiam hi qui hæc tractant, cùm evaserint divites, non sustineant afflictionem & miseriam quæ ex his operibus existit. Quomodò ergo stabit hæc civitas? data, inquies, pecunia, hæc ement divites à pauperibus. Itáne verò? sibi

sibi ergo illi non sufficient, si istis opus habent. Quomodò autem domos ædificabunt? An hoc etiam emem? sed non est ea huius rei natura: necesse est ergo illuc vocare artifices, & legem violare quam tulimus, diximus enim nemo sit intus pauper. Et quidem ea de causa Aristoteles meritò incusat Respublicas fictas à Platone & Socrate, in quibus ille æqualitatem, iste communes fortunas volebat: Ita enim nulli artifices existerent, quia artes illæ tantùm ob paupertatem suscipiuntur, omnesque affectarent summa munia, nullusque vellet in inferioribus occupari: unde Philosophus 3. Polit. cap. 3. sic concludit. Necesse est duas civitates in una esse civitate, & eas inter se contrarias, aliam scilicet pauperum, aliam divitum: Quare urbem ait similem harmoniæ, quæ ex inæqualibus vocibus constat: Et alibi docet eo modo homines plebeios cum nobilibus & opulentis permisceri debere, sicut panem cũ lautioribus cibis: ut enim alii cibi sine pane arescunt, nec succum opportunum gignunt, panis autem solus stomachum immodicè replet, onerat, nec facilè digeritur; ita in civitate soli divites tabescunt, ac sunt inutiles, nihilq; reip. præstant; pauperes autem sine divitibus remp. gravarent nec regi ac gubernari facilè possent: sibi igitur ad civilem vitam necessarii sunt pauper, & dives:

Idem dico quoad vitam moralem, ac studiosam virtutis. Nam ut ait Cæsarius Arelatẽsis homil. 15. Potuit DEUS omnes homines divites facere, sed nobis per pauperum miseriam voluit subvenire, ut & pauper per patientiam, & dives per eleemosynam possint DEI gratiam promereri: nobis enim militat inopia pauperum. S. Augustinus homil. 13. ex 50. Pauperes egere voluit Christus, sed propter nos: omnes pauperes quos videtis, potuit illos Christus pascere, quomodo per corvum Eliam pavit; tamen cùm & ipsi Eliæ subtraxit corvum, ut à viduâ pasceretur, nõ Eliæ præstitit, sed viduæ: Quando ergo Deus pauperes facit, quia ipse non vult, ut ipsi habeant, quando, inquam, facit pauperes, probat divites: sic enim scriptum est, *dives & pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus*: Et quis illos fecit ambos? Dominus: divitem quidem fecit, unde pauperem adjuvaret: pauperẽ, unde divitẽ probaret: Idem, dividens unicuiq; suum officium ser. 25. de verbis Domini, ita loquitur: Pauperis est orare, & divitis erogare: cæterùm in illo mutuo officio, excellere dico pauperem diviti, cùm plus accipiat emolumenti dives à paupere, quàm ille à divite. Rationem reddit Cæsar. Arelat. homil. 15. das pauperi nummum, & à Christo recipis regnum: das buccellam, & à Christo recipis vitã æternam: das vestimentum, & à Christo recipis remissionem peccatorum: nõ ergo despiciamus pauperes; sed magis eos desideremus, & ultrò nos eis ingerere festinemus: quia miseria pauperum, medicamentum est divitum. Hæc ille. Idem passim docet Chrys. nimirum plus pauperes nobis dare accipiendo nostra, quam nos largiendo; itaq; non illos gratias agere debere, sed nos qui damus. Vide in Eliâ, & vidua, quis è duobus beneficium accepit, ipse, an vidua? haud dubio quod ista: quæ plures dies Eliæ miraculo sustentata est: multò magis nos, cùm rationem habemus cum paupere: Chrys. Eleemosynam interpretatur artẽ fœnerãdi omnium quæstuosissimam, in qua pro uno, plusquam centum recipimus.

Collige 1. finem divitiarum non esse potestatem, delicias, fastum, luxum, sed pauperis opitulationem: itaq; unicuiq; diviti incumbere onus pro suis facultatibus eleemosynam pauperibus largiendi credendum est. Cui rei innititur communè Patrum dictum, divites non esse DOMINOS suarum rerum, ut retinere eas possint sine pauperum injuria; sed esse distributores, & œconomos:

Item illud quod docet Chryſ. conc .2 de Lazaro rapinam eſſe, non impartiri de ſuis facultatibus, quia ideò nobis datæ ſunt, ut tribuamus.

Collige 2. Neque expellendos eſſe pauperes, cùm tanto nobis ſint emolumento, & in ſpiritalibus: neque exprobranda pauperi beneficia, cùm plus accipias quàm dederis: immò ſic à nobis accipi debere, ut qui beneficia offerant: itaque dùm pauper unâ manu ſtipẽ accipit, alterâ cautionem tuam tibi reddit, nempe peccatorum tuorum quæ remittuntur. Tobiæ 4. *Quoniam eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*: & nomine Dei tibi aliam porrigit, quâ exigas vitam æternam: ita ut dicere poſſis, quod ſcripſit Cæſarius Arelat. homil. 15. nos ſecurè dicturos in die judicii: da Domine, quia dedimus: nos fecimus quod juſſiſti, tu implequod promiſiſti. Vide quo emolumento pauperi benefacis.

Ex dictis vide connexionem divitis & pauperis: pauper debet diviti ſuam paupertatem, & dives pauperi ſuas divitias. Hoc eſt propter divites fecit Deus pauperes, quia aliter illi ſalvari non poterant, niſi ſubveniendo, & miſericordiam faciendo: Et contrà pauperibus divites debẽt ſuas divitias, quia iideò Deus dedit illis opes, ut ſuis divitiis pauperes alerent. Vnde apparet divites multùm debere pauperibus, cum debeant 1. quod propter illos tam multa patiantur. 2. quod ipſi divitijs abũdent. Tu itaque ſaltem illis partem eroga, quibus tu totum debes. Ex his omnibus convincitur pauperum & divitum diſtinctionem ad Dei providentiam pertinere: cujus partem videmus, & in Lazaro mendico, & in divite epulone ad divitis januam jacente, ut ſcires unum ad alterum pertinere, neque temerè ſibi occurriſſe, quoniam *utriuſque operator eſt Dominus*. Si itaque Deus debuit aliquos creare divites, & alios pauperes id exigente & fine civili, & fine morali; non igitur illa pauperum & divitum inæqualitas Dei providentiam deſtruit, ſed aſtruit.

Benè, inquies, ſed cur potiùs Lazarum pauperem fecit, & alium cur fecit divitem: & ut quæſtionem longiùs extendas, cur hunc naſci voluit in purpurâ, alium in fœno & paleâ; cur hunc regem eſſe alium ſervum, & in compedibus: cur hunc naſci hebeti ingenio, alterum ſubtili, & acuto: uno verbo cum eadem ſit hominum natura, unde tanta ſortis, conditionis, fortunæ, & qualitatum diverſitas?

Videte ineptas impiorum cavillationes Quod enim non omnes æqualiter in univerſum tractare debuerit, pertinuit 1. ad ſummũ ejus dominiũ: nã ſi æqualiter omnes tractaſſet, videretur id omnibus fuiſſe debitũ quod feciſſet: quod itaq; aliter fecerit, oſtendit ſuorũ donorum ſe fuiſſe Dominum: itaque illis largitum quibus voluit, negaſſe verò quibus dare noluit. Hoc argumento uſus eſt Apoſt. Rom. 9. *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam* 2. pertinuit ad ſummam Dei ſapientiam quæ ſemper ordinem ponit in rebus, omnis autem ordo in creaturis ſupponit in æqualitatem: Ita videmus in Aſtris, *alia eſt claritas Solis, alia Lunæ, alia Stellarum, ſic erit in reſurrectione mortuorum*: hoc etiam argumento uſus eſt Paulus 2. ad Timoth. 2. *In magnâ domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem quædam autem in contumeliam.* 3. Etiam pertinuit ad providentiã quæ non tantum includit intentionem finis per media, ſed etiam connexionem mediorum inter ſe & ſub ordinationem, ad quæ neceſſaria eſt inæqualitas: et in parriculari oſtendimus circa di-

vi-

vitias & paupertatem Deum per divites providisse pauperibus, & per pauperes providisse divitibus, & in vitâ civili & politicâ, & in vitâ morali, & studiosâ, atque ad virtutem pertinente. Quod autem quæritur cur Lazarum potiùs fecerit pauperem, quàm alium, quem fecit divitem, mera est cavillatio: Nam cùm non omnes divites facere debuerit, aliquos pauperes facere debuit: potuit Lazarum, quia aliquē potuit, & quem facere potuit, fecit. Sed, ais, cur illum? quia nēpè voluit facere: voluit autem quia potuit. Et verò etiā facere potuit alium? ita sanè: sed noluit: noluit autem, quia uti facere potuit pauperem, ita potuit facere divitem. Et quidem si non Lazarum pauperem fecisset sed alium, nempe Epulonem, pari modo quæsiviſses cur istum pauperem fecisset non Lazarum: itaque cùm aliquem debuerit pauperem facere, debuit facere quem facere voluit: Lazarum autem facere voluit, nec injuriam fecit, quia potuit: fecit autem quia & potuit & voluit. Hoc etiam argumento usus est Paulus Rom. 9. *Homo tu quis es, qui respondeas Deo?* quæ vox significat ex adverso contendere.

At dices, si aliquem miserum facere voluit, & ita affligere, decuit improbum, non itaque Lazarū, cujus præclaras virtutes esse diximus. Sed vide quàm sine ratione illud dictum sit.

1. Quidem, Quoniam ex Augustino 1. de Civit. DEI cap. 8. Si nunc omne peccatum manifestâ plecteretur pœnâ, nihil ultimo judicio reservari putaretur. Vis rationis in eo est: quod hæc vita non sit consummatio rerum omnium, & meritò quidem, quia rationem habet viæ, cujus terminus est altera vita: non oportuit itaque in hac vitâ esse mercedem bonorum vel malorum operum. Præterea oportuit Dei justitiam manifestari non tantùm coràm paucis hominibus, quod fieret si in hac vitâ impii plecterentur, sed coràm omni vidente.

2. Si dives tot beneficiis à DEO præventus bonus esse noluit, quomodo si malis appetitus esset? Ne itaque excusaret malitiam, multis bonis à DEO præventus est. Cùm autem Lazarus potuerit in malis virtutem custodire, nihil fuit causæ cur ejus virtus in prosperis languerer. Tantùm interest (ait Augustinus) non qualia, sed qualis quisque patiatur. At inquies Lazarus meritus erat ut benè tractaretur; Dives autem erat indignus: Malè utrumque æstimas: nec enim divitis vitia, hujus vitæ miseriis plecti satis potuissent; nec virtus Lazari, bonis temporalibus satis compensari: sola utrumque potuit æternitas vel suppliciorum, vel præmiorum.

3. Debuit dives beneficiis provocari, hujus autem virtus probari: primus bona temporalia accepit, quia hæc tantùm bona ipse æstimabat: quod significat verba Abrahami, *Fili recordare quia recepisti bona tua in vitâ tuâ*, sic enim habet textus Græcus, quæ scilicet tu sola bona existimabas, ut saltem horum bonorum illecebrâ Deum vel amaret, qui dabat, vel timeret, qui auferre poterat. Non dedit autem Lazaro quod ea contemneret, nec bona esse putaret, nec virtutis præmia esse crederet, sed impedimenta.

Hinc disce quid propositis contra divinam Providentiam in dissimili bonorum partitione rationibus, respondendum sit.

1. Enim quod objicitur, vel meritis dantur, vel non dantur: si primum, bonis dari debuerunt: si 2. non igitur ex justitiâ, quia immeritis: dantur: nihil conficit aut probat. Neq; n. datur ex meritis: sed cui dātur misericorditer dantur, quia dantur nō merenti; cui autē non dantur, & justè, & misericorditer non dantur, justè quidem, quia nemini debentur, & unumquemque Dominum sua largiri pro bonâ suâ voluntate justum est, & cui non debes, justè non das: misericorditer autem non dantur, quoniam meliorum

sunt

sunt impedimenta, & meliora parantur: ubi autem misericordia est, non est injustitia.

2. Aut divitiæ bonæ sunt, aut malæ: si bonæ cur bonis non dantur: si malæ, cur aliquibus conceduntur? Ita homines lurei cum Deo disputant. Vide an rationabiliter: divitiæ certè bonæ sunt, itaque dantur aliquibus; scilicet malis, ut boni fiant: cur enim bona Deus largitur, nisi ut ex honorum largitione boni fiant? negantur autem bonis, quia summa bona non sunt, & quædam meliora sunt quæ dantur ei cui ista non dantur: Ibi nil injustum.

3. Ad nemo Paterfamilias id faciat, nec liberis suis hæreditatem suam dividat? Tu unam domum aspicis, non mundum cujus perfectio hanc rerum varietatem postulat. Certè Providentia particularis aliter se gerit quam universalis, idque homines vulgò decipit: aliter agit qui unum militem, aut unam cohortem regit, aliter qui totũ exercitum: hic aliquando cohortem totam certo exponit periculo, ut totam aciem conservet, hic paucos milites ut totam cohortem: qui autem unum militem servat, in unius capitis salute totus est. Tu unum hominem spectas qui serviat, nec cogitas opus esse in republicâ servis, mancipijs, operibus vilibus, & ministeriis abjectis, ad quæ soli pauperes se abiiciunt.

4. Sed nemo Pater si sapit, uni omnia donat, nihil autem cæteris. Id tu quidem asseris: Verùm sapiens Pater sæpè cæteros liberos uni commendat, uni omnia donat, non ut sibi omnia servet, sed ut cæteris distribuat. Putas Deum divitibus omnia donasse, ut servarent omnia, non verò ut pauperibus necessaria porrigerent? Audi quid dicat Eliæ 3. Reg. cap. 17. *Præcepi mulieri viduæ ut pascat te*, non alio modo præcepit quam ei unde pasceret largiendo. 2. si Patrem nominas, si bona intellige quæ bonis non denegat, allijs verò etiam dat, sed non coactè, sed si velint: ut nemo coactè sit beatus.

5. At sapiens id vanissimum judicat, & pessimum, quod eadam omnibus eveniant. Sapienter id quidem & à Sapiente dictum est & factum à Deo, cujus fuit propositum, ut hæc humana despiceres, cùm nulla ferè dentur, habitâ ratione virtutis, aut vitii, unde signum est ea esse exiguæ æstimationis apud Deum, qui ea soleat poti⁹ inimicis dare quàm amicis.

6. At enim multi ex Sanctis hominibus ob talem dispositionem commoti sunt, uti Job, David, Jeremias & alii, quorum loca attulimus in præcedenti Concione: Ita sanè, & vehementer commoti sunt usque ad titubationem, gravemque tentationem, verum ea commotio non fuit de dispositione Dei, quam semper sanctam esse, & justam pronuntiant; sed de impiorum errore qui cùm se beatos cernerent, se justos crediderunt, & de vulgi falsâ opinione *Populemeus qui te beatum dicunt ipsi te decipiunt.* 2. In tuo sensu, & pro te dubitarunt, cùmque humanos & communes sensus exprimerent: sed semper quid sentiendum sit, respondet, ac te docent, cùm aliqua non capis, nec comprehendis, quid tandem æstimare debeas. Denique vel hinc etiam apparet antiquæ legis imperfectio, in quâ est terrenorum promissio, mercedes temporales, supplicia & minæ præsentem vitam spectantes: sed in Evangelio beati pauperes prædicantur, *Beati qui lugent, beati qui persecutionem patiuntur: Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint & dixerint omne malum adversum vos.* Immò divites fiunt pauperes omnia deserendo; qui nobiles, fiunt ignobiles, & in tenebras se abdunt, Quàm multi sapientes insaniam finxerunt, quàm multi docti ignorantiam, &c. *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Hæc sufficere possent ad scandalum removendum, sed nil aptius fingi potest quàm secun-

da

da pars propositi Evangelii, de quâ crastinâ die dicturi sumus. Tu interim hæc apud te statue. 1. Quidem non sine peculiari Providentiâ Dei factum esse ut bonis, ac prædestinatis bona vulgò non tribuerentur, ne scilicet cor eorũ depravaretur; hîc enim liceat usurpare verba Scripturæ 3. Reg. cap. 11. quæ dicta sunt de mulieribus alienigenis, quarum connubium Israëlitis interdictum fuit: *Certissimè enim avertent corda vestra ut sequamini Deos earum:* sunt enim innumera vitia quæ ex divitiis oriuntur, ita ut ferè sit impossibile divitem salvari: cogita singulas virtutes Christianas, ac vide si cum divitiis consistant: Enumera octo beatitudines, ac vide si ulla sit in divitiis: Specta vitam CHRISTI, Apostolorum, ac ferè omnium Sanctorum: Quod si dives aliquis salvatur, id planè est admirabile: Itaque CHRISTUS interrogantibus discipulis, ac mirantibus quod dixisset, impossibile esse, divites salvari. Matth. 19. *Quis ergo poterit salvus esse*; respondit: *Apud homines, hoc impossibile est: apud DEVM autem omnia possibilia sunt.* Et quidem ut suprà diximus si sola pecuniarum cupiditas, radix est omnium malorum, quid erit possessio? Ad hæc sic ita disposuit, ut prædestinati facilè haberent in affectu, quod in actu, & reipsâ habebant: quia enim illis præcipiebatur ut haberent divitiarum contemptum, ut non siderent in incerto divitiarum, ut non altum saperent, ut humilibus consentirent, & sexcenta similia; ideò DEVS illos removit à divitiis, in quibus hæc sunt admodùm difficilia; ut algere in ignibus, non mergi in fluctibus: non perire inter arma, non inquinari pice, & eam tangere; quæ omnia vel difficillima sunt vel impossibilia.

Statue 2. Neque divitias, neque aliquid terrenum, tibi à DEO expectandum esse, tanquam præmium virtutis & ut laborum præmium, sed alia longè majora, & sublimiora præsertim post Evangelium, post adeò laudatam paupertatem, & damnatas divitias, *Va vobis divitibus, va vobis qui consolationem habetis*: Quid igitur frustrà laboras, quid sudas, quid conscientiam perdis, quid cœlo renuntias ut divitias acquiras, ut possideas, perdas? si haberes, dimittendæ erant Matth. 19. *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo*, quò nos deducat Dominus JESVS. Amen.

***

FERIA QVINTA
DOMINICÆ SECUNDÆ
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO TERTIA

Secunda remotio Scandali apparentis circa Divitem & Pauperem, petita ex alterâ vitâ.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.
Lucæ 16.

GRAVEM omninò tentationem, immò grave ſcandalum adverſus Divinam Providentiam, multos paſſos eſſe dixi ex inæquali bonorum & divitiarum partitione : illudque oſtenſum à nobis eſt in illuſtriſſimo exemplo divitis & pauperis Lazari, cùm in illum omnia bona, in hunc omnia mala confluxerint, præſertim cùm illius vita inquinatiſſima fuerit, hujus verò ſanctiſſima, quâ ex conſideratione gravius extitit ſcandalum. Hæc prima fuit hujus diſcurſus pars. In alterâ aggreſſi ſumus grave illud ſcandalum removere, atque oſtendimus non modò illam inæqualem divitiarum diſtributionem, non obeſſe Providenti, immò id ad eam pertinuiſſe, ut quidam eſſent pauperes, quidam divites, tùm ad vitam civilem, tùm ad moralem & virtutis : Deinde oſtendimus cur potiùs Lazarum, pauperem effecerit, quàm alium, cur Epulonem divitiis cumularit : unde omnibus in contrarium propoſitis rationibus, reſpondimus; omnem ſcrupulum removentes, contra eandem Prudentiam; quam eſſe in mundo aliquam, facilius eſt probare, quàm oſtendere de die Solem lucere,

lucere, cùm ipse Sol pars ejus minima sit, & in omnibus creâturis sit diffusa, ubique præsens, ubique operans.

Verùm hodie alius mihi est respondendi modus: Nam licet satis fuisset dicere, in istâ partitione inequali, tàm nobis satis esse, quàm in cæteris rebus quæ videntur esse difficiles, quòd hæc à Deo facta sit, ut benè actam esse credamus: (Nam ut ait S. Chrysostom. libr. ad eos qui scandalizati sunt, cap. 8. An non hominis furiosi est, hoc est, an non hoc summam dementiam, atque insaniam sapit, in medicum quidem curiosè non inquirere, dũ secat, dum urit, dum acerba medicamenta applicat, quamvis servus sit, sed cum silentio jacere dominum ista patientem, eique propter hanc ustionem gratiam habere, cùm etiam curatio sit incerta, eique subjectum parere, dum id agit: idemque erga nautam & architectum, vel erga cæteros qui diversas artes profitentur, præstare, ridiculum, inquam, hominem censeri imperitum, & inexpertum; causas omnium quæ fiunt ab artifice exquirere: sapientiam autem illam, immensam, ineffabilem, inexplicabilem, incomprehensibilem curiosè scrutari, & cur hoc vel illud fiat, exquirere; idque cùm probè noverimus, in hanc sapientiam errorem non cadere, magnam ejus esse bonitatem, inenarrabilem ejus esse providentiam: ad finem prosperum omnia pervenire, quæ ab illo nostra causa geruntur:) Licet, inquam, illud satis sit ad animum cujuslibet pacandum, & retinendum: tamen ne summâ authoritate agamus, ut etiam curiosis ac pertinacibus ingeniis satisfaciamus, rectè admonet Chrysostom. loco cit. cap. 9. ejusmodi homines, ut finem expectent, & quem tandem exitum ista sortiantur, considerent, neque turbentur aut terreantur à principio: quandoquidem auri quidem fusorem imperitus aliquis si videat initio aurum liquentem, & cineri, paleisque miscentem, nisi finem expectet, periisse arbitrabitur: qui sic in mari educatus est, si in continentem veniat, ac videat primò agros seri, frumentum perdi existimabit, & agricolam hæc agentem damnabit: at hæc condemnatio ab ejus imperitiâ proficiscitur: etenim si æstatem expectasset, & segetem vernantem vidisset, & triticum quod sparsum fuerat, & sine custode relictum, & putrefactum, & corruptum, ac luto expositum, mox germinasse, ac multiplicatum, apparuisse pulchrum, & fœnore non mediocri agricolam ditasse, tùm verò amplius miratus esset, quod per ejusmodi damna fructus ad tantam ubertatem, & pulchritudinem evectus esset: Tu quoque noli in communem omnium Dominum curiosiùs inquirere? quòd si adeò sis contentiosus, ut sic velis insanire, saltem finem eorum quæ geruntur, expecta: nam & agricola totam hyemem expectat, neque ad ea quæ triticum tempore frigoris patitur, respicit, sed ad ea quibus fruiturus est: & multò sanè fuerit æquius, ut eius causâ, qui totius orbis terrarum est agricola animarum nostrarum finem expectes. Et quidem si in rebus humanis, sententiam ferre non sustines, nisi omnia noris, & omnes partes negotii intellexeris, cur de hoc vis judicare nisi omnia ad amussim exegeris, præsertim cùm illud quod supereſt, & quòd nomine finis intelligitur, longè majus sit quàm prima vitæ pars? Hinc fit ut qui è Sanctis in Scripturis de impiorum fœlicitate conqueruntur, statim meminerint exitus illorum: Testimonia dedimus ex Jobo, Davide, & Jeremiâ: Jobus quidem cap. 21. postquam cum aliquâ querelâ fœlicitatem impiorum descripsit, subdit; *Veruntamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me. Quoties lucerna impiorum extinguetur, & superveniet eis inundatio, & dolores dividet furoris sui? Erunt sicut palea ante faciem venti, & favil-*

favilla, quam turbo dispergit, &c. David autem Ps. 72. postquam multis versiculis scandalum suum narravit, tandem subdit versiculo 16. *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum. Veruntamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium surgentium Domine, in civitate tuâ imaginem ipsorum ad nihilum rediges:* Jeremias autem cap. 12. postquam cum admiratione quæsivit, *Quare via impiorum prosperatur*, &c. subdit prophetice per modum imprecationis: *Congrega eos quasi gregē ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis*: ita in nostro Evangelio, Quod in primâ narrationis parte scandalum ortum est ex tam dissimili sorte bonorum & malorum, illud in altera parte aufertur, in qua prioris fit judicium. Verùm antequàm ulteriùs dicendo progrediamur, sistamus nos Beatissimæ Virgini supplices, ejusq; opem demissè imploremus. AVE MARIA.

PRIMA itaque vindicatio scandali est mors utriusque, quæ semper spectari debet, quia ipsa finis est, ut ne putes diuturnam fuisse ejusmodi inæqualitatem. Vita autem adeò brevis est, ut quemadmodum punctum respectu totius orbis pro nihilo reputari potest, ita etiam vita cujuscunque respectu æternitatis pro nihilo reputari debeat: secundùm illud Jobi, *fuissem quasi non essem, ex utero translatus ad tumulum*, vita enim media, iter tantum est ab uno ad aliud. Sed audiamus textum. *Et factum est ut moreretur mendicus*, &c. *Mortuus est autem dives.* Ac licet iste tardiùs sit mortuus, quippe qui integra fuit semper valetudine, cui nihil unquam fuit molesti, cui nihil defuit in vita, tandem tamen mortuus est: neque enim divites mortem magis effugere possunt, quàm pauperes: Sed ne hoc leviter præter curras (ait Chrys. hom. 2. de Lazaro) Hîc mihi cōsidera mensas argēto circumtectas, lectos, tapetia, ornamenta, quæ in tota domo sunt omnia, unguenta, aromata, vini meri copiam, eduliorum vanitates, ciborum delicias, coquos, adulatores, stipatores, famulos, ac universam reliquam pompam, strepitumque extinctum, ac marcidum factum: ubique cinis, ubique favilla, ac pulvis, lamenta & luctus, nemine succurrente, neque semel egressam animam postea revocante: Tunc declarabatur quid possit aurum, quid possint copiosæ divitiæ, siquidem ex tam frequenti famulitio, nudus abductus est & solus, nihilque ex tantâ affluentiâ secum ferre valens, sed desertus, indefensus, neglectus, nullus eorum, qui priùs eum colebant, & qui nunc auxiliarentur, aderat, erepturus à pœnâ & supplicio, sed ab omnibus illis divulsus, solus interceptus est, ut illa non ferenda supplicia sustineret: Verè *omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos*, &c. *Verbum autem Domini nostri manet in æternum.* Isai. 40. Venit mors, & extincta sunt illa omnia. Necaliter quàm captivum, arreptum illum abduxit demissis oculis, pudore plenū, non audentem hiscere, trementem, pavidum, perinde quasi in somnis, universis illis deliciis fruitus fuisset: Hactenus Chrysostomi verba.

Item: *factum est, ut moreretur mendicus*: itaque omnis miseria finita est, neque enim aliquis est in morte sensus, quid jam pauperi nocet, quòd rerum omnium egentissimus fuerit, quòd contemptus, & despectus fuerit, quòd diu jacuerit, quòd vulneribus deformatum habuerit corpus, quòd inediâ afflictatus? malis omnibus finem mors attulit; itaque *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt*: quàm autem brevi spatio conclusa sunt omnia, ex quibus nihil

omninò

omninò superfit: ut enim cùm omnia in cinerem sunt redacta, ignis omnis extinguitur, soli restant cineres; ità ubi mors omnia sustulit, nihil supereſt morborum, nihil doloris, nihil prioris exitii. Vide itaque perfectam amborum æqualitatem, & sublatam inæqualitatem, nam in morte nil plus habet dives, quam pauper, mors enim illas omnes tollit conditionum dissimilitudines. Quid hîc superbis? quid pauperem summoves, quasi alterius naturæ? quid despicis, quid miserum appellas? Erit illa dies aliquando, quæ utrumque æquabit, post quam utrumque, amabo, considera, ac vide quodnam supersit, quoad ista externa discrimen. Tam nudus est, qui exutus est, quam qui nunquam fuit indutus: uterque omnibus caret: non jam discrimen sanitatis, roboris, pulchritudinis, purpuræ, epularum, domus marmoreæ, famulorum, assentatorum, &c. Adi ossium congeriem: hîc mihi ostende divitem, & pauperem: saturum olim & famelicum: eloquentem, & elinguem: purpurâ quondam conspicuum, & pannis obsitum: non potes, nullus posset. Ac quemadmodum in scenâ actores diversas personas sustinent, Regum, Ducum, Imperatorum, Rhetorum, Sophistarum: alii verò vinitorum, egenorum artificum: sed advente vesperâ, & digressis qui aderant, ubi ex theatro descenderint, habitumque fabulæ deposuerint, qui priùs Reges ac duces esse videbantur, post apparent quod sunt, omnisq; illa personata dignitas aufertur, unde & vestes deponuntur, & fastus, & honor fictus, & qui assectabantur, discedunt: (ait S. Chrys. Conc. 2. de Lazâro) & hîc velut in theatro, videlicet in mundo sedens, & in scenâ ludentes spectans, ubi videris complures divites, ne putes verè divites esse, sed divitum obtectos personis: ubi enim mors advenit theatrum que dimissum fuerit, cùm divitiarum paupertatisque personas deposuerint, omnes illuc profecti, atque ex operibus judicati, declarant, qui verè sint divites, qui verò pauperes; qui honorati, & qui obscuri. Hoc idem nostro diviti accidit: nam simul atque incubuit vespera, hoc est mors, & è vitæ præsentis theatro egressus est, personamque deposuit, quâ tandem re illum à paupere discernere potueris? Tu itaque cùm tantâ inter homines inæqualitatem videas, noli turbari: In scenâ luditur, expecta finem tragœdiæ, videbis posteà actores non nisi personis distinctos fuisse, atque dissimiles, verùm unam esse omnium, uti naturam ita etiam conditionem, & sortem.

Cæterùm mitto dicere 1. facilem pauperis discessum à corpore: nam millies didicerat mori, & ut loquitur Tertullianus præmisso jam sanguinis succo, tanquam animæ impedimentis, properante, & ipsa, quæ jam sæpe jeiunans mortem de proximo novit. Ad hæc quam facile vitam miseram relinquebat, nec animam, corpus ulceribus apertum retinebat: nam per ea patebat ei exitus & facultas abeundi. E contrario difficilem divitis exitum: quia ejus anima alligata corpori, & mille remediis detenta. Ille itaque animam dedit; ab hoc verò anima repetita est, & exorta tanquâ ab invito.

2. Quàm libenter pauper in sinum mortis, ut in portum post maximam jactationem se conjecit: Dives autem quàm ægrè à rebus charissimis avulsus est, atque à voluptatibus & opibus.

3. Angores divitis in Morte, & consolationes pauperis: nam si sola mortis memoria divitibus est acerba, quid ejus experientia?

4. Statum corporis, & funus: Chrysologus Serm. 121. In marmoreo tumulo, & aureatâ veste, jam divitis corpus inclusum: pauperis caro naturali quiescit in limo, prævenit putredines, & fœtores. Tùm hæc de fu-

nere. Pauperem portant Angeli, divitem deglutit infernus: En fratres, mors pauperis, totam divitis pompam transcendit, & gloriam.

Verùm quoniam nomine finis non tantùm mors intellligenda est, sed etiam status alterius vitæ qui finem non habet, & in quem status præsentis vitæ finitur: (Ego enim, ut ait Chryso. non finem dico tantùm in præsenti vitâ, sed etiam in futurâ;) Propterea.

2. Hujus scandali remotio, ac vindicatio, est mira rerum omnium conversio, quæ facta est in alterâ vitâ: unde mirarur Chrysolog. Serm. 66. Inhumani divitis, & Lazari pauperis, stupendas vices, pavendas successiones, conditiones admodùm lamentandas: secundùm illa verba Abrahami: *Fili recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris*: Illa vero vicissitudo consistit in mutatione fœlicitatis, & infœlicitatis ac miseriæ: qui enim dives fuerat, ac in speciem fœliciſſimus, nunc est miserrimus: & sicut nulla bona ei denegata fuerant, ita nullum ei bonum relictum est nullumque concessum, sed malis omnibus afflictatus: qui sensus est horum verborum, *Fili recordare quia recepisti*, &c. Incipiamus e divite quem ita beatum in hac vitâ ostendimus in primâ parte, ac videamus ingentem rerum mutationem.

1. Ex divite sumè pauper, atque egenus factus est, tùm quoad bona corporis, tùm quoad bona animæ. Revoca in memoriam Lazari pauperiem, Ille quidem egentissimus erat in terris, quoad bona externa attinet, sed quoad bona interna, ditissimus. Hic verò secundùm omnia egentissimus: Etenim cùm sola bona habuisset externa, quoniam illa tantùm esse bona existimarat, unde alia habere nvn curaverat, quod illi exprobrat Abraham juxta textum Græcum. *Recepisti bona tua, in vitâ, tuâ*, id est, quæ tu bona existimabas, & ea sola, cùm tamen vera bona non essent; Nunc illis spoliatus, rerum omnium nudus est; non jam opes, non famuli, non byssus, non purpura, non epulæ. Cui aptè exprobrat Chrysol. Serm. 122. Non jam igitur palatia, sed infernus non byssus, sed fumus inferni: non purpura, sed flamma, non culcitra sed formax. Jam quantùm illud est, 1. quod careat, vel unâ aquæ gutâ? quæ major paupertas? eamque postulet, ac non impetret? Quis id unquam cogitasset, ut cui lacus tot vina fundebant, cujus pavimenta tam sæpe vino nataverant, in cujus mensâ tot pocula, omnisque generis porrigebãtur, is aliquando guttam aquæ desideraret, nec præ inopiâ habere posset? Certe uti sumus in hac vitâ, Elementa sunt omnibus communia, sed nunc dives vel unâ guttulâ privatur. Vt Christus minimam omnium Eleemosynam diceret, ajebat calicem aquæ frigidæ: sed dives eò redactus est, ut ne aquæ guttam haberet, eamque in antâ necessitate peteret, nec impetraret. Jam cogita quid ex maioribus bonis haberet, cùm nec aquæ guttam haberet: Hîc vide dissimilem statum: olim copiam rerum omnium, nunc autem tam strictam, atque angustam necessitatem: ô statum multis lachrymis prosequendum! Sed cùm esset in eo statu, nec lachrymas habere permissus est, ne guttam saltem ab oculis haberet; nam qui ab illo vel guttâm postulabat, nec in seipso illam habebat.

2. Quod cogatur mendicare, ipsâ etiam tragicâ oratione speciem pauperis, ejusque miserrimi, præseferens: *Et ipse clamans dixit Pater Abraham miserere mei*: Chrysol. Ser. 66. Sic clamatibi, qui hic clamantes audire contempsit. Singula verba faciunt ad comiserationẽ & quòd Patrẽ vocet & Abra. & quòd dicit, *Miserere*,

rere, & quòd addit, *mei*, quasi miseriam illi suam ante oculos ponens, & flammarum quibus cruciatur, globos ostentans: vox pauperis mendicantis est, sic enim projecti in vias publicas, pauperes clamare, sic ulcera, si quæ habent, ostentare solent. Quòd verò addit: *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam.* 1. Quidem rem minimam postulat, ut scias ad extremam inopiam redactam esse: itaque minimum petere quod potest. Chrysostom. serm. 66. Qui claudit manum pauperi, extremi stipem digiti sic expescit, & sitit aquæ guttam, qui vini lacus, ne guttã daret, inclusit: iterum ex Chrysost. Conc. 2. Nunc illum digitum implorabat, quem crebrò passus fuerat circumlingi canũ linguis. Cogita itaque quid petat, quàm lugubriter petat, quâ positus in necessitate, & quandiu petat. Quot enim annorum millia idem petiit? sed quot æternitate sidem petet? & semper ei denegabitur: 2. Hoc officium petere ab Abrahamo non audet, sed tantùm à Lazaro, quanquam nec præ pudore ab illo petere audeat, unde non Lazarum, sed Abrahamum inclamat: Quia ut ait Chrysostomus Conc. 2. pudor obstabat, ac verecundia; ex ijs enim quæ in illum fecerat arbitrabatur, illum omninò meminisse malorum præteritorum: Quoniam si ego [inquit] tantâ rerum affluens copiâ, nihil ab eo læsus, adeò despexi hominem, ut ne micas quidem impertierim, quanto magis ille sic contemptus non annuet petenti beneficium? nimirùm hæc ex suis moribus existimabat. 3. Id factũ fuit, ut vices redderentur, ut sicut ab eo Lazarus in vita victum rogaverat, ita vicissim nunc postularet à Lazaro: neuter tamen obtinuit: Lazarus quidem ob Divitis crudelitatem: Dives autem, quia seriùs postulabat, & indignus.

2. Summa fuit circa eum servorũ solitudo: itaque magnâ voce inclamat ad Abraham: & ut ait textus. *Elevans autem oculos* &c. *vidit à longè Abraham, & Lazarum in sinu ejus*: ubi jam parasitorum greges, assentatorum cunei, ubi illi convivæ, ubi famuli, ubi quinque fratres ex jam numerosa quondam familia? In illa tamen solitudine adsunt ejus peccata, adest crudelitatis memoria, tot etiam deliciarũ quæ præterierunt, et ejus copiæ quæ exaruit, &c.

3. Summa fuerunt in eo tormenta, quæ his rebus constant. Cogita teterrimum carcerem, tenebras inexplicabiles, pedes & manus ligatas quæ succurrere non possint, vermem non morientem. Cogita dolores intolerandos: *cùm esset in tormentis*: ut scias non uno genere tormentorum esse excruciatum. Cogita intolerabiles ardores: *quia crucior in hac flamma*, deinde, *& sepultus est in inferno*: ut scias & in imum barathri esse detrusum, & non uno membro ardere, sed toto corpore sepultum, atque obrutum ignibus, immò in flamma acerrimo dolore torreri: *quia crucior in hac flamma*, Chrysologus Serm. 112. Quid est dives? ab æstu byssus non defendit? purpura non resistit inferno? remanserunt ista, deseruerunt illa? & ipse nunc nudus sudas? æstuas qui aliquando insultabas æstibus artificiosâ nuditate vestitus? Sed quis explicet intolerabilem illam sitim, cui præ omnibus tormentis solatium quærit atque remedium? *Mitte* [inquit] *Lazarum qui intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam*: Chrysologus Serm. 66. Lingua plus ardet, quæ, ut misericordia fieret, jubere neglexit: lingua in tormentis prima est, quæ derogando pauperi, pauperis blasphemavit authorem: Et Serm. 124. Lingua in capite, caput mali. Ipsa derogat egeno, insultat pauperi, pietatem latrat, misericordiam carpit, & meritò prima est in gehennâ, in cruciatu prævia, dux pœnarum, quia ipsa interdixit misericordiam, cui datum fuerat, ut juberet.

Eam-

Equidem præcipuè fit mentio ſitis quia maximè ſolet eos torquere qui in flammis torrentur: adhæc quoniam lingua plurimum offenderat: epulabatur quotidie, blaſphemabat, detrahebat, &c. Sed licet guttam petat, gutta ei denegatur: Chryſol. Serm. 122. Puto dives quod & aquam pauperi tu negaſti, cui ne ingrederetur januam tuam, ne ad puteum tuum perveniret, canes quam plurimos objeciſti: Sed nimirum negatur gutta, quoniam micas negavit: hæc gutta, micam negatam arguit: gutta iſta ſatis æquat pretio micam quam denegaſti: ô gutta! ô mica! una eſt pœna alterius, ſicut una fuit alterius crimen. Quid referam quid paſſus ſit in reliquis membris cùm flammâ omnia membra penetrarentur? *Quia crucior in hac flamma*: quale incendium pertulere oculi, non caſti? quale manus? quale guttur? quale membra libidinoſa? &c. Huc accede, quiſquis ades, atque hominem in vita delicatiſſimum, delicioſiſſimum, qui nihil unquam triſte fuerat paſſus, nullum dolorem ſenſerat, aſpice in cruciatibus, in ſumma inedia, in ſumma nuditate. Prôh Deus! quæ mutatio? Chryſol. Serm. 66. Tu dives fulgens quondam purpurâ, nunc tegere ſimo: pro coccino, veſtire flammis: pro molli diſcubitu, ſuſtine tormentorum dura: pro tantis ferculis, epulare pœnas: copiam inopiâ compenſa: ebrietates ſiti digere: pro odoribus aſpergere fœtore: & cui adſtiterunt voluptatis obſequia, adſtent tibi nunc miniſteria pœnarum.

4. In eo fuit ſumma derelictio ab omnibus, ita ut cogatur auxilium petere ab inimico: Quis pudor, cùm peteret, & ab eo quem ſciebat à ſe ſemper deſpectum fuiſſe, & cui omnia ſemper negaverat? ut ſcias commutatas vices, & cogi ab eodem illo petere, qui à ſe olim ſtipem quæſiviſſet. Cogita quàm ægrè ferant homines inimico egere; cogita etiam ſummam hominis ſuperbiam, & faſtum: tantam tamen fuiſſe neceſſitatem atque inopiam ut rogare inimicum cogeretur, nec aliâ ratione ſolatium habere poſſet.

5. Pars ſupplicij ipſius, alterius fœlicitas viſa cum livore, & invidia. Nam *elevans oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, vidit à longè Abraham, & Lazarum in ſinu ejus.* Id eſt, vidit lautè convivantes, cùm ipſe eſſet egentiſſimus, ac fame, & ſiti diſcruciaretur: Se itaque in tormentis; Lazarum autem in convivio: ſed quali? in ſinu Abrahæ: Chryſol. Serm. 122. Jam vobis verſæ ſunt vices: vides ejus gloriâ, ejus ſupplicium ſic ſpreviſti: videt ille cruciatus tuos, qui te tunc tuâ mirabatur in gloria. Rectè autem advertit Chryſoſtomus conc. 2, de Lazaro. Ideò Divitem Lazarum vidiſſe: 1. Quia in vita dixerat, quorſum mihi opus pietate ac virtute, cùm omnia ex animo luccedant: hic pauper qui piè vivit, innumera patitur mala: debuit igitur videre, quid utrumque prodeſſet. 3. ut pateretur Dives, quæ paſſus erat Pauper: ſed & graviora: ut enim graviorem reddidit Lazari famem præſentia Divitis, cùm videret aliena commoda: ſic cùm Dives eſſet in gehenna, gravius fuit ſupplicium, Lazari videre delicias; ut non tantùm à natura ſuppliciorum torqueretur, verùm etiam honoris comparatione: ut Deus ejectum Adamum è Paradiſo, juſſit habitare è regione. Ac ne hoc ſupplicium leve exiſtimes, omnium maximum judicavit Sãctus Chryſologus Serm. 66. Scitur qua te plus fœlicitas Lazari, quàm gehennæ torquet incendium.

6. Negatio omnis boni, cui vel gutta negatur: quod enim bonum minus eſt? cogita quanta ſit miſeria omni modo miſerum eſſe. Ad hæc quis contemptus ipſius, & quod iudicium vitæ ipſius, ut judicetur indignus omni bono? Hominibus ſceleratiſſimis & ultimo ſupplicio damnatis quædam humanitatis officia non denegatur, huic omnia ut intelligas

ſup-

suppliciis maximis dignum fuisse, omni gratiâ indignum.

7. Negatio consolationis, hæc enim saltem per guttam significatur. Sed sicut olim Lazaro omne opus humanitatis ac saltem verborum denegarat, ita ne leviùs mala sua sentiat, omnis illi consolatio negatur. Chrysol. serm. 122. Sitis extremi digiti guttam, quam si vel solam dedisses pauperi, non sitires: immisericordem te gutta, & mica reddidit inhumanum.

8. Exprobratio præteritorum: *Fili recordare quia recepisti bona in vitâ tua.* Hæc sunt verba vel ipso fulmine intolerabiliora: jubet enim conditionem suam ponere ob oculos. Filium vocat, ut doleat, quòd cùm esset filius secundum naturam Abrahæ, exclusus tamen sit à regno & hæreditate: Et *filij regni ejicientur in tenebras*, &c. Non igitur imputet odio, aut malæ voluntati, aut vindictæ, quandoquidem eum etiam in eo statu agnoscit filium suum; sed suis demeritis, quæ magna esse debuerunt, ut filius sic à patre tractaretur. Quòd autem jubet ut recordetur, vitam omnem præteritam ob oculos ponit, ac data beneficia: Ait enim *Recepisti bona*: sed si recepit, non certè bona pro bonis, cùm nullius boni fuerit conscius, igitur bona pro malis: Certè non facilè ferimus nobis beneficia exprobrari, hoc tamen cogita quantâ id faciat Deus indignatione, & quo Dives patiatur pudore.

9. Quòd coactus ad ea officia quæ semper neglexerat, elevavit oculos, quos semper depresserat: Abraham vocavit patrem, cujus tamen mores nunquam imitatus est; *rogote Pater*, Chrysolog. Serm. 69. Stultus in vitâ Dives, stultior invenitur in pœnâ: & qui bonorum suorum nescivit tempus, nec malorum suorum tempus miserandus agnoscit. Chrzsostom. Conc. 2. Vides quanta res sit afflictio, cùm procul absit, invocat. Ad hæc Lazarus præteritur, nunc cùm procul absit, invocat. Ad hæc Lazarum inclamavit, ejusque opem quem semper neglexerat, Chrys. Serm. 123. Modò & tardè Dives Lazarum ad domum patris sui non misericors, sed miserandus invitat. Deinde curam habet fratrum: *Mitte Lazarum, habeo enim quinque fratres.* Chrysolog. Serm. 123. Et putas quòd quinque fratribus tuis sufficit Lazarus, qui tibi tanto tempore, tot vulneribus suis toto clamans corpore, nihil profecit?

10. Quòd in ea incidit quæ nunquam putarat. Etenim cùm viveret, quæ de inferis dicebantur, semper nugas existimarat, quod ita se res haberet: Quod colligere possumus ex eo, quòd Abrahamum rogaret, ut Lazarum mitteret ad fratres suos, ne venirent in hunc locum tormentorum: cùmque Abraham diceret ipsos habere Moysen & Prophetas: subdidit, *Non, Pater Abraham.* Hoc est, illud non sufficit: Etenim quoniam ipse audierat Scripturas, contempserat, deriserat, fabulas esse dixerat, quæ dicebantur, erga hæc sic affectus dum viveret; ità & ipse de fratribus sentiebat: Illi [ait] sic opinantur; quòd si quis ex mortuis redierit, non derogabunt fidem illi, nec deridebunt, sed potiùs auscultabunt iis quæ dicentur: Chrysolog. Serm. 66. Hoc Dives de cordè omnium dicit, hoc de desideriis cunctorum petit, hoc de votis omnium loquitur mundanorum: omnes enim susurrare consuevimus, ô si quis veniret à mortuis, & quod ibi agitur, hîc referret, omnes crederent ei: Id autem multis modis refutat. Unde Abraham *si Moysen & Scripturas non audiunt, nec si quis ex mortuis resurrexerit credent.* Nam dubitarent de resurrectione, dicerent, quis inde venit, unde nemo venit? post mortem, quod sit aliquis, quis probabit? &c.

11. Impossibilitas consolationis: *Et in his omnibus inter nos, & vos, chaos magnum firmatũ est,*

est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare: quasi diceret. Et præter hæc omnia, hoc est etiam si æquitas non exigeret rerum commutationem, non possent tamen tibi subvenire, etiamsi maximè vellent: ut scias summam esse rerum desperationem propter impossibilitatem: quæ res damnatos maximè torquebit dùm intelligent suis malis adhiberi non posse remedium, sed vulnera immedicabilia.

12. Hujus miserandi status æternitas, *ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare*: Infœlix totam æternitatem cruciabitur: peteraquæ guttam, nec impetrabit! cui sic exprobrat Chrysol. ut jam retulimus, Ser. 122. Sitis extremi digiti guttã, quam si vel solam dedisses pauperi, nõ sitires? Quot sæculis misericordiam implorabit? sed frustrà *Miserere* (inquit) sed ut subjicit Chrysolog. Serm. 124. Quid illi cum misericordiâ? cui jam totum in pœnam: aut quæ illi supplicatio apud Patrem poterit subvenire, cui in simul Patris residet accusator? pectus Patris Lazarus tenet, & totam sancti cordis pulsat æquitatem; quatenus se filii patrem boni, mali judicem servet. Hîc mihi liceat te, ô divitum infœlicissime, compellare. Quis tibi tunc sensus, quæ mens, quis animus, seu te, seu Lazarum aspiceres, seu tuum præsentem statum cum futuro componeres, seu Lazari utrumque statum perpenderes? Quid censes, infœlix, quid censes de divitiis tuis, de tuo fastu, de superbiâ tuâ, de deliciis tuis, de conviviis tuis, de tuis voluptatibus, de brevitate vitæ antè actæ, de vanitate rerum omnium, de opum instabilitate, de fallaciâ hominum, de eorum cœcitate, de futuræ vitæ veritate, ejusque momento? Quis tibi mœror de præterito? quas in angustias te conjiciunt dolores præsentes? quam tibi desperationem infert cogitatio æternitatis? Quid judicas de flãmis istis incendiisque? Quidquam ne parin præsenti vitâ vidisti? Quid de rabidâ siti istâ, quę te absumit, adurit te, viscera tibi corrodit? Tu qui nũquã in vitâ sciviśti quid esset dolor, quid fames, quid sitis, quid tormentũ, & quid afflictatio? Sed quot sæcula sunt, cùm cruciatus istos sustines? Sed quot iisdem tolerandis supersunt? ô quam rabiem tibi non affert æternitatis cogitatio! quid non velles fecisse? quid non in præsenti vitæ passus fuisse velles? odolores! ô pœnitẽtia? ô angustię! ô desperationes: Sed hæc plusquàm satis de Divitis infœlicitate, & prodigiosâ commutatione.

Quòd si Divitis commutatæ sunt vices, certè illæ quæ sunt Lazari minimè neglectæ: Audi Chrysolog. Serm. 66. Hinc est quod recipit pro doloribus requiem, pro opprobrio gloriam, pro contumeliis honorem, pro despectu gratiam, pro pœnis immortalitatem, pro vulneribus præmia, pro siti refrigerij fõtem, pro fame cœlestis mensæ delicias sempiternas: & quem divitis angulus non cepit, sinus divinæ consolationis includit. Pauperis itaque vicissitudo summa est ipsius fœlicitas opposita miseriæ divitis Epulonis. Hæc autem fœlicitas

1. Consistit in abolitione omnis mali, secundum illud; *Nunc autem hic consolatur; tu verò cruciaris*, nempe quoniam *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt*. Repete itaque memoriâ, quid passus sit in vitâ, ac scito omnia illa esse finita, ac præterita: immo quæ pati poterat, quoniam ab omnibus securitatem nactus est, & in tuto collocatus: quod nunquam obtinetur in ulla hujus vitæ fœlicitate, quam vel timor, vel periculum, vel jactura turbat.

2. Cõsistit in possessione omnis boni significata per vicem mutatam bonorum, & malorum: cùm enim dicitur Epuloni. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero*

tu vero cruciaris, sensus est: cū sint mutatæ vices, atque Lazarus nihil habuerit in vita boni, sed omnia mala, nunc sequitur ut in altera vita, omnia bona possideat: nihil mali patiatur. Considera vim vocis hujus *Consolatur*: Non itaque desunt divitiæ, rerumque omnium copia, à quo etiam dives stipem roget: *gloria & divitiæ in domo ejus*: Non desunt delitiæ in epulis sempiternis non indignis Abrahamo, & ipso regnante, atque in fœlicitate constituto: certè sapientia æterna epulis gloriam designare consuevit in Evangelio: *Simile est regnum cœlorum homini, Regi qui fecit nuptias filio suo*: Quis explicet vitæ æternæ cœnam illam, splendidam, regalem, atque opulentam, quando ipse Deus convivas *faciet discumbere, & transiens ministrabit eis*, cùm se præcinxerit; Quis honor major esse potest quàm habere Deum ministrantem? quæ delitiæ majores unde aberit fastidium, Deo semper novâ ferculâ ingerente. *Et transiens ministrabit illis*. Porrò Lazarum in epulis fuisse designat sinus Abrahæ, & lectulus convivij, & divitis postulatio, qui ex tanto convivio postulet tantùm guttam.

3. In honore: qui inde significatur, quòd cum Abrahamo, hoc est in eâdem mensâ: & in sinu ejus, hoc est, quòd ei proximus accumbat.

4. In Societate: quòd epuletur cum Iustis: ubi enim omnes justi nisi in sinu Abrahæ?

5. In recordatione præteritorum & tolerantiæ: Nam si dicitur Epuloni, *Fili recordare, quia recepisti bona in vitâ tuâ, Lazarus autem similiter mala*, multò magis laborum suorum Lazarus meminisse debet. Quam nunc securè cogitat de jactatione in portu: quàm fœlices existimat cruciatus, qui tantâ fœlicitate compensantur! quàm dulcem famem illis epulis resarcitam! Caruerat domo & tecto, & humi jacuerat in alieno vestibulo qui nunc recipitur in sinu Abrahæ, ubi æternum habitabit: Omnibus eguerat, qui nunc omnibus affluit: Non micas de mensâ cadentes colligit, sed cum ipso Abrahamo ex æquo epulatur: Non jam ulceribus plenus, qui indutus veste nuptiali, cum ipso Abrahamo sedet: Non jam lingvis canum lingitur, sed Angelis stipatur: Non tabo diffluit & sanie, sed ungvento pretioso totus est delibutus. Quam juvat nunc meminisse stadij, & arenæ, ubi depugnavit contra paupertatem, morbum, nuditatem, solitudinem, mœrorem, contemptum! Quàm jam ille dissimilis à seipso: Olim in divitis januâ sedit ac jacuit vivens cadaver: Nunc quàm gloriosus in sinu Abrahæ! Olim micam optabat: Nunc in æternum epulatur. Cerne ulcerum ac vulnerum locum, quære famis dispendia. Quot Angeli pro canibus occurrunt?

6. Denique pro bonorum omnium cumulo adest securitas, atque æternitas hujus possessionis, significata per sinum Abrahæ. Quis enim inde illum abstrahat? Non vis extranea, quia nulla potest eò pertingere: Non voluntas propria, quia nihil melius, nihil suavius cogitari potest: Non Abrahæ odium, nam ejus amor maximus est, & tenerrimus erga eum quem habet in sinu: hic enim sinus est omnium jactationum & tempestatum portus, hic securitatis status, hæc laborum meta, hæc messis coronarum.

Ex his omnibus, & ex tàm dissimili rerum conversione satis Dei Providentia ab omni suspicione criminis vindicatur, immò & sapientissimè agere ostenditur. Nam si in ullo genere est mirabilis, certè in istâ dispositione in quâ fallit omnem sapientiam humanam: In qua virtuti, primò palæstram, deinde præmium præparat: Quæ quos vult castigare ob peccata, & reprobare ob crimina, prius beneficijs ad se pellicit, ut reddat inexcusabiles; Quæ culpis exiguis, minimas hujus vitæ

pœnas destinat: criminibus autem & sceleribus, maximas & æternas : Quæ exiguis bonis operibus, & non veris virtutibus, exigua hujus vitæ bona donat, sed veræ & solidæ virtuti, æternæ, & maxima præmia: Quæ nos docet, quanti æstimare debeamus, hujus vitæ bona, & mala : cùm ea bona inimicis suis non deneget : mala autem à suis non removeat. Quæ nos docet ut hanc vitam non spectemus, sed alteram secundùm illud Apostoli. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur ; quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ non videntur æterna.*

Sed ex tam præclaro Evangelio eliciendi sunt fructus.

1. Itaque instruuntur Pauperes & Divites: nam quod jubet Paulus divitibus præcipi *alium non sapere, neque fidere in incerto divitiarum*, ut melius fit quam hoc in exemplo? Cerne ô Dives, quò divitiæ perducant & deliciæ. Vide tui similem, in hac vitâ olim beatum; in alterâ quàm dissimilem! Vide, qualis in vitâ & post vitam. Tu idem vide Paupertatis finem atque exitum : Vide quid expectare debeas, quid timere: Judica num vera sit oratio Jacobi, cap. 5. Epistolæ suæ Canonicæ. *Aud te nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris; quæ advenient vobis: divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt: aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis.*

Item cogita illud Christi Domini Lucæ 6. *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram: Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis: Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis*, &c. Quid vero aptiùs pauperibus afferri potest, ne aliorum felicitate perturbentur, neque putent res humanas absque providentiâ ferri? Sciant quâ mercede paupertatem tolerant: Discant quâ patientiâ ferre omnia debeant : Illo exemplo, illâ mercede propositâ, hac se cogitatione solentur: De rebus uti oportet, judicent: Non magni faciant præsentia sed futura, & ut mox dicebat Apost. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*, &c. semper ad æterna anhelent. Itaque & pauperes & divites sic alloquitur, Chrysostom. Conc. 4. de Lazaro hanc Parabolam inscribite divites pariter ac pauperes : divites quidem in parietibus domus vestræ ; pauperes autem in parietibus animi vestri : & si quando deleta fuerit oblivione, ilinite denuò ab initio reminiscentes. Immò verò etiam divites priùs in mente quàm in ædibus hanc inscribite, semperque circumferte, & erit vobis documentum, materque totius Philosophiæ. Nam si hanc jugiter inscriptam animo teneamus, neque hujus vitæ lætâ poterunt nos inflare, neque tristitia dejicere; sed non aliter quàm afficimur picturis in pariete additis, erga hæc utraque afficiemur.

2. Instruuntur ne propter improborum felicitatem, & propter justorum inopiam & afflictionem conturbentur. Et enim docentur justissimam esse atque æquissimam Dei Prudentiam. 1. quæ semper pro meritis ea computat, unde dicitur diviti, *fili recordare quia recepisti bona in vita tuâ, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Sciant itaque hanc vitam non esse justitiæ & mercedis tempus, sed probationis ; alteram verò vitam omnia judicare: ambo siquidem pro dignitate recipient illic, hic quidem coronam patientiæ, ille verò supplicia pœnasque improbitatis. Neminem ergò moveat præsentis vitæ inæqualitas, sed videat alterius vitæ æqualitatem. 2. Quandoquidem quæ in justis minima sunt peccata, illa minimis malis, quæ sunt hujus vitæ calamitates, castigat, summas verò virtutes eorum, summis bonis, hoc est semper duraturis, remuneratur:

quæ

quæ verò in peſſimis hominibus, ſemper ſunt minima bonis, qualia ſunt præſentia compenſat; hæc verò ſummis malis, qualia ſunt futura, plectit.

3. Hinc dijudica quis ſit finis divitiarum & vitæ actæ in deliciis: Neque tu leve hoc crimen putes: neque enim narrantur alia divitis Epulonis mala quàm quod cùm dives eſſet, epularetur quotidiè ſplendidè, indueretur cultu regio, byſſo nimirum & purpurâ. Ad hæc quantum ſit vitium immiſericordia: non enim narrantur divitis facta, ſed quòd pauperem præteriret, dum ſibi indulgeret. Idcircò Chryſoſtom. Cantic. 2. artic. Et hoc rapina eſt, non impertiri de ſuis facultatibus: quod variis modis probat. Itaque Chryſolog. Sermon. 123. Si tantum divitis hujus eſt crimen, quia recepit bona, quantum reus qui invadit indebita? Tu verò ne obtendas conditionem & gradum, Hic enim quoque dives erat: Non ex rapto ſed ex ſuis ſibi indulgebat: Vide tamen quò tandem reciderit, *ſepultus eſt in inferno*, in tormentis exiſtit, cruciatus in flammâ.

4. Quæ ſit toleratæ patienter paupertatis & morborum compenſatio: Non quæritur ut multa agas, ſed ut patienter toleres. Cogita virtutes Abrahami, itinera, peregrinationes, fidem, charitatem, ſuſceptionem peregrinorum, filii immolationem. Non hæc omnia præſtitit aut potuit præſtare Lazarus: quia tamen inſigniter fuit miſer, Abrahamo in glorià par fuit, atque ſimilis.

5. Id quaſi natura comparatum eſſe, ut æqualiter inter homines bona malaque dividantur. Itaque qui in hac vitâ bona habuerunt, in altera mala pati debent; qui in hac vita mala tulerunt, bona in altera ſperent, ut Chryſoſtom. Conc. 3. de Lazaro. Tu igitur tecum ſtatue, utrum malis hîc brevi tempore, levia perferre, an poſt mortem graviſſima: maliſne te exponere periculo cadendi in miſerias æternas, quibus dives ille infelix cruciatur & cruciabitur in æternum; aut potius levibus incommodis & pœnis beatam Lazari ſortem æternamque felicitatem aſſequi? ad quam perducat nos DOMINVS JESVS CHRISTVS, Amen.

FERIA QVINTA
DOMINICÆ SECUNDÆ
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO QVARTA

Quæstiones quædam de Divite & Paupere proponuntur & solvuntur.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè
Lucæ 16.

PULCHRE & rectè dixit S. Chryſoſt. Scripturam Sacram ſimilem eſſe pictnræ, quòd ut hæc multa oculis repræſentat, ita viciſſim illa animis omnia ſubjicit quæ ad mores pertinent in exemplis quæ nobis proponit : hoc tamen diſcrimine, quod pictura ſolum affert delectationē, nullā autē utilitatē ; neque enim Rex effici poſſum regis effigiem ſpectando, neq; formoſus , pulchram ſpeciem intuendo; facit tamen Scriptura meliores dùm meliorum exempla proponit, Hoc ad Chryſoſt. dictum , addamus; Sicut in tabellis poſtquam picturam ſpectavimus , & ſumus demirati, cancellaturæ etiam ornatum , atque apparatum ſpectamus : ita in Scripturâ , ubi potiſſimùm ſenſum ſpectavimus, de minimis etiam eius particulis utilitatem , & fructum aliquē quærimus. Igitur poſtquàm ex Evangelio de Divite Epulone,& Lazaro, quod præcipuū erat,attigimus, quæ ſunt minora placet non negligere,atque ex propoſito nobis exemplo varia repetere documenta , ne nobis aliquid pereat. Nam ſi aurifices,ait Chryſoſt. non ſinunt minimam auri particulam perire : multò magis id obſervare debemus in literis ſacris,præſertim, ut impleatur illud Chriſti dictum, *Quia*

Quia jot aunũ, aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant; quod si dictum est de lege veteri, quantò magis de lege novâ? *Ideò omnis Scriba doctus similis est homini Patrisfamilias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera*: Id itaque faciemus propositis quibusdam quæstionibus quæ facilè occurrunt in hoc Evangelio, non tractatis subtilioribus.

I. Quæstio hæc est, an hoc Evangelium parabolam contineat, an veram historiam. Scio quosdam opinatos, esse parabolam: Ita Theophylactus qui contra sentientes appellat ἀνοητὰς, insipientes. Idem sentiunt Justinus, Theophilus Antiochenus, & aliquando S. Chrysost. Probant 1. Quia Christus non est solitus afferre historias. 2. Quia multa dicuntur, quæ convenire non possunt historiæ, uti visio Lazari, collocutio cum Abrahamo, & illa tota Divitis sermocinatio. Alij tamen passim docent esse historiam. Ita Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Ambrosius, Euthymius, aliquando etiam Chrysostomus, & alij plerique: 1. Ratio ex Origene, & Chrysostomo. Quia in Parabolis nominari non solent personæ, hic autem nominatur Lazarus: Ita Origenes contra quosdam Judæos, docet in libro Jobi non contineri parabolam, sed historiam, propter nominatas personas: 2. Quia Christus nullam parabolam accepit ex iis rebus quæ fiunt in alterâ vitâ, quòd parabola ad faciendam intelligentiam sit inventa; & ideo sumi debeat ex iis, quæ vulgò nota sunt, qualia non sunt, quæ pertinent ad aliam vitam. Est igitur exemplum rei gestæ in alterâ vitâ, quam Deus ignorare non potuit: itaque Christus in eâ narratione, se Deum esse ostendit; atque penes eum, ejus rei fidem esse.

Respondeo 1. Mihi historiam planè videri mixtã parabolæ: Nã quòd historia sit rei totius substantia, convincit quòd pauper sit nominatus. Adde quod Ecclesia hujus Lazari pauperis Festũ celebrat, & ei alicubi Templa dedicat, igitur personæ non fictæ. Addidi tamen quædam esse mixta parabolica, qualis est sermocinatio Divitis cum Abrahamo, ardens lingua & guttæ petitio: quibus rebus Christus nostro more, & ex humanâ consuetudine supplicium divitis Epulonis ostendit quanquàm multa cogitatione fieri potuerunt.

Respondeo 2. Quidquid tandem sit vel historia, vel parabola, non minus illud totum esse formidabile, nec minus veram doctrinam continere: Nam si historia est, quod uni contigit, illud est quod aliis solet contingere: si parabola est petitur ex aliquo probabili, cuius significatio veritatem continet, omnis enim parabola Christi aliquam probat veritatem, illa autem est ejusmodi: In alterâ vitâ mutari vices divitum, & pauperum, nec cõuniter fieri ut qui in hac vita fuerit beatus, idem sit in altera; nec contra ullus miser in utraque. Huc facit quod ait Tertullianus, semper ex vero trahi parabolam. Jam quoad effectum, quàm multos hoc Evangelium convertit? illud cogita, hanc doctrinam profectam esse à Sapientia divina, ut veritatem aliquam tibi & mihi, & omnibus mortalibus persuaderet. Cùm enim Christus in superiori parte capitis auditores suos revocaret ab amore divitiarum, quas in pauperes distribuendas esse docebat, si divites salvi esse vellent, & cùm Pharisæi ob avaritiam eum deriderent: *audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum*: propterea Christus ut quos persuasione inducere non poterat, metu terreret, terribile eis proposuit exemplum, quo & à divitiarum abulu deterreret, & ad benignitatem in pauperes compelleret: simulque intelligerent homines, non in divitiis fœlicitatem esse positam, neque miseros esse pauperes, ut vulgò homines judicant, cùm exitus & finis divitiarum sit damnatio, & paupertatis benè

toleratæ

toleratæ exitus ſumma fœlicitas: quod in illuſtri probat exemplo, di vitis in ſpeciem fœliciſſimi, & pauperis in ſpeciem omnium mortalium miſerimi. Vnde hæc verba Chriſti Domini: *quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum*: quaſi diceret quod hominum judicio, vulgò æſtimatur ſummum bonum, & quod vulgò maximè optant ſcilicet ut divites ſint: id Dei judicio ſummum eſt malum, quia divitiarum poſſeſſionem vel uſum certa ferè ſequitur damnatio.

2. Quæſtio eſt, cur Chriſtus Dominus cùm de divite, & paupere loqueretur, pauperis nomen appellavit, *& erat quidam mendicus, nomine Lazarus*, divitis autem nomen preſſit ſilentio. Tradunt Hebræi, ſi Euthymio credimus Ninenſem fuiſſe appellatum, ſed quidquid ſit Chriſtus eum ne nominare quidem dignatus eſt, cujus rei cum variæ à SS. PP. Scripturæ Interpretibus dentur, hæc mihi ſupra omnes maximè placet, ideò ſupreſſum Divitis nomen, ut inde diſcamus ait S. Gregor. contrarium evenire apud Deum quàm ſoleat apud homines: nam apud iſtos plus ſciri ſolent nomina divitum quàm pauperum, & cùm de divitibus eſt ſermo, ſolent eorum nomina cum honore, & titulis apellari: cùm verò, de pauperibus, quia aut neſciuntur eorum nomina, aut ſi ſciantur, indigna cenſentur appellatione, dici ſolet, homo quidam, aut pauper quidam: at Deus contra humiles abjectos & incognitos mundo, ex nomine novit & approbat: ſuperbos verò & honoratos ignorat & deſpicit, unde in Pſalmo ex perſonâ Chriſti. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Ex quo docemur homines improbos ac ſceleratos, licet in mundo magni eſſe videantur, nihil tamē eſſe faciendos: è contrario vero probos homines, licet in mundo abjecti eſſe videantur, maximi tamen eſſe æſtimandos. Et propterea Chriſtus Lazarum licet mendicum cum laude nominavit: divitem autem ne nomine quidem dignum cenſuit.

Ratio 1. eſt. Quia ab externis non ſunt homines judicandi: Cùm enim in nobis alia ſint externa, alia interna; illa minima ſunt, hæc optima: unde ſi cætera ſunt magna, & vilis anima, omninò negligendus eſt homo. Ambroſius lib. de Inſtitut. Virginis cap. 3. quærens cur animalia ſint ab initio laudata, non homo, ſic reſpondet. Nihil in beſtijs plus reperias, quàm quod videtur: in homine, nihil eſt inferiùs, quam quod videtur, qui cum & animo conſtet, & corpore, hoc utique in eo ſervit, quod videtur; illud autem regit, quod non videtur. Merito ergo alia in exordio laudantur, iſtius laudatio non promitur ſed reſervatur: quia aliorum gratia foris, huius intus eſt. Quid enim tam altum, & tam profundum, quam mens hominis, &c, Ideò ergo, inquit, homo non ante laudatur, quia non in forenſi pelle, ſed in interiori homine ante probandus, ſic prædicandus eſt. *Hæcille.* Sed vulgus quia rebus externis movetur laudat externa: hoc reprehendit Seneca Epiſt. 27. l. 10. gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur, ſed cui ad ſecandum ſubtilis eſt acies: regula non quæ formoſa, ſed quæ recta ſit, quæritur: ergo homine, nihil ad rem attinet, quantùm aret, quantùm fœneret, à quàm multis ſalvetur, quàm pretioſo imcumbat lecto, ſed quàm bonus ſit. Contrarium appellat S. Hieronymus cæcitatem, & ignorantiam Epiſt. ad Euſtoch. Nihil nobis poteſt clariùs oſtendere, quantâ cæcitate, & ignorantiâ, noſtrâ hâc tempeſtate homines laborent, quàm quod venerantur externos hominis apparatus, cùm præclaras hominis dotes nihil facimus. Et S. Chryſoſt. hom. 10. in 1. ad Theſſal. vocat incantationem: Incantatio quædam eſt & præſtigium, quod aurum, & argentum tantoperè à nobis honoratur.

Vnde

Unde id proveniat docet Philo lib. de insomniis, dùm ait, indicium esse animæ pauperis, & nullius magnanimitatis, has materiales mirati divitias, & proprium illud esse imperiti populi quiq; solis præsentibus est intētus.

2. Ratio est. Quia homines improbi non plus æstimandi sunt quam cadavera, immò ac si nihil essent. Dixi cadavera, quia mortui sunt: Augustini sunt verba. Deus amissus, mors est animæ; anima amissa, mors est corporis. Itaque cadavera sunt sese moventia. Bernard. ser. 1. de Apostolis. Non vivit homo, qui superbiâ inflatur, qui luxuriâ sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus, quoniam non est vivere, sed vitam confundere. Et hoc fundatur in Scripturis dicitur enim Ezech. 18. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*: non abolitione substantiæ, ait Hieron. sed ex eius divortio, qui dicit, *ego sum vita*: ac licet peccator vivere videatur, reipsâ tamen mortuus est, secundùm illud Apocal. 3. *Et nomen habes, quia vivis, & mortuus es.* Sicut itaque cadaver cujuscunque cùm fœtet, est in horrore, non in honore, ita quilibet peccator in horrore est. Immò quilibet peccator per peccatum in nihilum prolapsus est: Itaque sicut de quodam, hoc est de Rege Tyri dixit Ezechiel cap. 28. *Nihili factus es, & non eris in perpetuum*: idem de peccatoribus dici potest quos Deus habet loco nihili: unde nec illos nominat, nec numerat inter entia. Sic impios appellabat Esther c. 14. *Ne tradas Domine Sceptrum his qui non sunt*: Et Paulus Rom. 9. appellat Idololatras, *Non gentem*: & Moyses Deuter. 32. *Non populum*: & Deus Osee 10. *Voca nomen ejus, non populus meus*: quod S. Petrus referens bat Epist. 1. c. 2. Vocat, *non populus*: quæ secutus D. August. 19. de Civit. Dei cap. 21. ostendit Romanam rempublicam: & in universū, populum qui æquis legibus non tenetur, non esse populum. Hinc egregiè Chrysost. ponderat dictum illud. *Vir erat in terra Hus nomine Job.* Nunquid ait, solus Job in illa? solus respondet, quia solus Justus: ob id non solùm dicitur, *Vir erat in terra Hus*: sed *hic erat simplex, & rectus, & recedens à malo, & permanens in innocentia sua*: Rationem habet horum etiam Eccl. cap. ult. *Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo*: extra illud nihil est, ac in nihilum prolabitur, quia à summa essentia recedit, & quasi ad non esse tendit, quoniam ab eo recedit qui verè est, quod faciendo, benè esse amittit. Jam vide quanti nihilum facere debeas, & quam ejus rationem habere oporteat. Si verò nescias, disce ex Basilio, qui interpretans illud Psalmi 14. *Ad nihilum deductus est malignus in conspectu ejus, timentes autem Dominum glorificat*: Qui virili præditus est fortitudine [inquit] & ad summum jam pervaserit justitiæ habitū, suum jus ut cuique pro dignitate dispertitur, ac distribuit & malignè agentes, novit ad nihilum deducere, quantolibet magistratu illi polleant, quantislibet illi referti opibus se vēditent, sint licet generis claritudine conspicui, ac illustres, & quemlibet sui nominis splēdorem sustollant, ac celebrent; tantùm si in illis deprehendatur illa vitæ malignitas, hos ad nihilum deducit, hoc est ne tantillum quidem æstimat, quod excelsi prorsus est, ac præstantis animi. Itaque sic se Sancti gesserunt, adversus peccatores: Ita Elias 3. Reg. cap. 18. cum ei Achab occurrisset, ac diceret. *Tune ille qui conturbas Israël?* Vide quid homo pauperrimus, & solâ suâ melote notus, potentissimo, & irato regi responderit: *Non ego turbavi Israël: sed tu, & domus Patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim*: Eodem modo discipulus ejus Elisæus 4. Reg. cap. 3. cùm eum Joram rex Israël, comite Josaphat Rege Juda, interrogaret de belli successu: *Quid mihi, & tibi est*, respondit: *Vade ad Prophetas Patris tui, & Matris tuæ*: cumque

rex ſciſcitari pergeret, vide quantùm impium regem neglexit: *Vivit Dominus exercituum in cujus conſpectu ſanctio, quod ſi non vultum Joſaphat regis Judæ erubeſcerem ; non attendiſſem, quidem te, nec reſpexiſſem*: cogita hominem ab aratro ſumptum, & regem alloquentem: Nota eſt hiſtoria Mardochæi Eſtheris 3. Nam cùm omnes ſervi regis qui in foribus palatii verſabantur, flecterent genua, & adorarent Aman, *ſolus Mardochæus non flectebat genu*, indignũ ratus homini impio, & ſcelerato honorem deferre. Mitto innumera exempla in Scripturis, quomodo Regẽ Tyri alloquitur Ezechiel: Sobnam Templi Præfectum Iſaïas, Sedechiã Jeremias, & alii innumeros Reges, Duces, ac Principes. Nam ; præterquàm quod crimina & ſcelera homines efficiunt contemptibiles, etiam dominos ſervis, Viti ſancti judicium DEI & æſtimationem ſequuntur. Ad hæc Sancti poſtquàm DEI familiaritati aſſueverunt, ejus altitudinem, & majeſtatem admirati, nihil extra ipſum ſuſpiciunt : nam ut ait Cyprian. libr. de ſpectac. dejicit ſe de culmine generoſitatis ſuæ, qui admirari aliquid poſt DEVM poteſt. Itaque quidquid DEO repugnat, id tanquam cœnum illi abhorrent, ac deteſtantur : intelligunt enim ab ipſo duci omnem nobilitatem, excelſitudinem, bonitatem; & proinde eum qui non ſit conjunctus cum DEO, judicant nihil in ſe habere quod magni faciant. *Qui me contemnunt, erunt ignobiles.* 1. Reg. 2. Talis fuit S. Babylæ ſenſus, authore Chryſoſtom. dùm armatum Regem, atque exercitu cinctum non timuit : Cùm enim oculis mentis ſibi Deum in cœlo exiſtentem repræſentaſſet, & circa eum innumeros Angelorum exercitus, non aliter furentem tyrannum aſpexit, quàm pulverem ac cœnum. Ita de Moyſe ſcribit Apoſtolus, Hebr. 11. *Fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem Regis : inviſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit* : Protereà cùm Pharaonem videret cum toto equitatu, furentem, & ſe perſequentem, opus ſuum continuavit, atque populum eduxit ex Ægypto, nihil moratus Regem, quia DEVM intuens, ſeſe obfirmavit, atque ut alii vertunt, obduruit : Hinc itaque documentum accipias, ut improbos atque Deo adverſarios, quantumcunque magni, atque illuſtres aliundè fuerint, contemnas, & nihili facias : Siquidem Jerem. 9. *Hæc dicit Dominus : Non glorietur ſapiens in ſapientiâ ſuâ, & non glorietur fortis in fortitudine ſuâ, & non glorietur dives in divitiis ſuis, ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire, & noſſe me* ; cui accinens Hieron. Omnium hominum ait, aufertur ſuperbia, dùm & ſapientia & fortitudo, & opes eorum reputantur in nihilum, Itaque ſi deſit virtus, hominem doctum abominare ut dæmonem : mulierem formoſam ut cœnum: hominem potentem ut leonem ac feram : & hominem divitem contemne, ut ſtercus terræ, ut ſomnium, ut vanam imaginem, ut mendacium: Ita generoſus Nathathias 1. Machab. c. 2. cùm filios ſuos moriens adhortaretur: *Et à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus, ſtercus & vermis eſt : hodie extollitur, & cras non invenietur: quia converſus eſt in terram ſuam, & cogitatio ejus periit.*

3. Quæſtio. Quodnam tantum fuerit Divitis crimen ut tàm durè tractaretur, *ſepultus eſt* enim, *in inferno* : quæ voces ſignificant demerſum illum fuiſſe in imum barathrum, qui erit locus, maximè damnatorum. Deinde cùm in tantis eſſe tormentis, & unicam guttæ aquam poſtulaſſet; repulſam paſſus eſt: quæ verba ſignificant & ſummum ſupplicium, & omnis boni privationem, & ad ſummam inopiam reductionem. Et è contrario quæ tanta Lazari virtus, ut ſtatim obitu deportaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ, ubi lautè cum illo epulatus eſt, & primum

mum gloriæ locum tenuit, quod indicat sinus Abrahæ in quo recumbere vilus est à Divite Epulone.

Si de Divite sit sermo, certè uti notat Sanctus Augustinus non accusatur, quòd aliena rapuerit, aut ullum vexaverit: ne tamen putes innocentem, aut leviter scelleratum, ostendit gravissima ejus pœna, quòd sepultus in inferno, quòd cruciatus in flammis, quòd ei negata vel aquæ gutta: Sed in particulari triplex reperio crimen.

1. Quòd quotidie vacaret deliciis, *induebatur* enim *purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè*, λαμπρῶς magnificè.

2. Quòd ante obitum sic fastidiret pauperem, ut ne aspicere quidem dignaretur.

3. Quòd certans cum DEI misericordiâ, in suis divitiis sic fuerit induratus, ut cupienti saturari de micis cadentibus de mensâ eas denegaret, licet pauperem ulcerosum, jacentem, & fame contabescentem videret, durior suis canibus quos videbat lingentes ulcera pauperis. Hæc autem omnia inde profecta, quia Dives: ut discas triplex ferè esse Divitum peccatum, voluptatem, superbiam, immisericordiam: Adeò ut magnum crimen sit divitem esse.

Alioqui enim Christus Dominus hoc pronuntiatum sic enuntiat adhibito etiam juramento, Matth 19. *Amen dico vobis, quia Dives difficile intrabit in regnum cœlorum: Et iterùm dico vobis, Quia facilius eſt camelum per ſſ ramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* Hinc divites pronuntiat miseros & infœlices Luc. 10. *Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram*: Et eodem sensu Sanctus Jacobus cap. 5. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris quæ advenient vobis*, &c. *Theſaurizaſtis vobis iram, in noviſſimis diebus.* Si quæris rationem, attende. *Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, &c.* 1. Timoth, 6.

Iam si de Lazaro sit sermo, quanta fuerit ejus virtus hæc ostendunt. 1. Felix illa mors post quam ab Angelis portatus est in sinum Abrahæ. 2. Quòd ejus omnis commendatio non in actione posita fuerit, sed in passione: nihil enim dicitur eorum quæ egit, sed catalogus texitur eorum quæ passus est, in quem scilicet omnia mala confluxerant, & quo nemo unquam majora sit passus, ait Chrysostom. 3. in tantis malis insuperabilis ejus patientia, cujus ne minima quidem querela audita est, nec minimum de divinâ dispositione, & providentia murmur. Quorum omnium bonorum fons & origo est paupertas, unde Christus beatos pauperes pronuntiavit, contra communem hominum existimationem, qui putant homines illos esse felices qui divitiis abundant, & illis utuntur & ad voluptatem & ad magnificentiam, & eas avarè recondunt: eos autem esse miseros qui sunt pauperes, maximè, si ægri sint, multâque patiantur, & sint ab hominibus derelicti: quod judicium ut Christus refelleret præsentem historiam attulit, qua ostendit, quis sit exitus hominum divitum; & quis pauperum qui afflicti sunt, & à cunctis deserti: quod provenit ex duplici causa, quarum una est aperta, altera verò occultior; aperta est quoniam ex divitiis omnia vitia oriuntur, adeò ut divitem esse, sit ad scelera magnum pondus: paupertas autem & liberum hominem facit ab omnibus vitiis, & materiam suppeditat summarum virtutum.

Hinc de utroque agens S. Iacobus cap. 1. diversum judicium facit ab eo quod vulgò homines faciunt: *Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua: dives autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit*: unde patet magnificiendos esse pauperes, & divites contemnendos: nam si ratio habetur solùm divitiarum & paupertatis,

utrumque ſpectare potes, quaſi prædeſtinatum, & reprobum. Non quod divites ſalvari non poſſint & pauperes damnari: ſed 1. quod non ita vulgò accidat: 2. quod ægrè fiat, & quaſi per miraculum ut divites ſalventur: unde dictum Chriſti mirantibus Apoſtolis. *Quis ergo poterit ſalvus eſſe*; ſubjecit Chriſtus: *Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deũ autem omnia poſſibilia ſunt*, 3. quia divites qui ſalvantur non vivunt ut divites, & pauperes qui damnantur non vivunt ut pauperes, ſed affectu ſunt divites, & vitia habent divitum. Unde Paulus 1. Tim. 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum: bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Altera cauſa occultior, eſt diſpoſitio Divinæ providentiæ, quâ fit ut non uni omnia bona dentur, & alteri omnia mala, unde cùm oſtendiſſet ex duobus hominibus unum habuiſſe omnia bona, & alterũ omnia mala in hâc vitâ, ſtatim ſubdit in alterâ vitâ mutatas eſſe vices: nam infeliciſſimus fuit fuerat qui beatiſſimus, & qui infœlix fuerat, factus eſt beatiſſimus: cujus eventus hanc cauſam ſubdit. *Fili recordare, quia recepiſti bona in vitâ tuâ: & Lazarus ſimiliter mala, nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris*: quod judicium pertinet, ad æquitatem divinæ providentiæ: verum inde naſcitur.

4. Quæſtio. Cùm dives de quo agimus in hac vitâ fuerit beatus, in alterâ autem miſer; & contra Lazarus in alterâ quidem vitâ beatus ſed fuerit in hac miſer: An locum habeat illud proverbium jam olim à multis jactatum: unum factum eſt unum. Hoc quidem Proverbium, ſeu dictum commune, nõ omnium, ſed impiorum fuiſſe docet S. Chryſoſt. Homil. 1. de Lazaro, & profectum eſſe docet à Circo, & à Theatro paganorum, è quibus turpe eſt Proverbia, & dicteria ſumere, atq; in res noſtræ fidei transferre: Ille dives [inquiunt] ſi illic morte punitur, datque pœnas; unum, factum eſt unum; ſi vero illic iiſdem potitur honoribus, duo facta ſunt nihil. Hoc idem eſt quod ab impiis jactari ſolet: ſibi perinde eſſe, ubi benè ſint, an in hac, an vero in alterâ vitâ: præſens quid certum eſſe, futurum eſſe incertum. Ad hæc, ſi nihil ſuperſit, in alterâ vita ſummam eſſe miſerorum infœlicitatem, qui omnia ubique perdiderint & ſummam eſſe Religioſorum, & ſimilium hominum deceptionem, ſecundùm illud Pauli 1. Corinth. 15. *Si ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt.*

Reſpondeo 1. hunc diſcurſum incredulitate plenum eſſe, ut ait Chryſoſtomus, quia dubitationem de alterâ vitâ continet, itaque juſtus: & conſequenter an aliquis ſit DEVS, hæc enim ſunt inter ſe connexa.

Reſpondeo 2. Ridiculum & abſurdum eſt quod dicitur malos æquale præmium cum juſtis referre, ſi illi in altera vita, hi in iſta benè habent: quid enim quæſo dicis, ſi dives, illuc profectus punitur, unum factum eſt unum: & quomodò illud poteſt conſiſtere? Age enim quæ hujus vitæ propria ſunt, & quæ alterius, conſidera: hæc ne tibi unum eſſe videntur, hujus vitæ bona, caduca & fugacia, & ſequens pœna æterna; & juſtorũ pœna temporalis, & ſequens æterna felicitas? Age igitur [inquit Chryſoſtomus,] ſi quis in annis centum vidiſſet per unam noctem ſuave ſomnium, multisque deliciis in eo fruitus eſſet; ac centum annos puniretur: an de iis dicere poſſes, unum eſſe unum; & unicam noctem, qua ſomniatur, centum annis æquiparari? hoc abſurdum eſt. Id in noſtro

nostro causa cogita: nam quod est unius noctis somnium ad centum annos, hoc est præsens vita ad futuram: immò potiùs multo minùs: quid est exigua gutta ad pelagus immensum hoc sunt anni mille, ad futuram gloriam; & quòd omnia superat, hæc terminum non habet, & finem nescit: Jam quantùm interest inter somnia, & res veras, tantùm interest inter hujus vitæ, & illius statum. Quid hîc dicam quod hîc bona sunt inania, & fallacia, illic autem vera supplicia, nunc ea compara si potes: & contrà; hîc falsa mala, illic vera bona: hinc vide, si unum factum sit unum. ¶ Paucis annis indutus est dives byssо, & purpurâ; per totam æternitatem sepultus est in inferno: paucis annis in deliciis; totam æternitatem cruciatus in flammis: paucis: añis quotidie epulatus splendidè; per æternitatem in summâ siti & summis ardoribus, & maximis tormentis unicam aquæ guttam postulavit, nec obtinuit: quis jam dicat unum factum fuisse unum? In Lazaro vide contrarium: paucis annis jacuit in terrâ nudus, ulceribus plenus, egens & mendicus, & tantâ fame enectus ut micas cadentes de mensâ divitis expeteret nec haberet; sed per æternitatem decumbit in Abrahæ sinu, vestitus gloriâ Angelis ministrantibus in æterno convivio, suæ felicitatis securus: quis hîc dicat, unum factum esse unum, ac non potius duo facta esse nihil, ultima conditione primam obliterante?

Respondet 3. S. Chrysostomus spectatâ etiam vitâ præsente rem non se habere uti creditur. Nam neque improbus in hac vita est beatus, quem sua conscientia torqueat. Neque enim spectãda quæ solùm videntur, mensa, vestis, opes, honor, sed spectare oportet internum tormentum, & conscientiæ carnificinam, quam patitur. Id probat exemplo adulteri, qui licet dives sit, omnia timet, vitam Cain degens tortus à conscientiâ judice quæ non corrumpitur. Negat igitur de divitibus improbis, & de justis gaudentibus, quod unum sit unum, sed concedit quod duo sint nihil: nam impii hîc & illic torquentur: justus autem hîc, & illic beatus est: quòd vel in Lazaro spectare possumus. Vis de ejus in altera vita fœlicitate loquar? tùm quidem facillimè respondebis: verùm non ita facile ostendi potest, quòd etiam in hac vita fuerit beatus. Ain tu? at quamobrem? quia si eò paupertatis devenit, si sic afflictatus est, uti dictum est, quis non eum fuisse miserrimum judicet? Hoc nimirùm inde accidit quia mortales nonnisi externa considerant, ignorantes interim internam bonorum consolationem: unde in eo judicio quod de illorum miseria faciunt, vehementissimè decipiuntur. Nam ut ait Salvianus lib. de gubernatione Dei. Nemo aliorum sensu miser est, sed suo, & ideò non possunt, cujusquam falso judicio, esse miseri, qui sunt verè suâ conscientiâ beati.

Errant itaque 1. Quia cùm norint tantùm bona externa secundùm illud: *Recepisti bona tua in vita tua*, eum bonis omnibus destitutum esse putant, qui ea non habuerit: cum tamen alia longè meliora sint bona. Quantùm enim bonum est 1. mentis tranquillitas, quam omnes homines per divitias, & voluptates quærunt? *Secura mens quasi jugè convivium*: Proverb. 18. quod exponens Gregor. lib. 13. Moral, c. 12. dicit ipsam securitatis tranquillitatem esse quasi continuationem refectionis. Foris fame peribat, sed semper de Deo epulabatur, & cum Deo, ingenti animi tranquillitate, qua utait Bernard. lib. de Conscientia, nihil in hac vita jucundius, nihil securius possidetur: unde subdit: Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa semper erit secura. Hæc autem tranquillitas oritur, 1. ex possessione Dei: quò enim cor humanum in alia trouseat, si

Deum possidet? quod impijs non convenit, qui nunquam sunt quieti in ullius rei possessione. Itaque licet Lazarus nihil possidere videretur, satis habebat, cum Deum haberet: *Vbi enim thesaurus tuus, & cor tuum erit.* Augustinus, tract. 25. in Joan. Ille malè vivit, & fœlix est: iste justè vivit, & laborat: non indignetur justè vivens, & laborans; intus habet, quod fœlix ille non habet: non ergo tristetur, non maceretur, non deficiat: fœlix ille, habet aurum in arca; iste Deum in conscientia: compara nunc Deum, & aurum, arcam & conscientiam: ille illud habet quod perit, iste Deum habet qui perire non potest, & ibi habet, ubi auferri non potest.

Oritur 2. ex securitate conscientiæ, secundùm illud Apostoli 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*: Vide quid de ea re judicet Amb. l. 2. Officiorũ, Sicut exortus Sol, & Lunæ globum, & cætera Stellarum abscondit lumina, ita fulgor honestatis, id est, tranquillæ conscientiæ, cætera quæ putatis bona, secundum voluptatem corporis, aut secundùm sæculum clara, aut illustria obumbrat. Id vide in exemplo hominis adulteri, etiam divitis: & hominis casti, sed pauperis: vide in Rege Achaz concupiscente vineam Nabothi.

2. Quantum bonum est firma suæ salutis spes, quam ipsi securiorem habent, & majorem quàm cæteri? Duo dixi, illam spem magnum bonum esse, usque eò ut existimem illam esse hujus vitæ beatitudinem, secundùm illud Romanor. 8. *Spe enim salvi facti sumus*, de qua vide sensum Apostoli Roman. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.*

Dixi 2. illam spem ad ejusmodi pertinere: ad illos enim spectant omnes ferè promissiones Evangelij: unde Apostolus: *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem? probatio verò spem; spes autem non confundit*: Quia certam habet promissionem, & non est spes hujus mundi.

Errant 2. Impij, quia putant justos ægrè, & contra suam voluntatem pati. Itaque illos ex suo sensu æstimant. Sed audi Salvianum libro 1. de Gubern. Dei. Nulli ut opinor beatiores sunt, quam qui ex sententiâ suâ, atque voto agunt. Humiles sunt Religiosi, hoc volunt: pauperes sunt, pauperie delectantur: sine ambitione sunt, ambitum respuunt: lugent, lugere gestiunt: infirmi sunt, infirmitate lætantur: unde rectè concludit, quicunque verè religiosi sunt, beati esse dicendi sunt, quia inter quælibet dura, nulli beatiores sunt, quàm qui hoc sunt, quod volunt. Labor itaque, jejunium, paupertas, humilitas, & infirmitas, non omnibus sunt onerosa tolerantibus, sed tolerare nolentibus. Proinde hæc omnia adversa æstimanda sunt, ex animo patientis: nam si Lazarus invitus tulisset, pœnam sensisset, sed quia volens, non pœnam habuit, sed palæstram. Sed pœnam, inquies: Fateor, at voluntariam, unde nec pœnam. Putas qui ludunt, qui venantur, pœnam non habent? habent quidem, sed quia pœna voluntaria est, eam non pœnam vocant, sed voluptatem. Vnde Salvianus: Sive enim gravia hæc, sive levia animus tolerantis facit: nam sicut nihil est tam leve, quòd ei non sit grave, qui invitus facit; sic nihil est tam, grave, quòd non ei, qui id libenter exequitur, leve esse videatur. Hinc judica homines malos valdè falli dùm de bonorum vitâ sententiam ferunt, quia ex suo sensu rem æstimant, & gustu: An putas me miserum quia tuis voluptatibus non fruor, quas ego & odi pessimè, & abominor? At ego te infelicem puto, quia tuas voluptates iudico esse probrum, dedecus, & infamiam:

Er-

Errant 3. Impii, quia nesciunt internas consolationes quibus boni sublevantur, unde mirantur quomodo perdurare possint. Ita S. Bernardus: Vident cruces nostras, sed nesciunt unctiones nostras. Qui vidisset tres pueros in fornacem missos, quis non putasset miseros? Sed audi scripturam Danielis 3: *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis ejus in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit*: Quod vehementer admiratus est Nabuchodonosor Rex: Illud egregiè expressit S. Augustinus in Psalmum 138. *Non est occultatum os meum à te quod fecisti in occulto.* Ossiũ firmitas, quædam interior est, quia in osse firmitas, & fortitudo intelligitur: est ergo quædam animæ interior vis, ubi firmitas non frangitur; quælibet tormenta, quælibet tribulationes quælibet huius sæculi adversitates undique sæviant, illud quod Deus in abscondito fecit firmum in nobis, frangi non potest; nec cedit: Rationem reddit in Apostoli exemplo qui licet foris angustiaretur intus tamen lætitiâ perfundebatur: 2. Cor. 7, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ*, unde subdit Augustinus, attende Paulum habentem intus, hoc genus firmitatis *Quasi tristes* (inquit) *semper autem gaudentes*: Vnde quasi tristes, contumeliis oprobriis, persecutionibus, flagellis, plagis, carceribus, catenis, lapidationibus. Quis eos miseros tunc non existimaret? Nec illi ipsi persecutores sævirent in eos, nisi putarent eos miseros fieri persecuttionibs suis. Illi ergo eos ex sua infirmitate conjiciebant, qui non habebant ossium robur absconditum interius illi vero qui habebant, hominibus foris tristes videbantur intus autem gaudebant Deo.

Vt itaque summam faciam dictorum, vide si in comparatione divitis & pauperis quorum sortes adeò diversæ fuerunt & in hâc, & in alterâ vitâ unum factum sit unum, & quam tu sortem malles eligere, an hic patia liquid ad tempus, & in æternum esse beatum, an contrà, in hac vitâ, rebus omnibus abundare & in æternum cruciari in flammis. Sed cur dico quid malles eligere, cùm unùsquisque in alterutrâ sorte sit, aut ad alterutram sortem attineat, aut ad divites aut ad pauperes: Jam si dives es, cogita quid de tuâ conditione judicare potes Jam si dives es, cogita quid de tuâ conditione judicare potes. An te beatum credere potes, an infelicem? Christus clamat, *Væ vobis divitibus quia habetis consolationem vestram:* Mundus autem te beatum appellat: Cui tandem debes credere? *Populo meus, qui te beatum dicunt ipsi te decipiunt.* Intellige quis sit divitiarum exitus; nempe damnatio: Quid pariat byssus & purpura, & lectus mollis; æternos cruciatus, & tormenta in flammis: Quid tantæ epulæ; sit in æternam & intolerandam sine ullâ spe solatii. Quid ergo (inquies) me oportet divitem omnes meas divitias abjicere, & pauperem fieri? Enim verò an tu id seriò à me petis? Quàm multi id aliàs fecerunt, & faciunt quoti die, cùm talem divitiarum finem cogitant? An putas illos desipere? Sed quorsum. Certè id faciunt secuti Christi consilium de quo Isaias ait eum esse magni consilii Angelum, qui Sapientia est æterna, quæ nunquam fallit, neque fallitur. Quàm vereor ne id multis contingat, quod illi adolescenti de quo Matth. 19. *Cùm audisset autem adolescens verbum, ait tristis: erat enim habens multas possessiones*: Vnde occasio sententiæ Christi: *Amen dico vobis quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum*: Difficile (inquies) sed superari potest difficultas: Verùm audi quanta sit. *Iterùm dico vobis facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum* Hæc verba, magnam significant difficultatem, sed non impossibilitatem: Itane verò? Quod arduum est,

ac

ac difficile, tu id superabis? Iam quid non intelligis impossibilitatē: Itane vero unde subditur: *Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes: quis ergo poterit salvus esse?* Itaque rem sic Christus concludit. *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Sed (inquies) hæc divitiarum dimissio consilium est non præceptum. Benè est, sed vide quid divitibus præcipiendum dicat Apostolus, eo loco quem modo attulimus: *Divitibus hujus sæculi præcipe*, &c. 1. Tim. 6. In quibus verbis omnia continentur quæ necessaria sunt divitibus ut salvari possint.

Quod si pauper sis vide ne animum despondeas, quin potius audi Iacobum cap. 1. *Glorietur autem frater humilis in exaltatione suâ*: Quasi diceret: Ne te putes à Deo derelictum, aut despectum; Sed scias Christum cùm esset dives propter nos egenum esse factum; Scias tot divites sponte suâ egenos esse factos: Scias Christum pauperes vocasse beatos: *Beati pauperes quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: Scias quis sit finis paupertatis, nempe sinus Abrahæ, & æterna felicitas: Scias te talem esse actu, qualem oporteat affectu esse quemlibet, divitem si salvus esse velit.

Intelligas tamen ad hoc requiri 1. ut si sis actu pauper, non sis dives affectu: aliôqui ut ait Paulus. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem*, &c. 2. Ut mores habeas pauperum, mansuetos humiles, &c. Ut patienter toleres tuam paupertatem, immó ut libenter sis pauper, ne bis sis miser & in hac vita & in altera, cum possis bis esse fœlix,

& certâ spe, & ipso affectu,

Amen.

FERIA QVINTA
DOMINICÆ SECUNDÆ
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO QVINTA

De pœnâ damni in damnatis.

Mortuus est autem & dives, & sepultus est in Inferno.
Lucæ 16.

NIHIL est quod nobis meliùs declaret, quem ad finem Filius Dei nobis retulerit, sive historiam seu Parabolam improbi divitis, quam contextus sermonis quẽ nobis instituit Lucas cap. 16. Evangelij sui: ubi refert Christum Dominum in unâ Concione, in quâ Pharisæi divites aderant; quatuor de divitijs dixisse: 1. magnum esse ad salutem, & Dei servitium impedimentum, ex eo quòd nemo potest duobus Dominis servire, unde subdit. *Non potestis Deo servire, & Mammonæ*: 2. divitias hoc uno fine datas esse hominibus, ut illis, cœlum emerent, ac suis peccatis satisfacerent per Eleemosynas, allatâ ad hoc Parabolâ, de villico iniquitatis, quam ita concludit. *Et ego vobis dico, facite vobis amicos de Mammonâ iniquitatis, ut cum defecerit recipiant vos in æterna tabernacula*: 3. homines non tam esse dominos suarum divitiarum, quam œconomos: itaque non posse ad libitum suis uti divitijs, sed secundum voluntatem Domini, & requiri in illarum administratione, fidelitatem: *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est; & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est: si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est, quis credet vobis? & si in alieno fideles non fuistis: quod vestrum est, quis dabit vobis?* 4. docet neque divites, nec ipsas divitias, tanti esse faciendas, quanti fieri solent ab hominibus: Rationem subdit, *Quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum*: Sed cùm hic sermo non placeret Pharisæis divitibus, & avaris, id fecerunt, quod homines sæculi facere solent, omnia ista verterunt in risum:

Audiebant autem omnia hæc Phariſæi, qui erant avari, & deridebant illum: Quare ut ejuſmodi deriſores cohiberet, & metu percelleret, terribile cuiuſdam divitis proponit exemplũ, quo à facultatum abuſu deterreret, & ad pauperum benignitatem quodam̃odo compelleret: oſtenditque prętereà in divitiis, & proſperitatibus huius vitę, non conſtituendam eſſe fœlicitatem, ut ferè homines ſolent, ſed has potiùs deteſtandas, ut hominibus perniciosas: ob paupertatẽ verò & alia huius mundi incommoda, neminem putandum eſſe infelicem: ſed ea potiùs habenda, ut materiam futurę felicitatis: ut etiam hinc intelligamus verum eſſe, quod ſuperiùs dixerat: *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt antè Deum*: Nam quid altius illo divite Evangelico qui *induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè*, ſed quę maior abominatio, quàm illud: *Et ſepultus eſt in Inferno*: ſed nemo quãtum illud ſit ſatis intelliget, niſi adſit lumen Sancti Spiritus: illud autem obtinebimus per Virginem Matrem. AVE MARIA.

OPORTET omninò peccatum mortiferum eſſe quid deteſtabile, quoniam Inferi ſunt eius pœna: oportet etiam Infernum eſſe formidabilem, quandoquidem peccatũ mortale ipſius eſt meritum: neque dubitari poteſt, quin Deus extremè offendatur peccato mortali, cùm ad ſe ulciſcendum adhibeat inferos. Maximus eſt divinæ iracundiæ conatus, extrema animæ calamitas, ultimaque damnatorum infelicitat. Illud eſt, quod vellem poſſe vobis hodie exhibere, cujus tamen tantùm deſperationis habeo, quantùm volũtatis. Percuperem id quidem ad complendũ Prophetæ Davidis votum, Pſal. 54. Juxta S. Bernardi ſenſum & intelligentiam. *Deſcendant in Infernum viventes*, quia longè tolerabilius eſt eò deſcendere vitæ tempore, quàm poſt mortem; cogitatione quàm reipsâ; formidine quàm experientiâ; timore quam ſenſu. Id tamen mihi promittere non auſim, quoniam cogitatio mea meo deſiderio minor eſt, meumque ingenium inferius eſt argumento; prætereà quòd temporis angustię non ſinunt me vobis tam exiguo ſpatio res tantas exponere. Si enim duratione ſuâ includunt æternitatem ſuppliciorum, & ſæculorum infinitatẽ, quomodo id à me dici poteſt horæ unius ſpatio, à vobiſque, Auditores, comprehendi? Verum ſicut pictura poteſt eodem tempore ſimulq; ob oculos ponere, quod niſi ſucceſſivè unumque poſt alterum eſſe non poteſt; Filiuſque Dei in Evangelio divitis Epulonis, vivam nobis effigiem reliquit horrendi damnatorum ſtatus, date id mihi, ut unius formidabiles pœnas vobis exponens ſimul omnium ſupplicia exhibeam. *Nunquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti*? Iob. 38. Non ſatis habeo portas illas æternas intueri cum formidine ac terrore, ſed audebo etiam in gurgites illos ingredi, & damnatorum cruciatus agnoſcere. Duplex eorum genus reperio, pœnam damni, & pœnam ſenſus: cùm enim ſit in peccato duplex deformitas, una averſio à Deo, altera converſio ad creaturam: ita duplex eſt pœna, una eſt pœna damni, quæ averſioni, altera pœna ſenſus, quæ converſioni reſpondet, ſecundùm illud Prophetæ Ieremiæ 17. *Duplici contritione contere eos.*

Incipiamus à pœnâ damni, de qua hodie tractaturi tantùm ſumus, tanquam de præcipuâ, licet minus notâ.

1. Itaque pœna damni in eo conſiſtit, quod anima de ſuis peccatis convicta, & ideò damnata ſententiâ irrevocabili excludatur ab æternâ beatitudine, & omnibus bonis quæ illa ſecum affert, ad quæ obtinenda, homo à Deo conditus erat, & in hac vitâ conſtitutus, & tota gubernatio mundi à Deo directa. Hæc ſimilis eſt vendicationi, ſeu ut vocant con-

confiscationi bonorum, cùm quis ejiciendus in exilium, vel ad metalla damnatus, privatur omnibus bonis, & redditur inhabilis ad omnia, tanquam servus pœnæ: Itaque ante omnia, damnatus efficaciter privatur Deo, eumque actualiter amittit, quia cùm esset tempus illum possidendi, eo ratione sui demeriti, per quandam pœnæ executionem privatur. Quis hoc explicet? nemo rectè, nisi qui vel sic possidet, vel sic amisit: Jerem. 2. *Scito & vide, quia malum, & amarum est, reliquisse te Dominum DEVM tuum.* Porrò hæc pœna tanta est, quanta res Deus est: Tanta est, quanta æterna gloria: Tanta est, ut nemini contingat, nisi maledicto à DEO: unde dicitur, *discedite à me maledicti*: Denique tanta est, ut cùm eam omnes aliæ consequantur, illa sit omnium maxima: Ut si quis infinitum thesaurum amitteret, ex quo summos honores, & summas voluptates erat percepturus: ut si quis regno aliquo privaretur, & ad summam inopiam, ex regiâ dignitate rejiceretur. Est itaque damnum infinitè maximum, quia est boni infiniti amissio, & in eo damno multa damna infinitæ æstimationis continentur: 1. Luminis gloriæ, quæ summa est qualitas, & major omni qualitate & naturali, & supernaturali. 2. ipsius visionis in qua consistit formalis beatitudo. 3. amoris beatifici, quo consummatur beatitudo. 4. gaudij beatifici, & ejus quo de suâ beatitudine, & de suis bonis, erat anima gavisura. Et quoniam nullum damnum quantumvis magnum rationem habet pœnæ afflictivæ, nisi per considerationem applicetur, ita ut animum discruciet: [erenim de ratione pœnæ afflictivæ est, ut repugnet voluntati, eamque mœrore afficiat: quod si non apprehendatur damnum, vel si non pendatur, aut æstimetur, non habet rationem pœnæ afflictivæ, sed tantùm privativæ: quare sicut ignis non affligit, nisi ita applicetur ut dolorem inferat, ita etiam damnum non habet rationem pœnæ afflictivæ, nisi per considerationem applicetur, ut animum mœrore afficiat:) Propterea ut hæc damna graviter affligant damnatum, illi ob oculos assiduè versabuntur, eaque semper considerabit, ac proinde incomprehensibilem animi mœrorem ex eis concipiet. Hoc autem fiet, tum naturæ instinctu, quo quis cùm in grave damnum incidit, semper de eo cogitat, nec mentem ab eo potest avertere: tùm maximè divinâ virtute, damnatorum mentem ad hoc applicante, & efficiente, ut assiduè apprehendant, & considerent, id unde mœrorem percipiant, secundùm illud Danielis 12. *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, ut videant semper*: ita ut non sit in illorum potestate, mentem ab illis avertere. Et hinc petitur diversitas pœnæ damni in damnatis: etsi enim damnum videatur esse idem in omnibus, quia eodem bono privantur, scilicet Deo, quia tamen nonnulli pluribus titulis, aut majoribus, ideò afflictio, quæ inde orietur, par non erit: quod fiet tantùm mediante consideratione, quam divina Justitia majorem vel minorem in mentibus eorum operabitur: justum enim est, ut intelligant, ac sentiant, quantum bonum suâ culpâ amiserint, idque eo ampliùs, quo ampliùs peccaverint. Quid hîc memorem omnes hujus vitæ dolores in amissione charorum, bonorum fortunæ, honoris, famæ? Quàm multi præ animi cruciatu contabuerunt? Quàm multi mortem præoptarunt, & de facto sibi consciverè? Quàm multi in lacrymas sic fusi sunt, ut planè exaruerint? hinc occasionem accepit fabula de Niobe versa in saxum, ita dolore obriguerat. Sed quid sunt hæc? sensus sunt, & dolores hujus vitæ mortalis; lacrymæ quæ statim arescunt, dolores quos vel somnus sopit vel interrumpit, quos tépus, &

diuturnitas, aut minuit, aut tollit. Sed si capis, quid sit DEUM amisisse, nullo sensu tantam jacturam æquare potes : habere poteras in bonis Deo frui; ad hoc natus, ad hoc factus, in eam spem evectus, ad hoc ordinatus; poteras rex esse, sed qualis, & quanti regni? poteras summè esse beatus; poteras DEVM possidere; idque semper cogitabis, & mente revolves; atque hinc existet infinitum supplicium, quia rei infinitæ amissio; & æternus dolor æquè acimmensus; & ratione objecti infinitus.

Cæterùm qui tantum perdidit, necesse ut cætera omnia perdat, nam summè misero, quid boni superesse potest? itaque spoliatur rebus omnibus, & statu triplici: Naturæ, Gratiæ & Gloriæ: nisi quod omnia ipsi sunt commutata in pœnam si quædam relinquantur. Vide itaque statum planè miserum in spoliatione, & summum supplicium in tristitiâ. Vide utrumque in Divite Epulone. Etenim summa fuit in eo paupertas, tùm quoad bona animi, tùm quoad bona corporis, cùm tamen nullâ re esset memorabilior, quàm divitiis : unde non alio nomine appellatur.

II. quod in pœnâ damni continetur est violenta animæ à DEO separatio, quæ rectè sine gravi doloris sensu fieri nequit, non quidem DEi, quia ipse doloris est incapax, igitur cum tuo sensu eoque acerrimo: sed quis explicet cum quantâ violentiâ, separatio illa fiet, cùm anima à suo fine separabitur, in quem naturali suo pondere, & totâ inclinatione fertur: Hoc quidem tempore vitæ, non sentitur hoc pondus propter corporis impedimentum, sed in alterâ vitâ, tanto impetu operabitur, ut sola retardatio conjunctionis animæ cum fine, non sine gravissimo supplicio futura sit, quantò magis ipsa divulsio.

Nota igitur 1. omnem dolorem fieri per separationem seu divisionem, nunc continui, nunc partium, nunc animæ : & quo strictior est conjunctio, eò graviorem, ac duriorem esse separationem.

Nota 2. Cùm motus animæ in DEVM, ut finem, sit motus naturalis & necessarius, tanto impetu illum fieri, quantâ virtute anima prædita est, quia ipsa, tota quanta est, in finem fertur: ut igitur fiat divisio, necesse est animam pati summam violentiam, & consequenter summum dolorem, præsertim cùm ista separatio fiat ab ipso DEO reprobante: Etenim cùm anima præter sibi innatum pondus, quo fertur in DEVM, ut in finem, ab ipso etiam motum accipiat, ut à fine trahente, tanquam à magnete: idemque sit ipse Deus, qui animam à se repellat, ac rejiciat propter dissimilitudinem : hinc fit ut anima duplici motu ab eo moveatur; attractionis, ac rejectionis, qui ultimus motus, cùm superet primum, quo attrahitur, necesse est ut eum acerbissimum anima experiatur, atque sentiat. Quid quod ista animæ à DEO divisio, ipsam animam intra seipsam dividat, atque *discindat*. Nam ut ait Bernard. l. 5. de Consider. cap. 12. Non potest DEO esse contrarium quid, & sibimet cohærere, sed qui arguetur à DEO, arguetur à seipso: *ô custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis?* Quis enim ignorat animam necessariò esse annexam DEO, tanquam principio naturæ suæ, cujus influxus, ipsi necessarius est : Ab eo tamen se malitiâ suâ sejungit quantùm potest, quodquidem in seipsâ illam dividit? Ejus enim essentia necessariò conjuncta est cum DEO, alioqui in nihilum abiret, voluntasque ipsius quæ in ejus essentiâ est sicut in subjecto suo ac principio, penitus sejuncta est à DEO suâ inobedientiâ : Sed anima ita se ab illo sejungens, seque removens depravatâ sua voluntate ab ipsius amoris & bonitatis influxu, nequit tamen removere se ab influvu continuo ipsius magnitudinis, potentiæ & authoritatis, propter dependen-

pendentiam suam essentialem. Quid dicam, quod divisio illa, usque ad voluntatem ipsam pervadit, quæ miserè dividitur, sejungiturque à semetipsa, sui scilicet instinctus primi naturalis & necessarii ratione, qui eam ad bonum inclinat. Nam cùm instinctus ille ipsi in natura sua & creatione sit impressus à DEO, in eaque apud inferos, pariter ac natura persistat, accidit ut voluntas, illius non possit sese à DEO sejungere, quem certissimè scit, & intimè persentit supremum bonum esse, totiusque creaturæ necessarium bonum: ab eo tamen eadem aliundè actu suo libero spõtaneoque sese totis viribus sejungit, unde fit ut infelix anima, se ita distrahens à Deo, consequenter semet in seipsa dividat, vivens assiduè misera damnataque; semper Deo conjuncta, semperque ab eo sejuncta voluntate sua: Deo semper conjuncta per essentiam suã & per voluntatem suam naturalem; semperq; ab eodem sejuncta, voluntate suâ liberâ & inordinatâ: consequenterque semper cum dolore; quandòquidem dolor omnis proficiscitur à separatione, nullaque est divisio quin dolore aliquo societur. Atque ut ea divisio summè violenta est, oportet dolorem esse summum, & suprà omne doloris genus. *Scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.*

III. Quod in pœna damni continetur est omnimoda peccatoris à DEO derelictio, secundùm illud Prophetæ Oseæ: *Vocate nomen ejus non populus meus. Quia vos non populus meus*: derelictione autem illa integra, & abdicatione intelligendum est.

1. DEVM abdicare penitus, quoad fieri potest, possessionem animæ. Licet ad DEVM omnia pertineant, nonnulla sunt tamen quæ vocat peculiariter sua, quemadmodùm ex omni nationum genere nominabat suum, ratione tam singulari, populum Judæum, ut eum vocaret, sortem suam, portionem & hæreditatem suam: Sic anima peculiari ratione attinebat ad Deum, sed renuntiatione singulari, eam abjicit, reprobat, planèque deserit: ac proinde auferuntur ab ea illius possessionis notæ, & character, & fit ultima ejus spoliatio. Cogita tamen quot olim titulis attinebas ad DEVM, creatione, conservatione, redemptione, CHRISTI morte, & sanguine, & innumeris beneficiis: Quantùm concupivit te DEVS possidere, quot modis, quot artificiis conatus est, ut & innumeris modis suus esses, & sub diversis titulis, & nominibus. Jam verò quòd te prorsus abjiciat, quòd sic repellat, ac detestetur; oportet ex parte tua gravissimas causas extitisse: nam ex parte DEI quas afferre posses? Nequaquam enim ipse levis est ac mutabilis, neque hominis more inconstans, nam *sine pœnitentiâ sunt dona & vocatio DEI*; ait Apost. & ut dicebat illi Sapiens, *nihil odisti eorum quæ fecisti.*

2. Illum curam & moderationem abjicere illius, tanquam rei propriæ, quam sibi conservare studet, unde ait: Oseæ 1. *Quia vos non populus meus.* Cùm populus conflasset vitulum & adorasset: Exod. 32. sic Deus ad Moysem. *Vade, descende, peccavit populus tuus, quem eduxisti de terrâ Ægypti. Recesserunt citò de via, quam ostendisti eis, feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt. Isti sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Nota hæc verba *populus tuus*, non amplius meus ex quo peccavit. Ea verò cura præcipua est respectu creaturæ rationalis, quam immediatè per se regit, & ut author naturæ, & ut author gratiæ; movendo per seipsum intellectum & voluntatem, aut secundùm exigentiam naturæ, aut secundum propositum, quo illam promovet ad finem supernaturalem: Itaque cum

illam derelinquit abolet omnem ſtatum ſupernaturalem, ac deinceps, nihil per ſe agit immediatè in eadem niſi pœnam.

Vnde ſequitur 1. Quandoquidem deſtituitur ſupernaturali ductu Dei, eam non habere ullam bonam cogitationem, neque motionē ad bonum, ſecundum hæc verba: Matth. 22. *Ligatis manibus, & pedibus, projicite eum in tenebras exteriores*: Et proinde perire in illa fidem, ſpem, cognitionem boni, eius deſiderium, bonam indolem, inclinationem ad virtutem, &c.

Sequitur 2. ut ſicut hæreditas de relicta deperit, & fit ruinoſa, idem animæ derelictæ eventurum, dum in peius ſemper ruet per æternitatem, nullo defendente, nullo protegente, nullo reparante.

Sequitur 3. ut vacua, & derelicta poſſideatur à beſtiis. Iſaiæ 14. *Et ponam eam in poſſeſſionem ericij, & in paludes aquarum*: Et cap. 34. *A generatione in generationem deſolabitur, ſacula ſaculorum non erit tranſiens per eam: & poſſidebunt illam onocrotalus & ericius: ibis & corvus habitabunt in ea*: *& extendetur ſuper eam menſura, ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in deſolationem*: Itaque tranſit in aliam poſſeſſionem, nempe in poſſeſſionem inimici. Vide quomodò Dæmon tractet corpora Dæmoniacorum, licet plena poteſtas in ea non ſit ei conceſſa: Quomodo Jobum tractarit, licet poteſtatem tantùm haberet eum probandi in bonis externis, & in corporis valetudine: Quid igitur faciet cùm animam habebit in ſua poteſtate, eáque plena, & integra?

Sequitur 4. ex illa derelictione Dei, alia derelictio ab omnibus creaturis; Nam ſicut deſeretur à DEO, ita ab omni creatura: ab Angelis, à Sanctis, à Parentibus, ab amicis, à nobis ipſis, à cæteris hominibus, ſeu damnatis, ſeu beatis: ad hæc, ab elementis, à mixtis, à rebus omnibus: quoniam, ut ait Apoſtolus Roman. 8. *Vanitati creatura ſubjecta eſt non volens*, &c. *Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc.* Cùm dicit quod ſubiecta ſit non volens, ſignificat quòd contra ſuam inclinationem, qua creatori ſuo obſequitur, inſervit peccatori in hac vita: ſed *ipſa liberabitur ab* hac *ſervitute corruptionis in libertatem filiorum DEI*: cùm autem liberata fuerit, peccatorem deſeret, nec circa eum aliquid efficiet, niſi pœnam, & tormentum. Vide itaque miſerabilem creaturæ peccatricis ſtatum, cùm undique rejicietur, nec non niſi à pœnâ & tormento ſuſcipietur, dùm à ſuo Creatore expelletur, & ab omni creaturæ beneficio, omni modo miſera, & deſertione, & ſuſceptione.

IV. Quod in pœnâ damni continetur eſt mutuum utriuſque odium uſque ad ſummum: Odium implicabile DEI adversùs peccatorem, & peccatoris in DEVM: quoniam Deus abhorrebit & execrabitur creaturam: Apocal. 22. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.* Id ſignificat ea vox. *Diſcedite à me maledicti.* Nam ſicut amor conjungit, *Venite benedicti*; ita etiam odium dividit, atque ſeparat. *Diſcedite à me maledicti.* Et quemadmodum eſſe amatum à Deo, eſt cauſa omnis boni; ita odio eſſe Deo, ſumma eſt totius mali. Cæterùm, oportebit peccatorem eſſe deteſtabilem, ut eum abominetur Deus.

1. Quidem, quia ut ipſe eſt ſummè amabilis, ita eſt ſummè amans, & ſicut ejus intellectus omne intelligibile attingit, ita & voluntas omne amabile: Itaque ſi peccator in ejus objecto non comprehenditur, ſignum eſt nil boni in eo eſſe.

2. Quia ille qui amat vel vermiculum, vel culicem, vel minimum arboris folium, & illorum curam habet, ille peccatorem odit, atque abhorret: Et quia Deus neceſſitate

naturæ

naturæ malum odit, neque enim illud amare potest, immò non potest non odisse, & quod odit, se toto odit, quia se toto resistit à malo: Ita se toto miserum atque infelicem peccatorem aversabitur, & consequenter infinitè: cùm enim amat, quia amat liberè, secundùm ordinem sapientiæ amat, & consequenter finitè tantùm amat: sed cùm id faciat necessitate naturæ id facit infinitè, quia se toto resilit à malo. Horrificum toti Ægypto fuit videre aques omnes Nili mutatas in sanguinem: Quàm jgitur terribile erit videre eũ bonitatis Oceanum esse conversum in odium creaturæ. Cogita si quis se sciret esse in omnium hominum odio, ac execratione, an vel unam horam vivere vellet? Sed quàm parùm interest, ut te homines ament, atque diligant: At quòd te Deus detestur, quàm illud horrendum ac detestabile? Certè si solum hujus vitæ dubium, quod homo nesciat, an sit odio vel amore dignus, aliquos sic angit, atque cruciat, quàm erit animæ grave, cùm intelliget se esse in odio Dei, & execratione: *Quia vos non populus meus.*

Vidisti quid futurus sit peccator Deo, attende quid ipsi futurus sit Deus *Et ego non ero vester:* Deum osurus est, in perpetuum, eum detestabitur, & blasphemabit: ac sicut Deus reprobabit peccatorem, nec pro creaturâ reque suâ cognoscet, quoad curam & protectionem suam; ita peccator eum abdicabit neque habebit pro Deo. O qualis futura est peccatoris rabies in ipsum, quis furor, desperatio! Quid non dicet adversus illum, quid desiderabit agere, quid non posse optabit?

Cæterùm sicut amor Dei, summa est hujus, & alterus vitæ beatitudo, ita odium Dei, summa miseria: Neque etiam me quidquam ita perterrefacit magis, quàm æternum illud divortiũ, inimicitia illa implacabilis, cùm peccator nihil erit Deo, Deusque nihil erit peccatori. Quid horum formidabilibus? an quod anima non sit Dei, aut quod Deus non non sit animæ. Et quidem quòd Deus non sit animæ, ingens damnum est, summa enim fit jactura, quoniam Deus amittitur, qui summum bonum est: Quòd anima non sit Dei, summum crimen est, nam tot titulis ad Deum attinet. Sed quia priùs crimine non fuit Dei, cùm ab eo recessit: eo statu, ipsâ pœnâ, non est Dei, quoniam & à Deo repellitur, & se irrevocabiliter à Deo separat. Verùm quem non vult habere, ut Deum, non potest non habere vindicem: duplici modo misera, & quo Deum habet, & quo non habet.

V. Est hujus odij Fundamentum, est perpetua oppositio, & contrarietas, secundùm illud Bernard lib. 5. de Consid. Nunquam recto, pravoque conveniet, hæc enim sibi invicem adversantur, etsi non invicem lædant. Vide autem Effectum: læsio alterius est, absit ut Dei. Vide modum læsionis, in capitis citati initio: Est enim, inquit, rationabilis quædam æquitatis, directio inconvertibilis, atque indeclinabilis: quippe astringens ubique, cui illisa omnis pravitas, conturbetur necesse est: quidni in hanc tumidum, vel distortum impingat, & conquassetur? Væ universo, quod obviam forte offenderit cedere nescia rectitudo: nam & fortitudo est. Ita ille. Etenim cùm Deus initio, naturæ rationalis regula per legem extitisset: quandiu in statu viæ natura rationalis existit, flexilis est, itaque illi regulæ, nunc adæquatur, nunc repugnat, sed flexibiliter: Verùm finitâ vitâ, ubi anima in statu est posita, jam deinceps inflexibilis manet: cui cùm Deus, non sit ampliùs regula per legem, fit regula per retributionem. Cùm itaque necesse sit illi regulæ accommodari, aut per obedientiam, aut per retributionem, & tunc non possit amplius per obe-

obedientiam, oportet ut per retributionem: Sed cum anima reperiatur distorta, non potest commodè applicari regulæ per retributionem præmij, debet ergo per retributionem pœnæ, itaque necessariò offendit & impingit in regulam, quam ille Pater appellat, inconvertibilem & indeclinabilem. Cùm sit indeclinabilis, semper in illam impingitur, cùm sit inconvertibilis, semper impingitur cum dolore, quia simul est rectitudo, & fortitudo, secundùm illud; Væ universo quod obviam forte offenderit cedere nescia rectitudo, nam & fortitudo est: siquidem rectitudini, neque tumidum neque distortum æquari possunt, oportet itaque ut in illam quicquid est tale impingat, & conquassetur: sed væ universo quod obviam forte offenderit cedere nescia rectitudo, nam & fortitudo est. Quòd eò magis fit, quòd anima in inferno semper peccet, & iisdē peccatis, in quibus à morte deprehensa est: Itaque semper iisdem impingit in Deum: sed væ universo, quod obviam forte offenderit cedere nescia rectitudo, nam & fortitudo est. Vide autem amborum conflictum: Etenim ut quondam anima dùm homo viveret repugnabat Deo præcipienti, & regulanti per legem ita nunc Deo punienti repugnat, & regulanti, & ordinanti per pœnam: sed incassum, & suo damno: & sicut olim novæ gratiæ semper repugnabat: ita etiam de novo semper pœnæ resistit: sed frustrà. Vide autem modum, quem si describit Bernardus. Quid iniquis voluntatibus tàm contrarium, & adversum, quàm semper conari, impingere semper, & frustrà? Anima enim semper idem malè vult, quod voluit: sed semper invenit Deum contrarium, ac licet pugnet in contrarium, ac licet pugnet in contrarium, id frustrà facit: pergit Bern. Væ oppositis voluntatibus, solam suæ profectò aversionis referentibus pœnam! Quæ autem sit illa pœna, sic describit. Quid tam pœnale quàm semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle, quod nunquam non erit? Semper enim volet malum culpæ, quod assequi non poterit, ut voluptatem, ut vindictam, &c. Et semper nolet pati, quod tamen semper erit. Quid tam damnatum quàm voluntas addicta huic necessitati, volenti nolendique, ut ad utrumlibet, jam sicut non nisi perversè, ita non nisi miserè moveatur? In æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult in æteruum, nihilominus sustinebit. Etenim quid dives petit, nisi aquæ guttulam? sed in æternum non obtinebit: vicissim quid vult non esse: Lazarum in sinu Abrahæ, sed Lazarus semper erit. Quid non vult? Non cruciari: Sed quod non vult, nunquam non erit. Vnde Bernardus: Dignè omninò, ut qui ad nihil afficitur unquam quod deceat, ad nihil unquam quod libeat, evadat. Et quoniam in damnatis summum imperium obtinuit cupiditas, nam incensæ fuerunt in eis passiones, & effrænatæ voluntates, incredibile dictu est, quantùm anima inde patiatur: cùm enim se totâ feratur cupiditate, & ardenti desiderio, præsertim in se adèo urgenti, & necessariâ, si repulsam patiatur in illâ iteratâ cupiditate, & in iteratâ negatione, & repulsâ, summum dolorem patitur, & extremam damnationem.

VI. Quod in pœnâ damni reperitur est animam ita Deo carere, tanquam suâ beatitudine, ut eum tamen habeat tanquam summum suum supplicium: Proinde cùm diximus animam Deum amisisse, scias sic amisisse, ut beatitudinem, & a suo fine excidisse, ut tamen habeat tanquam pœnam. Sicut igitur, in beato, Deus animæ conjungitur ut summum bonum, scilicet *qui replet in bonis desiderium* ejus, sub rationem convenientis; ita conjungitur cum animâ damnatâ, sub ratione disconvenientis & contrarij: Quare aliquâ ratione supplicium efficit per se, quasi infinitum, contrarietate. Audi Bernardum: Quid

hoc

hoc facit? Rectus Dominus Deus noster, qui & cum perverso pervertitur. Unde ita Deum definit. Quid est Deus? Non minus pœna perversorum, quàm humilium gloria. Itaque ut in Beatis, summa beatitudo, est ipse Deus, ita in damnatis summa pœna ipse Deus, quoniam seipso fit ipsorum pœna, atque tormentum. Certè quæcunque suprà diximus, hæc omnia Deus in anima operatur ad pœnam, ut scias impediri non posse, & necessarium esse supplicium.

Quid hic attexam, quid dicam, quid cogitem nescio: Neque enim est ullus sensus tantæ rei æqualis. Hoc unum licet ingeminare cum Jerem. *Scito, & vide quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Qui enim Deum reliquit ut bonum, invenit ut vindicem. Unum hic vereor, hæc à paucis fuisse intellecta, quia pœnæ spirituales à paucis benè comprehenduntur: Has tamẽ concipe.

1. Ex quibusdam hujus vitæ pœnis. Quam graviter nos afficit movetque contumelia, vel atrox quædam infamia? Quantùm affligimur animo in eorum quos diligimus jactura? Quis percipitur dolor si lis magni momenti amittitur? at si fortuna omnis? Is est in anima sensus, ut longè malleat aliquid exterioris doloris perpeti. Verùm, quinam sunt vitæ præsentis dolores, qui sensum & imaginationis notitiam sequuntur? At alterius vitæ dolores, sunt propemodum omninò supernaturales, & in suprema animæ parte consistunt.

2. Omnis sensus est ab anima: Quòd si adeò patitur cùm sentit mediante corpore, quanto magis cùm per se sentit, & immediatè? Ad hæc si tantùm sentit per suas vires naturales, & per organa, quantùm sentit per vires supernaturales, qualiter cruciantur damnati?

3. Quantùm distat anima à corpore, tantum distant dolores animi à doloribus corporis. Illud hebes est, sed anima plena sensus.

4. Sicut delectationes animæ spirituales superant delectationes corporis, ita dolores animæ superant dolores carnis.

5. Quod in peccato est præcipuum, plus debet puniri: est autem aversio à Deo, quæ punitur per pœnam damni itaque pœna illa est omnium maxima.

6. Nemo dubitat Dæmones plus pati ab agente spiritali, quàm ab agente corporeo: & tamẽ certùm est supplicium Dæmonum esse omnium maximum, cùm maximè peccarint.

Conclusio. Cùm itaque hoc sit supplicium peccati mortalis, unde fit ut homines tam facilè se objiciant huic supplicio? Certè qui in illud incidisset, nihil nõ faceret, quò se ab illo redimeret, etiam tolerando quæ sunt atrocissima in hac vita: Tu cùm id possis per pœnitẽtiam, vide num planè insanias qui hoc fugias? Hæc una cogitatio innumeros mortales inclusit in Monasteriis, & Religiosos addixit laboribus pœnitentiæ. Hæc est quæ exstruxit carcerem Climaci, quæ Thaidem inclusit, ob quam ille montis Oreb accola plures annos se in antrum tanquam in carcerem contrusit usque ad mortem, oculis in unum locum defixis, qui rogatus cur id egisset respondit, idem facturum eum qui idem vidisset, quòd ipse:

Tu idem cogita, & à tua mente infernus non discedat: Inferni cogitatio, te cœli securum faciet.

Amen.

FERIA QVINTA

DOMINICÆ SECUNDÆ IN QUADRAGESIMA

CONCIO SEXTA

De pœna sensus in Damnatis.

Mortuus est autem & Dives: & sepultus est in Inferno.
Lucæ. 16.

QUAMVIS Homo ex duabus partibus constet, una sensibili, alterâ spirituali, hoc est, corpore & animâ ac consequenter capax sit concipiendi & intelligendi res spirituales & corporeas: percipit tamen atque intelligit melius quod sensibile est, quàm quod est spirituale, & magis movetur afficiturque eo quod est corporeum, quàm eo quod spirituale est.

1. Quia ex Apostolo 1. Cor. 15. *Non prius quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale*: Itaque plus assueti sumus sensibus, quàm intellectioni: nam primis vitæ nostræ annis solùm novimus sensibilia, nec multùm differimus ab animantibus; & in ætatis progressu semper incipimus à sensuum cognitione: unde nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu: hic enim ordo est nostrarum cognitionum.

2. Quia sensibilia magis sunt in nostra experientia, ut pote quæ semper occurrunt: & consequenter plus sunt nobis cognita.

3. Quia sensibilia totum hominem commovent, hoc est, & partem inferiorem, & partem superiorem, & utrumque appetitum, sensitivum, & rationalem. Itaque cùm in pœnis damnatorum, duplicis generis tormenta invenerimus, quædam solùm intelligibilia, ut quæ pertinent ad pœnam damni: quædam maxima ex parte sensibilia, quæ vocari solent pœna sensus, cùm de solis primis

ege-

egerimus, & cùm maximè verear ne satis intellecta fuerint, & æstimata, de alijs agere hodie aggrediar. Sed quia ut ait David Psalmo 91. *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*: id est, tua de hominibus decreta: *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc*: quæ autem illa sint, exponit in verbis sequentibus: *Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem*: futurum scilicet, *ut intereant in sæculum sæculi*: *Tu autem altissimus in æternum Domine*: Quasi dicat, Stulti non intelligunt, cur Deus sinat peccatores multiplicari, florere sicut fœnum: id enim facit, quia futurum est ut posteà in æternum pereant, ita tamen ut Deus nihil inde capiat detrimenti: & hic est finis Divitis Epulonis, cujus cùm Scriptura fœlicem statum describisset, *Homo quidam erat dives qui induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendidè*, sic exitum describit; *Mortuus autem est & dives, & sepultus est in inferno*: ut possim hunc exitum, qui tam stupendæ permissionis effectus est, uti par est, vobis exponere quod quidem in votis est, ad adjutorium Virginis confugio. AVE MARIA.

QUANDOQUIDEM pœna secundum ordinem justitiæ respondere debet peccato, est enim effectus justitiæ, cujus proprium est æqualitatem ponere: unde dicitur in Apoc. cap. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum & luctum*: Cum dixerimus in peccato duplicem esse deformitatem, nempe aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam; necesse etiam fuit duplicem esse peccati pœnam, secundum illud Ierem. 17. *duplici contritione contere eos*. Et Apocalyps. 18. *Duplicare duplicia secundùm opera ejus. In poculo quo miscuit, miscete illi duplum*. Una est pœna damni, ut nimirum qui Deum deservit, sit absque Deo, & qui ultimum suum finem fugit, ad illum non perveniat, & qui à Deo recessit, ab illo Deus recedat: Oseæ 9. *Sed væ eis, cùm recessero ab eis*: Altera est pœna sensus, ut qui se creaturæ tradidit, damnum ab illâ patiatur, & spinis se pungat qui illas amplectitur, & is qui crudeli domino servire voluerit, ejus etiam crudelitatem sentiat: Isaiæ 9. *Et tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium*. De pœna damni dixi in superiori Concione; superest ut hodie dicamus de pœnâ sensus. Est autem ea pœna, omnis illa quæ à causis externis infertur, ut à loco, ab igne, à sulphure, à tenebris, ab odore teterrimo, horrisono planctu, immanitate Dæmonum, & aliis ejusmodi: omnes enim isti dolores, & afflictiones ab his causis immediatè provenientes, ad pœnam sensus pertinent; sicut & tristitia quæ ex horum malorum tolerantiâ & consideratione nascetur. Sed priusquam de illâ sigillatim dicere aggrediar, quia nemo de illâ satis eloqui potest, nec qualis sit describere; ut eminus eam aggrediar hæc in universum cogita.

1. Illam superare omnes pœnas, & tormenta Martyrum, Reorum quorumcunque, Tortorum, Tyrannorum, Hostium vindicantium se, atque sævientium: Verùm qualia & quanta fuerunt ejusmodi supplicia ab omnibus sæculis, & inter ferociſſimas nationes?

2. Superare vim omnem agentium naturalium quæ dolorem inferre possunt: Item omnia hominum atque dæmonum ingenia & artificia ad sæviendum parata: quò verò pertingere possunt:

3. Illam pœnam esse supernaturalem, itaque superare omnem imaginationem, & intelligentiam humanam & angelicam: & consequenter omnem sermonem, si hominum & Angelorum, quantò magis meum: ut scias quidquid dixero me semper

minora vero dixisse, neque meis verbis ejus magnitudinem expressisse.

4. Talem esse illam pœnam, ut digna sit irâ, atq; vindictâ Dei, & æqualem peccatorum malitiæ : Dignam cujus figura essent omnia Dei in hoc mundo judicia, omnes punitiones, & castigationes, seu particulares quorundam, seu communes aliquarum urbium, gentium, & nationum pessimarum, ut Amorrhæorum, Gomorrhæorum, Sodomitarum, & similium ; immò totius orbis corrupti in viis suis : Porrò omnis figura minor est figurato, & veluti quædam pictura. Ad hæc cogita superare omnes DEI minas, in Scripturis factas; illæ autem quales & quantæ sunt in Deuteronomio & in Prophetis ? &c.

5. Ejusmodi pœnam eandem esse cum Diaboli pœnâ, secundùm illud, *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*: hoc est pœnam esse omnis peccati, omnis nequitiæ, & omnis malitiæ; & tantam esse ut ipsum Dæmonem tot naturæ dotibus præditum, spiritum adeò sublimem, sic fortem, sic resistentem reddere possit miserum : quantò magis igitur hominem? ut si comparares aurum & aliud metallum cum paleâ.

Cogita 6. Illam pœnam esse terminum, & effectum summi odii Dei : sicut itaque amor DEI erga beatos est causa summi eorum boni, nempe fœlicitatis : ita odium DEI causa est summi mali, hoc est summæ miseriæ & damnationis. Ad hæc sicut summa Dei bonitas agnoscitur ex beatitudine, quia est summa misericordia ; ita summa Dei justitia cognoscitur ex damnatione, quæ est summa severitas : Necesse est itaque illam damnatorum pœnam summam esse. Sed quoniam hæc in universum dicta sunt ad singularia veniamus. Et primum de minoribus loquamur, quæ tamen sunt gravissima, qualia sunt hæc,

I. Locus est carcer. Certè apud omnes nationes quædam loca fuerunt profunda, reorum suppliciis destinata : ut apud Messenios qui dicebatur Thesaurus, in quem conjectus fuit Philopœmenes, ut ait Plutarchus in ejus vitâ ; Barathrum apud Athenienses, & apud Romanos, ejusdem nominis, in quod conjectum fuisse Jugurtham & fame necatum ait Plutarchus in Mario : apud eosdem Romanos Tullianum; apud Lacedæmonios Ceada : sic apud Judæos erant foveæ profundæ, quorum os angustum, fundum tamen amplum ad multos capiendos, & vocabatur lacus, puteus, cisterna, fovea; quales Syracusis latumiæ : eædem apud Iudæos, tenebræ exteriores, propter obscuritatem, & quia extra urbem : Inde erutus est Sanctus Petrus ab Angelo, dùm eis aperta est ultrò porta ferrea quæ ducebat ad civitatem. Sed supra omnes carceres, omnium terrimus est infernus, locus profundissimus, & obscurissimus, omni horrore, calamitate & mœstitiâ plenissimus, longissimè distans à cœlo, unde rebus inferioribus omnis amœnitas; sentina universi, & miserorum sedes. Certè carceris profunditas, angustia, obscuritas, & aëris malignitas, pædor, odoris tetritas, multùm faciunt ad tormentum : nam vel solum esse in voragine, & in illis perpetuis tenebris, & sine ullâ spe emergendi ingens est supplicium, quâvis morte gravius. Augebit hujus carceris afflictionem murorum firmitas & spissitudo, quæ omnem spem evadendi excluderet : etenim undique ambitur spissitudine terræ, quæ à centro ad superficiem, plusquàm mille leucas continet. Quis ejusmodi murum perfodiat? Sed quìs ascendat, corpore semper ad ima per spatia vacua tendente ? hoc significant illa nostri Evangelii verba, *& sepultus est in inferno*: id est, obrutus.

II. Vincula : secundùm illud Matth. 22. *ligatis manibus, & pedibus ejus*, non tantùm quia libertatem amiserint, sed quia damnati in suis

suis pœnis erunt immobiles, ne motu saltem aliquo se vel minimum solentur, secundùm illud Exodi 15. *fiant immobiles quasi lapis.* Certè omnis mutatio aliquid habet solatii: sed ut sciant nihil in suis pœnis mutatum iri, in illis erunt immobiles.

III. Tenebræ exteriores & æternæ: nam Iobi 10. vocatur *terra tenebrosa, & operta mortis caligine, terra miseriæ & tenebrarum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*: unde erit & privatio omnis consolationis, & perpetua trepidatio. Harum tenebrarum figura, fuerunt tenebræ Ægyptiacæ, de quibus loquitur Sapiens cap. 17. Sapientiæ, *vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt*: nempe non solâ privatione torquebantur; nam talis vinci potuisset lumine, quod fieri potuisse ibidem negat Sapiens, sed densatis vaporibus inducebantur ejusmodi tenebræ, unde erant palpabiles, & modum impedientes. Pergit Sapiens: *Paventes horrendè, & cum admiratione nimiâ perturbati: neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbat illos, & personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant.* Vide effectum tenebrarum: nam in illis est privatio cognitionis omnis: & si in illis adsint spectra, quæ per intervalla sese offerunt, aut si audiatur fragor, est ingens timor qui oritur & ex ignoratione, & ex iis quæ videntur, nam semper graviora expectantur: Insuper Sapiens. *Et ignis quidem nullâ vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctè horrendam; apparebat autè illis subitaneus ignis, timore plenus: & timore perculsi illius quæ non videbatur faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur*: Verùm illæ tenebræ fuerunt tantùm imago æternarum tenebrarum, secundùm ultima verba illius capitis 17. *gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat.*

IV. Dæmonum, & aliorum damnatorum perpetua societas. Quàm grave inter miseros semper degere, semper audire luctus, gemitus, clamores & querelæ! Quàm durum semper esse cum iis, quos oderis, & qui te oderint! assiduè cum illis esse, & eorum maledicta, contumelias, exprobrationes, & furias perpeti, & cum illis colligatum esse! secundùm illud Matth. 13. *alligate in fasciculos*: nam ejusdem criminis rei in unum colligabuntur. Audi quid dicat Isaïas cap. 24. *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur*: id est, post longissimi etiam temporis durationem, eodem modo, & in eodem loco, & in iisdem pœnis reperientur: Et Eccli. 21. *Stuppa collecta, synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis*: Collecta dicitur synagoga, Quia instar stuppæ in cumulum colligentur, ut simul jaciantur in flammas propter pœnarum æqualitatem. Sed super cætera gravis erit Dæmonum societas, quis enim eorum sævitiam & crudelitatem satis explicet? de quibus dicitur Eccli. 17. *Sunt spiritus qui in vindictam creati sunt*: erunt enim tortores,

V. Afflictio omnium sensuum interiorum, & exteriorum, nempè singulorum à propriis objectis. Visus enim tenebris, & spectris horrendis, & stagni ardentis aspectu, & loci totius immanitate, & fumo acerrimo torquebitur. Auditus clamoribus, ejulatu, maledictis, & blasphemiis in Deum; in seipsos; in alios: aliisque furoris, & desperationis signis; eorum nimirum, qui non planè demersi sunt in stagno. Odoratus fœtore teterrimo, & intolerabili: quippe erit infernus totius mundi sentina, & vorago: ibi pudor, putredo, infectio, colluvies, & quidquid odoratum affligere potest; secundùm illud Isaiæ 3. *Et erit pro suavi odore fœtor.* Gustus & lingua tùm à sulphure ardente, tùm à siti intolerabili, de-

quâ potissimùm dives epulo conquerebatur: & à fame rabidissimâ, tùm ab amarissimo succo, quo lingua & os imbuetur, tùm ab iis rebusque nauseam & horrorem solent incutere. Quòd si Job ita de se conqueritur cap. 6. *Quæ priùs nolebat tangere mea, nunc præ angustia cibi mei sunt*, Quantò magis hanc pœnam sentient damnati? Denique sensus tangendi ac totum corpus gravissimis doloribus, & mutuâ compressione, & angustia immensa torquebitur, secundùm illud Apocal. 18. *Quantùm in deliciis fuit, tantũ date illi tormentum.* Porrò illæ sensuum afflictiones per se seorsim spectatæ, tantæ erunt, ut quælibet satis esset ad hominem statim interimendum, si mori posset: & quantas nemo in hac vita ferre posset. Etenim magnitudini miseriæ quæ erit in parte superiori, respõdebit miseria corporis, & partis inferioris in exacta proportione. Ad hæc singulæ corporis partes suam afflictionem simul ac semel patientur, Deo vires præbente ut suas pœnas distinctè sentire possint. Item omnes passiones quæ dolorem possunt inferre, simul exurgent. Ad hęc imaginatio & appetitus, secundùm totam latitudinem patientur. Nec unum objectum aliud impedit, nec id impediet animæ finitudo, quia Deus illam corroborabit, ut simul pati omnia possit, & singulis attendere: præsertìm quia objecta, & agentia torquentia non corrumpent organa, quæ consequenter semper erunt integra ad pœnam. Quòd si unus dolor si sit acutus tibi planè intolerabilis videtur præsertìm si sit diuturnior, quomodo dolores feres omnibus acutis graviores, idque per æternitatem?

Sed ut hæc & alia multa præteream, duo maxima supplicia in Scripturâ ferè perpetuò conjunguntur, vermis & ignis: Marc. 9. hæc verba repetuntur. *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*: Judith. 16. *Dominus vindicabit in eis: In die judicij visitabit illos dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum.* Eccli. 7. *Vindicta carnis impij, Ignis & vermis*: Isaiæ ultimo, *Vermis eorum non morietur, & ignis illorum non extinguetur*:

I. Quòd pertinet ad vermes, non pauci ex SS PP. & Interpretibus Scripturæ illos existimant veros esse vermes, & materiales, qui damnatorum carnes perpetuò, & immortaliter arrodant interiùs, cum incredibili corporum dolore, simul & fœditate: simul enim junguntur ignis & vermis: *Vermis eorũ non moritur, & ignis non extinguitur*: Sicut igitur ignis qui damnatos comburit, & torquet, ignis verus est, & materialis, ita vermem volunt esse verum & materialẽ, & non tantùm metaphoricum, ne inter pauca verba sit sensus adeò diversus, ut vox una verè accipiatur in sensu naturali, alia in sensu metaphorico: præsertìm cùm vermis dicatur esse supplicium carnis, & corporis, secundùm illud Eccli. & Judith. Quales autem sint vermes illi, describit Basilius in Psalm. 33. ubi agens de damnatorum pœnis sic loquitur: Deinde vermium genus, venenum immittens, ac carnem vorans, inexplebiliter edens, neque unquam saturitatẽ sentiens, intolerabiles dolores corrosione ipsa infigens: Idem docent Chrysost. & Theophylactus: Anselmus in Elucidario: Haymo in cap. ultimum Isaiæ, & alij, Cyrillus Alexand. in oratione de exitu animæ, hunc vermem appellat fœdum, & olentem, ut intelligas miserum corporum damnatorum statum, dum exprimuntur vermibus undique putridis scatentia interiùs, & exteriùs, qui damnatum semper exedunt, & arrodunt sine ullâ quiete, mirabili quâdam ratione, sine ulla corporum diminutione, propter immortalitatem, sed semper cum acerbissimo sensu: sicut corpora comburentur ab igne, sine illorũ consũptione, aut diminutione: undè à vermibus, triplex supplicium: doloris, fœditatis, & fœroris. Simile quid in Iobo nobis proposuit Scriptura c. 30. *Nocte os meũ perforatur doloribus.* Vide quomodo pene-

penetrarint usque ad ossa ejus vermes immò quomodò ipsâ suâ arrosione eum perforarint: *Et qui me comedunt, non dormiunt: In multitudine eorum consumitur vestimẽtum meũ.* Nempe totum Jobi corpus scatebat vermibus, qui eum sine requie arrodebũt: sed quàm immaniores erunt in inferis vermes qui nunquam morientur, secundùm illud, *Et vermis eorum non moritur*: itaq; damnatorum corpora semper lacerabunt. Verùm quia uti scripsit Innocentius III. libr. de contemptu mundi, duplex erit in damnatis vermis, unus exterior, alter interior: exterior qui rodet corpus: interior qui rodet cor: propterea passim Doctores & Scripturæ Interpretes post Sanctum Thomam, in vermibus conscientiæ angorem, seu morsum intelligunt: qui ut benè advertit Sanctus Chrysost. ad Theodorum lapsum, non minus exagitat, & cruciat damnatorum animas, quàm quodlibet aliud gehennale flagellum: immò maximam tormentorum inferni partem efficit: est autem metaphora ad hunc internum angorum exprimendum aptissima, ut advertit S. Hieron. in cap. ult. Isaiæ, qui in eum finem adducit illud Proverb. 25. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri, nocet cordi*: Docet autem Innocentius III. libr. de contemptu mundi cap. 1. triplicem esse ejusmodi vermem, seu torquendi formam, seu triplicem morsum: Vermis, inquit, conscientiæ tripliciter lacerabit: affliget memoriâ; serâ turbabit pœnitentiâ; torquebit angustiâ.

Itaq; vermis & conscientiæ morsus erit recordatio præteritorum, secundùm illud quod dicitur Epuloni, *Fili recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ.* Quàm autem sit amarus hic morsus, quàm acerba memoria, optimè explicat Sanctus Bernardus lib. 5. de Consider. c. 12. Hic est vermis qui non moritur, memoria præteritorum: semel injectus, vel potiùs innatus, per peccatum inhæsit firmiter, nequaquam deinceps avellendus: nec cessat rodere conscientiam, eâque pastus, escâ utique inconsumptibili, perpetuat vitam: horreo vermem mordacem, & mortem vivacem: horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis: Hæc est secunda mors, quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit; Quis det illis semel mori, ut non moriantur in æternùm, qui dicunt *montibus cadite super nos, & collibus operite nos*: Quid nisi mortem, mortis beneficio, aut evadere volunt? Denique *invocabunt mortem*, ait, *& non veniet*: Intuere id clariùs. Constat immortalem animam esse, nec aliquando absque suâ memoriâ vivere, ne non animam aliquando esse contingat. Itaque durante anima, durat & memoria: Sed qualis? Fœda flagitiis, horrenda facinoribus, vanitate tumida, contemptu hospida, & neglecta: Quæ priora, transierunt, & non transierunt: transierunt à manu, sed non à mente, Quod factum est, factum non esse, non potest: proinde etsi facere in tempore fuit, sed fecisse in sempiternum manet: Non transit cum tempore, quod tempora transit: In æternum ergo necesse est cruciet, quod perperàm te egisse in æternum memineris. Hæc ille. Cùm igitur tam multa præterierint in vita, cogita quot morsibus tua conscientia dilanianda sit? Quàm brevi tempore committitur adulterium, sed quot sæculis adulterii commissi recordatio te vexabit? Semel admissum est, sed infinities animum torquebit: Non transit cum tempore, quod tempora transit: In æternum ergo necesse est cruciet, quod perperàm te egisse, in æternum memineris.

2. Conscientiæ morsus est, ex Innocentio III. sera pœnitentia: ea scilicet cogitatio quâ se perpetuò vexabunt damnati, quòd sua culpa exciderint à felicitate, & quòd æternis suppliciis se maneiparint ob res nihili, & tàm levi de causa, idque sine ullo

amplius

amplius remedio. Hinc enim nascetur incredibilis tristitia, quæ immensâ quâdam acerbitate cor eorum, tanquam vermis arrodet: quòd, ut iterùm illud dicam, inæstimabilem illam gloriam quæ illis erat quasi in manibus, suâ stultitiâ amiserint, & quòd in æterna tormenta se præcipitaverint: quæ cogitatio non minimum erit eorum supplicium. Quàm cuperent non fecisse! Quàm dolebit amisisse! Quàm grave erit nihil remedii superesse!

3. Conscientiæ vermem sic exprimit Innocentius III. Torquebit angustia, dum semper se sentient damnati premi à malo instanti & inevitabili: Hinc enim nascetur desperatio: ex desperatione furor, & odium in Deũ, & in omnia quæ Dei sunt, & in seipsos & in omnes damnatos suarũ pœnarũ socios: ex odio autem blasphemiæ & maledicta. De desperatione res est manifesta: hoc enim ipso quòd sciunt suas pœnas esse inevitabiles, ac sine remedio, easque fore æternas, necessariò desperabunt, & omnem animi motum in bonum abjicient. Hinc furiosi impetus sequentur, sicut in hominibus desperatione actis fieri consuevit, nempe iræ, & odij in Deum, quibus vellent illum perdere si possent; & quia ei nocere non poterunt, disrumpentur præ indignatione, ac furore, & prorumpent in blasphemias & maledicta, quibus ei, & Sanctis, & seipsis maledicent. Id insinuat S. Dionysius libr. de Divinis Nominibus cap. 4. ubi ait in Dæmonibus esse furorem irrationalem (quia contra Deum) cupiditatem amentem (cùm optent illi malum) & phantasiam præcipitem (ut pote quâ contra illum quidlibet animo concipiant) Nihil enim occurret quod non velint, quodcunque sit, modò contra Deum esse videatur.

Porrò justitia Divina hos vermes exacuet & animabit, faciendo ut mens damnati, hæc omnia assiduè & acriter apprehendat & cogitet: & secundùm uniuscujusque malitiam, horum omnium consideratio erit in singulis acrior, vel remissior, ut major quoque vel minor sit tristitia, pro mensurâ meritorum cujusque.

Ultimum superest, ut de igne dicamus omnium tormentorum notissimo.

Certum est 1. in Inferis esse & verum & corporalem ignem, ubique enim Scriptura loquens de pœnis inferorum, meminit ignis, & inculcat ignem, & ignem minatur, & in ipsâ Judicis sententiâ pœna ignis exprimitur: *Ite maledicti in ignem æternum.* & Marci 9. terrepetitur, *ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*; quò manifestè patet verum esse ignem: quando enim aliquid methaphoricè dicitur, non semper eodem modo exprimitur, nec iisdem verbis, itaque illa verba sumenda sunt in proprio sensu.

Certum est 2. Corpora & animas cruciandas esse illo igne, unde in sententiâ dicitur, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*: Marci. 9. *omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur*: id est, sicut omnis victima quæ Deo offerebatur, sale aspergebatur, & ex cap. 2. Levitici, *Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies*: Ita omnes peccatores, cùm sint futuri velut victima Justitiæ Divinæ, igne, veluti sale, condiendi sunt, & saliendi: Peccatores comparat victimæ ex more Scripturæ; *Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom*: Isa. 34. ignis autem comparatur sali: utienim sal vim quandam igneam habet, teste S. Hilario, quâ urit, & conservat corpora; ita ignis infernalis uret corpora damnatorum, sic tamen ut integra servet ad pœnam: Apoc. 20. *Et Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi bestia, & pseudo-propheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*: & cap. 21. *Pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure*; in quibus locis observandæ sunt voces cruciandi, & ardendi, quæ

quæ significant actionem aliquam prodire ab igne in damnatos ex vi damnationis, quæ illis cruciatum afferat, uti patet ex unanimi SS. Patrum interpretatione. Iustinus Martyr in Apolog. ad Antoninum inter alia dogmata à Christo revelata, hoc ponit, Animas etiam cùm à corpore separatæ sunt, dare in sensu pœnas per ignem æternum. Cyprian. epist. 55. vocem cruciandi sic explicat; flammæ cremantis ardoribus aduri. S. Hilar. in Psal. 57. ex eâdem voce colligit, Animas damnatas absorberi ab igne, cum sensu pœnæ. Gregor. Nyssen. in orat. de anima & resurr. hac ex causâ ignem inferni appellat flammam dolorificam. S. August. ad q. 8. Dulcitij illud Matth. 25. *ibunt hi in supplicium æternum*, sic explicat, in combustionem, hoc est, in operationem ignis, quibus verbis refutatur opinio Originis, qui ut refert S. Hieron. epist. ad Avitum cap. 1. censebat, solâ apprehensione Dæmones torqueri ab igne, eo modo, quo quis torquetur suorum peccatorum memoriâ: nam ex verbis Scripturæ constat prodire ab igne aliquam actionem physicam, nec tantùm intentionalem, quæ damnatos & Dæmones torqueat.

Certum est 3. illum ignem esse sulphureum: Apoc. 14. *Si quis adoraverit bestiam, cruciabitur igne, & sulphure*, & cap. 21. *Pars illorum erit in stagno ardenti, igne & sulphure*: Psal. 10. *pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum*: & alibi passim mentio sulphuris. Idque convenienter: est enim sulphur aptissimum punitioni impiorum, tùm propter vim igneam, quia facilè & vehementer exardescit, tùm propter odoris tetri acrimoniam, quæ fœtori peccatorum congruit: tùm quia in suffitu in expiationibus domorum sulphur adhiberi solet ex Plinio lib. 35. 15. Inquinarunt peccatores domos suas, nempe animam, & carnem suam, peccando dum viverent: & ideò conveniens est, ut Deus igne sulphureo hasce domos, quantum fas est, expiet, & quodammodò sanctificet: supplicium enim peccatorum quod Deus exigit, est quoddam genus expiationis & purgationis. Audi Nyssen. in oratione de anima & resurr. Dum vigili illo igne malitia absumitur, omninò necessarium est, animam malitiæ unitam in ipso igne esse. Est autem duplex expiatio, una malitiæ consumptio, quod fit per satisfactionem, quæ non est in altera vita; altera malitiæ punitio, quod fit per satispassionem, & hæc est in inferis.

Certum est 4. Ignem esse aptissimum Divinæ justitiæ instrumentum propter summam vim agendi: Nam hactenus inter homines, nullum est inventum majus tormentū, quàm ignis, qui præter vim quam habet naturalem, ita est in manu Dei, ut extolli possit ad actum ejusdem generis perfectiorem, & superiorem ordinis. Itaque ignis ita poterit à Deo extolli per singularem concursum, ut agat in Dæmones, & animas damnatorū: unde inæqualiter sæviet in quoslibet damnatos, immò inæqualiter in membra corporis, secundum illud, *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.*

Certum est 5. illum inferorum ignem à nostro vulgari igne, in multis esse diversum: Ex differentijs paucas afferam ex Patribus.

1. Enim ignis inferni comburit, non illuminat: Hoc sensu S. Basilius interpretatur hæc verba Psalm. 28. *Vox Domini intercedentis flammam ignis*, idem docet orat. de futuro judicio: Idem S. Chrysostom. paræsi 1. ad Theodorum: itaque Græci vocant caliginē: alij tenebras exteriores, in quas Rei projiciuntur: In cap. 14. Apocal. *fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula.*

2. Non eget nutrimento: unde multi ex Sanctis Patribus eum dixere spiritalem, & incorporeum, hoc est immaterialem, quòd

materiâ non indigeat, & pabulo, uti noster ignis.

3. Est inextinguibilis, sic enim ait Salvatoris Præcursor, Matt. 3. *paleas autem comburet igni inextinguibili.*

4. Est consequenter perpetuus, nam si sit inextinguibilis & non egeat pabulo perire non potest, unde dicitur, *discedite in ignem æternum.*

5. Sic urit ut non consumat: Augustinus Sermone 227. de Temp. loquens de illo igne: Sævit, & parcit; cruciat & relervat, nec totum est quod punit, cui sævum est quod ignoscit. Quæ omnia ostendunt inusitatum esse ignem, & ad torquendum tantummodò comparatum: unde Lactant. 7. Instituit. cap. 21. modum castigationis eius, ait esse inenarrabilem: Chrysost. paræn. 1. ad Theodorum, vocat ejus tormenta, cruciatus à nobis indicibiles: S. Doroth. doctr. 12. appellat eum Ignem inexplicabilem: Aug. 21. Civit. cap. 10. Mirum & ineffabilem. His positis.

Cogita in medio terræ esse ingentem cavitatem, in cujus medio, est stagnum & sulphuris ardentis, & igniti, qui in Apocalypsi vocatur, nunc *puteus abyssi* ob profunditatem, nunc *iræ Dei magnus*: nunc *stagnum ardens*, & passim in Evangelio, *Caminus ignis*: In illud autē stagnum sulphureum mergentur omnes peccatores, alij magis profundè, alij minùs, pro criminum qualitate, ibique torquebuntur. Cyprianus serm. de Ascens. Incendia corpus nudum allambent &c. deinde: In proprio adipe frixæ libidines ebullient, & inter fartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur. Erit itaque cutis tota ardens, quasi vas quoddā in quo caro & humores ebullient, uti medullæ intra ipsa ossa. Nec verò solùm ignis exteriùs applicabitur, aut ipsi tantùm mergentur in stagnum igneum, sed ignis etiam, & sulphur ignitum intra corpora, in ipsis viscеribus, in ipsis ossibus sic implicabitur, & se se insinuabit, ut ipsi toti ardeant, Deo relinquente igni vim ad comburendum & inflammandum, & virtutem addendo ad torquendū secundùm uniuscujusq; demeritum, non autem ad dissolvendum, & perimendum: præter actionem quâ idem ignis, immediatè animas, sicut Dæmones, mirabili quodam urendi & cruciādi modo torquebit. Erūt igitur dānati, sic dispositi ut ligna ardentia in foco, aut pyra; ut carbones accensi, sibi invicem impositi; implicati in abysso, & quasi in suis pœnis sepulti, juxta illud *sepultus est in inferno*: Ita ut extrinsecùs nullū possit illis accidere refrigerium, nec possint aliquid levaminis accipere à respiratione libera, vel clamore, qui in magnis tormentis naturaliter adhiberi solet ad doloris aliquantulum solatium. Huc referri potest quod dicitur in Annæ Cantic. 1. Reg. capite 2. *Impij in tenebris conticescent*: quales fortè erunt qui graviùs peccarunt. Quòd si omnes demergentur, ita ut nullus supernè extet, omnes clamores compescentur, & omnes blasphemiæ vocales, ibiq; erit magnum silentium, quòd non parùm augebit ipsorum tormentū, dolore intus sæviente, nec valente per vocē erumpere: dùm interim fumus sulphuris ex incendio sursùm tendens, & magna vi repulsus, ingentes excitabit procellas, magno impetu, & fragore, & damnatorum terrore, secundùm illud psal. 10 *Ignis & sulphur, & spiritus procellarū, pars calicis eorum*: & in Epist. 5. Judæ, *Quibus procella tenebrarum servata est*: undè vehementius ignis inferorum exardescet: Isaiæ 30. *flatus Domini, sicut torrens sulphuris, succedens eam*. Quid hic interim damnati? Paucis verbis id Christ⁹ exprimit: *Ibi erit fletᵘˢ, & stridor dentiū*: Fletus erit sine lachrymis *un pleur sās larmes*, ut nulla sit corporū solatio: sed erit gemitᵘˢ, & singultus imēnsus, & certa quædā oris oculorū, & totiᵘˢ vultus perturbatio, ac deformatio, cū ejulatu & vociferatione, aut eorū saltē conatu, uti fieri solet in amarissimè flentibus aut

aut dolentibus. Jam ut fletus erit index summæ tristitiæ, ita Stridor dentium, furoris, & summi doloris, quem sentient ex igne: Sicut enim sunt duæ partes præcipuæ afflictionis damnatorum, nempè summa tristitia animi de tanto bono amisso, & de tanto malo in quod incurrerunt; & summus dolor in corpore, productus ab igne, & ab aliis causis externis: Ita duplex erit signum hujus afflictionis, fletus, & stridor dentium.

Sed quandiu erunt ista? *Ibi erit fletus, & stridor dentium*: computa dies, numera menses, annos adjice, committe sæcula: supplicii fecisti initium, nondum autem æternitatis: *Ibi erit fletus & stridor dentium*: Et semper erit: quia quidquid præterierit, nil fuit de æternitate; quod superest, æternum est, & erit.

I. Reflexio Est ne aliquid in humanis rebus, vel quas homines timent, vel quas ipsi appetunt, quod tantæ rei possit æquari?

1. Itaque cogita, num sit aliquid timendum in comparatione damnationis æternæ. Quare Christus sic suos hortatur Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs eum timete qui potest animam, & corpus perdere in gehennam.* Minare quodcunque volueris, carcerem, exilium, bonorum spoliationem, infamiam, dedecus, verbera, cruciatus, & mortem: Sed qualia sunt ejusmodi? nam cùm hæc fecerint, *non habent amplius quid faciant qui occidunt corpus. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Luc. 12. Certè qui hoc non timet, quid tandem timere potest? Quòd si in rebus humanis minora mala facilè feruntur, ut majora evitentur: quod non nobis subeundum, ut tanta mala evitentur? Ex hac cogitatione quàm multi rebus omnibus nuntiũ remisere? Quàm duriter corpora sua tractaverunt? Num putas religiosos desipere quorum multi in perpetuâ vivunt pœnitentiâ? Sed qui inferni pœnas cogitant, omnia levia esse judicant.

Cogita 2. An in rebus humanis, hoc est, in sceptris & regnis, in gloriâ, in divitiis, in voluptatibus, in vindictâ, sit aliquid, quod tanto supplicio velis emere. Quis sic comburi vellet unum annum, ut centum annis regnaret? Sed quis ut paucis annis regnaret, sic vellet centum annos aduri? Sed quid annos centum commemoras, cùm res agatur æternitatis? Vbi ergo prudentia, ut pro re admodùm vili, pro fugaci voluptate, pro gloriâ tam inani, aliquis velit totam æternitatem torqueri? Quid hîc de nobis suspicer? an incredulitatẽ, an ignorantiam, an incogitantiam, an stultitiam, an furorem, atq; animi desperationem? In te incredulitatem post tot Scripturarum testimonia, tot miracula, tot exempla; Ignorantiam credere non possum, post tot monitiones, conciones, doctrinas: Dicam ergo incogitantiam & imprudẽtiam? Sed ubi sensus? Si credis: quid aliena cogitas, non tua, non duratura, & nullius momenti? Hæ verò tua, tam certa, perpetuò mansura, quæ tanti sunt ponderis, non cogitas? *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimẽtum patiatur?* Quàm verè dixerim stultitiam, secundùm illud, *Vtinam saperent & intelligerent, ac novissima providerent!* Sed omniũ verissimè accusare possum furorem, ac desperationem; huc enim multorum vita & mores eos deducunt: Siquidem cùm vitam suam præteritam intuentur, omnem spem abjiciunt: de quibus Apostolus Ephes. 4. *Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam,* hoc est inexplebilis, & insaturabilis, qualis solet esse pecuniarum cupiditas.

2. Reflexio. Cùm unicum peccatum mortale sufficiat ut incurrant homines in hæc mala,

& tam facilè peccatum ab iis admittatur: hinc facilè intelligimus quid de magnâ eorum parte judicare debeamus, qui Deum tam facilè, & securè offendunt! Age enim, mî Auditor; an DEVM mortaliter aliquando non offendisti? Si ita est, si te Deus in eo statu occupasset, quo nunc statu viveres in tormentis, in ignibus illis sempiternis, in horrendis illis cruciatibus? Vide an non rectè moneat Apostolus ad Philippens. 2. *cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Cùm in tantarum rerum periculo simus, hæc in rebus omnibus cogita; sed præsertim in peccati occasionibus quæ se se offerent: ac scito ex duobus alterum esse necessarium, aut Cœlum, aut Infernum. Vide quantarum rerum periculo anima jactetur, aut æternæ damnationis. Supereſt ut eligas: sed scito, tempus eligendi non esse alteram vitam, sed præsentem; & in præsenti, sic fieri electionem, ut non fiat solâ æstimatione, sed vitâ & moribus. Vt si sanctè hîc vivas & benè moriaris, vivas in æternum cum Christo & Sanctis in gloriâ. Amen.

FERIA QVINTA VEL SEXTA
DOMINICÆ SECUNDÆ
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO SEPTIMA

De æternitate pœnarum Inferni.

Feriâ 5 *Inter nos, & vos chaos magnum firmatum est.* Lucæ 16.
Feriâ 6. *Malos malè perdet.* Matth. 21.

CVM in pœnarum Inferni multitudine omnia summa sint, nil tamen ex omnium hominum sensu majus apparet quàm earum æternitas. Quidam aliàs dixit omnes hujus vitæ dolores esse tolerabiles, quoniam si essent vehementes, breves futuri essent, eo quòd hominem perimerent; quod si essent diuturni, leviores forent: sed in inferno, & pœnæ omnes gravissimæ sunt, & non tantùm diuturnæ, & longissimi

simi temporis, sed etiam æternæ. Rationem affert S. Augustinus lib. 19. de Civit. cap. 28. Hîc quando contingit ille conflictus (nempe supplicii) aut dolor vincit, & sensum mors adimit; aut natura perdurans vincit, & dolorem sanitas tollit: Ibi autem & dolor permanet ut affligat, & natura perdurat, ut sentiat, quia utrumque ideò non deficit, ne pœna deficiat. Hæc ille. Et de hac pœnarum æternitate nobis hodie Sermo est, ut quia in æternitate nulla est muratio, nullumque æternitatis remedium, dùm licet in tempore, infelici æternitati occurramus: Et uti dixit S. Gregor. Ante supplicium cogitemus de supplicio, & ante æternitatem, de æternitate: Nam secundùm Bern. Serm. ad Clericos cap. 4. Hæc fratres mei, qui paver, cavet: qui negligit, in ea incidit. Sed quo res est majoris momenti, eò etiam, majori egemus auxilio: Hoc nobis à Spiritu sancto impetrabit Virgo, quam salutemus. AVE MARIA.

REM hodiernam aggredior per difficilem, & quæ meum captum superat, audeo etiam dicere & vestrum, loqui vobis de pœnarum inferni æternitate, hoc est rem metiri quæ superat omnem mensuram; numerare illius rei partes, quæ est supra omnem numerum; & rem illam definire, cujus nullus est finis. Ajebat Sapiens Ecclesiastici 1. *Arenam maris, & pluvia guttas, & dies sæculi, quis dinumeravit?* nemo profectò; sed tamen certo numero constant: At æternitatem nemo potuit numerare, nam licet omnes in se numeros complectatur, nullo tamen definitur. Pergit Sapiens, *Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi, quis dimensus est?* nemo fortasse, quamquam fuerunt qui conati sunt; sed tamen neque cœlum in infinitum attollitur, & terræ spatia sunt definita, & maria definitam habent profunditatem: Sed æternitas nullis definitur spatiis aut terminis, unde Boëtius eam vocat interminabilem. Quòd si de æternitate in universum loqui difficile est, de pœnarum inferni æternitate longè magis. Vnde cùm dicitur inter fidei nostræ mysteria quatuor potissimùm esse humanæ menti creditu difficilia, Trinitatem, Incarnationem, Eucharistiam, additur pro quarto, suppliciorum æternitas: Sed quô majorem difficultatem continet, eô majorem ea res postulat & diligentiam meam, & attentionem vestram. Ego eam materiam ad majorem intelligentiæ facilitatem per varias propositiones sic expono.

1. Propositio. De fide est pœnas Inferorum esse æternas, hoc & nullo fine esse terminandas. Est contra Atheos, ac eos omnes qui animas hominum dicunt esse mortales; primi enim tollunt eum qui pœnas illas infligat; & alii tollunt eos qui patiantur. Est etiam contra Millenarios, qui quod æternum est mille annis definiebant: Et contra Origenem qui uti refert S. Hieronymus in Epistolâ ad Pammachium contra errores Joannis Hierosolymitani, docuit animas Impiorum, & Dæmones, post aliquot sæcula liberandos, & Angelicæ luci, ac puritati restituendos, postquam per ignem & inferorum supplicia fuerint expiati. Demùm contra quosdam nescio quos homines nimis teneros, & misericordes qui sibi persuadere non possunt Deum leves hominum culpas tã brevi tempore cõmissas æternis suppliciis vindicaturum: quòd modis omnibus Dæmon persuadere conatus est: quo sensu S. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 16. illud Jobi 41. interpretatur. *Æstimabit*, id est, æstimare faciet *abyssum quasi senescentem*. Senectus, inquit, pro finis propinquitate ponitur: unde ait Apostolus, *quod antiquatur, & senescit, propè interitum est*. Leviathan itaq; *æstimabit abyssum quasi senescentem*, quia reproborum corda sic infatuat, ut suspicionẽ

eis de futuro judicio, quod quasi finiatur, infundat. Abyssum namque senescere æstimat, qui terminari quandoque in suppliciis supernam animadversionem putat. Hæc ille. Sed contra hos omnes probatur veritas nostræ propositionis, pœnas inferorum esse æternas & fore. Isaiæ 24. *Et congregabuntur in cõgregatione unius fascis in lacum.* Nempè omnes damnati in unum locum, & in unum carcerem projicientur. *Et post multos dies visitabuntur.* Id est, post longa tempora quibus torti fuerint, iterùm torquebuntur, quia nullus unquam futurus est pœnarum modus. Nam nomine visitationis ut sæpè alias, in Scripturâ, intelligitur supplicium: unde LXX. Interpret. sic vertunt, *per multas generationes erit visitatio eorum.* Sed quia hoc loco abusi sunt Origenistæ ut advertit Sanctus Hieronymus & Sanctus Augustinus 21. de civit. cap. 17. licet perperàm, per visitationem liberationem intelligentes, non tormentum: Ideò probatur ex cap. 66. ejusdem Prophetæ. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur:* quæ verba ter à Christo repetuntur Marci 9. *Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur*: Ex quo patet ibi æternum non accipi, uti aliquando, pro longissimo tempore finito, sed pro verâ æternitate, quæ finem non habet. Ita S. Joan. Bapt. apud Matth. 3. *Paleas comburet igni inextinguibili*: Judith. 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum*: Daniel. 12. *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, ut videant semper*, id est, sentiant, & experiantur opprobrium sempiternum: S. Paulus 2. ad Thessalon. 1. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini*, Apocal. 14. *fumus tormentorum ipsorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die, ac nocte.* Sed nihil expressius afferri potest, quàm quod continetur in ultimâ Judicii extremi sententiâ Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Ac ne putares ignem futurum æternum, sed non combustionem æternam, ideò subjicit, uti notavit S. Augùst. *& ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Hæc duo simul dixit, advertit S. Augustinus, & vitam æternam, & æternum supplicium, ut æternitatem æquè agnosceres in supplicio sicut in mercede. Vnde Gregor. lib. 34. mor. cap. 16. Si quando finienda sunt supplicia reproborum, quandoque finienda sunt ergo & gaudia beatorum: per semetipsam namque Veritas dicit. *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*: Si igitur hoc verum non est, quod minatus est: neque illud verum est, quod promisit, &c. Et si falsa minatus est, ut ab injustitiâ corrigeret; etiam falsa pollicitus est, ut ad justitiam provocaret. Sed quid contra hanc veritatem objiciant adversarii, audiamus.

1. Enim Origenis discipuli, repugnare dicunt Divinæ bonitati, ut Deus ob momentaneam delectationem solâ cogitatione conceptam miserum hominem per æternitatem puniat. Vt quid enim Scripturæ adeo extollunt divinam bonitatem, ut quid David tam sæpè canit. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*, quod vicies repetit, si Deus adeò severus est, ut plurium sæculorum tormentis sibi satisfactum non putet; ut per æternitatem miserum hominem ultricibus flammis torreat? Nonne hominibus meliùs fuerat omninò eos non creare, quàm creatos per æternitatem torquere? Certùm est ait Gregor. in c. 41. Iobi, quòd pius atque omnipotens, non patitur cruciatibus iniquorum: cur igitur cruciantur miseri si non expiantur? Certè inter homines rei puniuntur, & aliquando severissimè, sed ad aliorũ terrorem: sed ut damnati in æternum crucientur nihil ipsis prodest, quia

non

non emendantur, nihil aliis, quia nulli erunt, quia ab hoc exemplo proficiant. Æternum supplicium minitetur ad terrorem, sed non inferat, quia in æternitate supplicii nihil reperitur nisi severitas, & si auderet hodemo de Deo loqui, quædam species crudelitatis. Nam quod Scripturæ loquuntur de æternitate supplicii, id benignè interpretandum est de longissimo supplicii tempore.

2. Nobis obiiciunt id repugnare Justitiæ divinæ, ut culpæ quæ tam brevi tempore committuntur, immò sæpe in momento puniantur æternis pœnis. Nam ut refert Gregor. in cap. 41. Iobi. At inquiunt sine fine puniri non debet culpa cum fine. Justus nimirum est Omnipotens Deus, & quòd non æterno peccato commissum est, æterno non debet puniri tormento: Ratio est; Quia pœna culpæ debet commensurari, finiti autem ad infinitum nulla est proportio: itaque servandum est quod dicitur in Apocal. cap. 18. *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*: Quid itaque esse potuit in tempore, quod æternitatem supplicii mereri potuerit? Certè quod æternum est omnem mensuram, & consequenter omnem proportionem superat: cùm itaque supplicij irrogatio ad justitiam pertineat, non debet esse contra justitiam, quod sanè accideret si supplicia forent æterna.

3. Objiciunt, Creaturæ conditionem id ferre non posse, tùm ex parte agentis, tùm ex parte patientis: nam quis ignis esse potest æternus, cùm egeat pabulo, siquidem in finito tempore, omne pabulum sæpiùs absumpserit: Et corpus passibile non potest semper esse passibile, nam illud tandem perire necesse est, licet per multum temporis flammis restiterit: si enim patitur necesse est ut aliquid detrimẽti patiatur, si patiatur detrimentũ, oportet ut aliquo tandẽ tempore consumatur & pereat: præterquàm quòd id quod finitũ est, nullo modo potest cũ infinito compati; unde nullus unquã potuit comprehendere ut aliquid in ignib⁹ arderet, quin tandem aliquando non periret.

Videte, Auditores, quàm inanes sunt mortalium ratiocinationes, & quàm leves hominum conatus, in quibus, ut ait Scriptura Sapientiæ 13. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex.* Sed nimirùm, *mentita est iniquitas sibi*, quidquid enim objiciant impii, impedire non possunt, quin verum sit æterna esse inferorum supplicia: mihi sufficit sola fides, & Scripturæ testimonium irrefragabile. Et hoc in universum statuendum est, quidquid nobis proponitur fide credendum, ita tenendum esse, ut quidquid incontrarium objici potest à quocunque, semper habeatur pro falso, seu illud comprehendam, seu non comprehendam: Itaque ad propositas objectiones nobis sufficit pro responsione divina authoritas. Nam in ejusmodi rebus non ratione, sed fide, & authoritate decertandum est: Itaque mihi satis esset, si ita responderem: 1. quidem cùm dicitur pœnarum æternitatem pugnare cum divinâ bonitate: Respondeo id planè esse falsum. Quia id nobis fide credendum propositum est. 2. Cùm dicitur id repugnare divinæ Iustitiæ: Respondeo quoque id esse falsum, quandoquidem id nobis revelatum est, & pœnarum æternitas fide credenda proponitur. Denique ad id quod objicitur id non ferre conditionem creaturæ tàm ex parte agentis quàm ex parte patientis: Respondeo non repugnare, quandoquidem id nobis fide credendum proponitur: Plus enim valet apud me authoritas divina, quàm ulla cujuscunque authoritas, quàm ulla ratio, quàm ulla experientia; Et hoc unum mihi sufficit, quòd ita credendum mihi propositum sit, Sic ego probo.

bo Trinitatem, sic statuo Incarnationem, sic divinam Eucharistiam, sic reliqua Mysteria: Et eodem modo suppliciorũ infernalium æternitatem, & in omnibus argumentis in contrarium propositis, unicam fidem oppono. Non quòd mihi desit quod respondeam, sed quòd nihil melius habeam quod respõdeam: Nam cùm aliter respondeo, rationem rationi oppono: cùm autem sic respondeo, primam veritatem fallibilitati oppono: & divinum intellectum, supremamque authoritatem humano intellectui antepono. Sed quia exemplo Apostoli Rom. 1. *Sapientibus & insipientibus debitor sum*, ut impiis etiam satisfaciam & obstruatur omne os, ad singulas objectiones, quo ordine factæ sunt, respondeo.

Ad 1. itaque, ubi dicitur pœnarum æternitatem repugnare Dei bonitati. Respondeo, Malè pleroſque Dei bonitatem metiri mali patientiâ, non satis intelligentes, Deum eo ipso mala punire quia bonus est, secundùm illud Sapientis, *Contra malum bonum est, & contra mortem vita*; unde fit ut Deus suâ bonitate malum prosequatur: Id præclarè docuit Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. 13. Quis boni author, nisi & qui exactor? proindè quis mali extraneus, nisi qui & inimicus? quis inimicus, nisi qui & expugnator, nisi qui & punitor? Sic Deus totus bonus est, dum pro bono omnia est. Et infrà. Vsque adeò justitia etiam plenitudo est Divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, & Patrem, & Dominum: Patrem clementiâ, Dominum disciplinâ: Patrem potestate blandâ, Dominum severâ: Patrem diligendum piè, timendum necessariè: diligendum quia malit misericordiam quàm sacrificium; & timendum quia nolit peccatum: diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris, quàm mortem; timendum, quia nolit peccatores sui jam non pœnitentes: Ideo lex utrumque definit diliges Deum, & timebis Deum: aliud obsecutori proposuit, aliud exorbitatori. Benè est, inquiunt, non negamus peccatores puniendos, sed dicimus Dei bonitatem non ferre æternitatem pœnarum: Verum, ut ait Bernardus libr. 5. de Consider. cap. 12. Numquam recto pravòque conveniet: Itaque si peccatum semper maneat, oportet ut Deum semper sentiat vindicem. At inquiunt, cur tanta misericordiæ divinæ commentatio, si nunquam pacatur, quantocunque tempore punitum fuerit peccatum: Respondet Gregorius in cap. 41. Iobi, Dum fatagunt Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem: Nam quot locis asseruit, pœnam damnatorum futuram æternam? Quòd autem dixerunt æternum hîc sumi pro longissimo tempore longè falluntur, nam dicitur futura pœna sine fine: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum nõ extinguetur*: Nec propterea Deus delectatur pœnis miserorum, Quia, ut ait ibid. S. Gregorius, Omnipotens Deus qui pius est, miserorum cruciatu non pascitur: Quia autem justus est, ab impiorum ultione, in perpetuum non sedatur, sed iniqui omnes æterno supplicio, & quidem suâ iniquitate puniuntur. Nec dicendum est inutiliter puniri, cùm nec ipsi suo supplicio, nec alij eorum exemplo corrigantur: Nam præter quàm sufficit, ut sicut in beatis per æternitatem exercetur misericordia, ita in damnatis per æternitatem exerceatur Justitia Dei; illud etiam accidit quod subiicit S. Gregor. Ad aliquid concremantur, scilicet ut justi omnes, & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in istis respiciant supplicia quæ evaserunt: ut tantò in æternum magis divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quantò in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vitare potuerunt.

Ad 2. Quòd dictum est repugnare divinæ Justitiæ, ut culpæ quæ tam brevi tempore, immò etiam quæ aliquod uno duntaxat momen-

mento committuntur, æternis puniantur uppliciis. multiplex dari potest responsio.

1. Est S. Gregorij in c. 41. Iobi: Rectè dicerent si justus Judex districtusq; veniès, non cordahominũ, sed facta pensaret. Iniqui enim tunc cum sine deliquerunt, quia cum sine vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare, quàm vivere, & ideò hîc semper vivere cupiunt, ut nunquam desinant peccare, cùm vivunt. Ad districti ergo Judicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vitâ, nunquam voluit carere peccato, & nullus iniquo detur terminus ultionis, qui quandiu valuit, habere noluit terminum criminis. Eadem repetit libr. 4. Dialogor. cap. 44. Quia licet actus peccati brevis fuerit, affectus tamen peccantis fuit æternus: vellet enim peccans, si posset, in suâ oblectatione semper manere. Verba Gregorii sunt ista. Vellet sine fine vivere, ut posset sine fine peccare: districtus autem Iudex corda pensat, & affectus, non facta; Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vitâ nunquam voluerunt carere peccato. Eòdem pertinet quod ait S. Hieronymus Ideò sine fine pœnas luunt, quia volũtatẽ habuerunt sine fine peccandi, si naturam haberent sine fine vivendi. Aug. l. 16. de Civit. Dei c. 4. Meritò malus punitur affectu, etiãcui nõ succedit effectus. Cùm itaque homo moritur in peccato, ostendit semper voliturũ peccare si vixisset; ita non peccare desiit, sed vivere. Vis hujus rationis, hæc est, quòd uti in peccati voluntate est quædam æternitas, nullusque finis, ita etiam in pœnâ nullus est finis. Perire quidem mallent impij quàm sic torqueri: Sed uti cuidam reo, mortis maturitatem poscenti, respondit Tiberius dum custodias recognosceret: nondũ tecum in gratiam redii, ita nec hoc damnatis concedetur. Apocal. 9. *In diebus illis, quærent homines mortem, & non invenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.*

2. Responsio est S. Thomæ 1. 2. q. 87. art 3. Id peti ex naturâ peccati mortalis, quod tollit principium vitæ spiritalis, nempe charitatem, & infert mortem animæ, unde sequitur peccatum esse irreparabile, & consequenter mereri pœnam æternam: Vis hujus rationis in eo est: Quia quandiu durat peccatum, tandiu pœnam meretur, nam reatus pœnæ etiam si manere possit culpâ remissâ, tamen manere non potest culpa quin pœnam mereatur: sed in damnato semper perdurat peccatum, nam sine charitate non dimittitur, igitur semper durat meritum pœnæ. Confirmatur: Quia peccator violavit per peccatum ordinem quem habere debebat ad Deum per charitatem, quem cùm non possit eo modo reparare, oportet ut alio modo ipse ordinetur ad Deum, nempe per pœnam: Nam cùm anima sit æterna, nec possit semper manere inordinata, oportet ut aliquâ ratione ordinetur, & ita sit aut subjecta legi, aut subjecta pœnæ: Cùm non possit ita esse primo modo, quia in termino est, oportet ut sit secundo, nempe per pœnam: quæ debet esse æterna, ut extra ordinem anima reperiatur, aut quem ipsa teneat per obedientiam, aut quo ipsa teneatur per supplicium, patiendo. Quia, ut ait Augustinus, tanta est beatitudo justitiæ ut nemo ab eâ deficiat, nisi ad miseriam: hæc autem æterna est, quia defectio æterna est.

3. Responsio est Petri Blesensis Epistola 60. Cùm locus ille viam præcludat ad meritum compensationis etiam beneficium non admittit. Itaque cùm per illa supplicia nulla fiat satisfactio, semper restant pœnæ tolerandæ. Certe ingratus Deo quidquid patiatur nõ satisfaciat, illeque similis est qui creditori sol-

ens usuras pecuniæ creditæ, sui tamen debiti, & capitalis debitor manet ac reus: Ita damnati pœnas semper exolvunt, & semper debitores manent. Eodem pertinet quod ait Emisenus. Cùm damnatus in se non habeat sui mali remedium, nec aliunde accipere dignus sit, ejus supplicium erit sine termino. Quia (inquit) non recipit causa remedium, carebit fine supplicium. Et hoc est quod Christus significavit, cùm dixit quædam esse peccata, *quæ neq; in hoc sæculo remittuntur, neque in futuro.*

Quartam responsionem mihi suggerit. S. Augustinus lib. 9. de Civit. Dei cap. 13. Nunquam esset illorum æterna miseria, nisi esset magna malitia. Vis hujus rationis in eo est: Quod peccatum mortale eam pœnam meretur, quæ ejus malitiæ est æqualis, ut sit tantum & quantum: nam justitia æqualitatem desiderat, & proportionem: peccati autem malitia quodammodo est infinita; quia cùm peccatum mortale sit aversio à Deo aut explicita aut implicita, & ejus contemptus aut expressus, aut tacitus, magnam Deo facit injuriam: sed & aliunde cùm injuria crescat ex qualitate personæ quæ offenditur: nam si Nobilé quis offendit, major est injuria quam si hominem plebejum offendisset, major si Magnatem, longè major si Principem, longè maxima si Regem: sequitur, cùm Dei majestas sit infinita, non posse esse majorem injuriam quàm Dei offensi; & consequenter malitiam esse quodammodò infinitam: cùm itaque pœna respondere debeat malitiæ, oportet pœnam quodammodò esse infinitam: cùm autem infinita esse non possit in qualitate, aut in intensione, quia creatura ejusmodi pœnæ capax esse non potest, sequitur ut sit infinita secundum durationem; igitur debuit esse æterna, nam si minor esset, quantumlibet longa, non esse infinita.

Confirmatur. Quia tanta est peccati mortalis malitia ut nullis operibus bonis puræ creaturæ quantumvis multis, & magnis exæquo conmpensari potuerit, unde opus fuit homine Deo, ut digna compensatio fieret: igitur peccatum meretur pœnam æternam. Quod enim adeò malum est, ut nullis bonis operibus, licet longo tempore continuatis, compensari & coæquari possit, meretur pœnam quovis tempore longiorem, igitur æternam. Et certè, uti dixit alicubi S. Augustinus quandoquidem creatura bonum infinitum postposuit bono finito, pœnam meretur infinitam, quantùm capax est infinitatis, nullius autem alterius est capax quàm secundum durationem. Neque dici potest non debere puniri sine fine, culpam cum fine: Nam licet finita fuerit duratio, malitia tamen non fuit finita, sed ratione injuriæ in Deum fuit quodammodo infinita, unde puniri debuit supplicio quodammodò infinito & consequenter æterno. Ad hæc attendi non debet temporis brevitas quo culpa admittitur; Nam ut benè advertit S. August. lib. 21. de Civit. Dei cap. 11. Inhumanâ justitiâ latrocinium quod parvo tempore committitur, perpetuo punitur carcere, immò etiam morte, quæ punitio respectu brevitatis hujus vitæ æterna est: non itaque in pœnâ attenditur culpæ tempus, sed malitia, quæ in peccato mortali infinita est: Vnde in æternitate pœnarum non solum Deus injustus non est, sed summè justus, qui pœnam coæquet culpæ. Præterquàm quod, justum est ut qui oblatâ noluit uti misericordiâ, per pœnam semper intentatâ puniatur justitiâ, & qui noluit semper esse beatus, semper evadat miser. Quia ut mox dicebam tanta est, ait August. beatitudo justitiæ ut nemo ab ea deficiat nisi ad miseriam: & qui Deum habere noluit bonum, sentiat justum. *Justus es Domine, & rectum judicium tuum*: & implebitur illud Iobi cap. 20. *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur.*

Ad

Ad id quod tertio loco objectum est, nihil aliud respondere placet, quàm quod Christus Dominus respondit Sadducæis Matth. 22. circa Matrimonia alterius vitæ quæ ipsi futura perperàm crediderunt. *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*: hoc est potestatem. Nam ex Scripturis constat, ignem inferorum alterius esse rationis à nostro igne elementari: neque enim ignis inferni ut hic noster indiget pabulo, ut nutriatur; unde multi ex Sanctis Patribus eum appellant spiritalem, & incorporeum, hoc est immaterialem, quia scilicet ad sui conservationem non indiget pabulo, atque nutrimento, ut hic ignis: quod suprà ex diversis locis demonstravimus: Quod dicitur, *Nescientes virtutem Dei*, significatur potestas Dei, qui potest damnatis restituere corpora immortalia, sed non impassibilia: concurrendo ita cum igne inferorum ut torqueat corpora, sed non ut absumat, ac dissolvat: unde S. Augustinus serm. 227. de Tempore sic de illo igne Philosophatur, ut diximus nuper: Sævit, & parcit; cruciat, & reservat; nec totum est quod punit, cui sævum est, quod ignoscit; & in damnato impletur illud Jobi 20. quod mox attuli: *Luet*, &c. quod sic exponit S. Gregorius libro 15. Moral. cap. 11. Flammis ultricibus traditus semper moritur quia semper in morte servatur: non enim in morte consumitur, quia si consumeretur vita morientis, cum vitâ etiam pœna finiretur: sed ut sine fine crucietur, vivere sine fine in pœna compellitur: ut cujus vita hîc mortua fuit in culpa, illic ejus mors vivat in pœna. Dicat ergo, *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur*. Quia cruciatur, & non extinguitur; moritur, & vivit: deficit, & subsistit; finitur semper, & sine fine est. Hæc solo auditu valde terribilia sunt, quâto magis passione? Sed quia multitudo iniquitatis ejus exigit, ut carere suppliciis nunquam possit, aptè subjungitur: *Juxta multitudinem adinventionum suarum, sic sustinebit*: Qui enim multa invenit ad culpam, novis inventionibus cruciatur in pœna: Ita ille. Hæc autem inventio est, ut corpus ei detur passibile quidem, sed immortale, & sit ignis quidem semper ardens sed nunquam deficiens: non itaque mirum quod est immortale semper patiatur, & ut ignis qui nunquam extinguitur semper sæviat. Ex quibus omnibus hæc prima veritas manet inconcussa, pœnas inferorum nullo fine esse terminandas: quod esse de fide probatum est.

II. Propositio. Pœnarum æternitas & incomprehensibilis est & ineffabilis, hoc est nec mente comprehendi potest, nec sermonibus explicari. Ratio est, quia quidquid in hac vita comprehendimus id originem habet à sensibus, nam nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu: dicit autem Apostolus 2. Cor. 4. *Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ non videntur æterna*. Scio quidem veteres nobis variis modis æternitatem repræsentasse. Quidam quidem per annulum seu circulum, quia fine caret, & principio, nullâ sui parte incipit, nullâ desinit, quod est æternitati proprium. Ita Ægyptij Deum circulum nominarunt. Ita Trismegistus dixit Deum esse Sphæram intellectualem, cujus centrum ubique est, nullibi autem circumferentia. Ideò prisci templa rotunda ædificarunt, & exemplum habemus in fano celeberrimo quod Agrippa ædificavit in Deorum omnium honorem, quod Pantheon nuncupavit, & Pythagoras ut Deum sempiternum ostenderet, circumactu corporis discipulos suos adorare jusserat. Ideò quoque prisci æternitatẽ repræsentarunt Sphærâ & Globo: Et ob hanc rationem, multi mundum esse æternum dixerunt, quod esset rotundus: Alij æternitatẽ pinxerunt in serpente caudam suã mordentem: æternitas enim est circulus in se

recurrens, orbis undique rotundus, rota quę semper volvitur, annus jugiter in se revolutus, fons jugis in se revertens, &c. quæ omnia idem sunt quòd rotundus ambitus fine carẽs, & principio. Sed uti rectè dixit Basilius in circulo quæ fierunt principium nõ ubi esset, sed ubi non esset, nam circuli principium est centrum: & aliunde ipse circulus in se finitus est, unde circulus alio est minor, & major, quòd in æernitate locum non habet: neque istæ comparationes nobis sufficienter explicant æternitatis longitudinem. Quare in ea exprimenda variè desudarunt doctissimorum hominum ingenia: paucorum conatus subjicio.

1. Ex Lessio lib. 4. de Div. perfect. cap. 4. Constitue montem Arenarum qui impleat totum orbem, unde singulis sæculis una tollatur arenula: quot sæculorum myriadibus opus erit, ut totus absumatur? quis hoc numeret, aut animo comprehendat? & tamen cum totus fuerit post innumera sęcula absumptus, & toto illo temporis spatio damnatus in flammis arserit, nihil detractum erit æternitati, sed post tanta tempora erit tantùm sicut prius æternitatis initium: unde rectè Augustinus in Psalmum 60. Quidquid vis, dicis de æternitate. Ideò autem quidquid vis, dicis: quia quidquid dixeris, minus dicis.

2. Si dixeris æternitatem tot annorum milliones comprehendere quot sunt guttæ in Oceano, parùm dixeris, quia quidquid dixeris, minus dicis. Sed si multiplicaris tot maria, quot sunt in Oceano guttæ, & tùm dixeris, tot esse in æternitate annorum milliones, quot sunt in Oceano ita multiplicato guttæ, parùm erit. Quidquid vis, dicis de æternitate. Ideò autem quidquid vis, dicis quia quidquid dixeris, minus dicis. Quod si iterùm multiplicaris tot milliones guttarũ, per millia millionum, & dixeris, tot esse años, vel sæcula in æternitate, nihil adhuc dixeris. Quia quidquid dixeris minus dicis. Itaque Augustinus in Psalmum 36. Quid appendis cum infinito quantumcunque finitum, decem millia annorum, decies centena millia; si dicendum est, millia millium? Quæ finem habent cum æternitate comparari non possunt. Quidquid dixeris, minus dicis.

3. Alij nobis aliam imaginationem subjiciunt. Si damnati non nisi singulis diebus vel annis unam lacrymulam funderent servandam cum aliis guttis deinceps in singulos annos fundendis, plus lacrymarum demum funderent, quàm mare habeat aquarum: omnes enim maris guttæ in certum numerum redigi possunt, & illum Deus novit; & tamen lacrymæ damnatorum omnem illum numerum superarent atque mensuram. Sed quid appendis cum infinito quantumcunque finitum? Verùm quia id satis dici non potest nec satis comprehendi, aliam tibi affero imaginem, ut scias, quid tandem timere debeas.

4. Sit membrana unum cubitum lata, sed tam longa ut totam terram ambiat: hæc tota Arithmeticis numeris inscribatur. Quis Arithmeticus illum numerum inire poterit? quis mens tot grana contineat? quod mare tot guttas habeat? Immo cœlum sit illa membrana, & mare atramentum, quo numerus annorum describatur. Hoc tamen totum non est æternitas, ulteriùs illa protenditur. Et certè erit aliquando tempus, quo hæc omnia prætierierint, & tamen tunc nulla æternitatis pars transierit, sed novum erit æternitatis initium, & hoc totum erit perfectè cognitum à damnato. Ignoscite dilectissimi, si vestrâ patientiâ abuti videar, & vobis sim importunus; idem vobis sæpiùs objiciendo, hoc enim satis nunquam dicitur, quod nunquam satis comprehenditur: iterum igitur attendite,

5. Con-

5. Concipe, ô homo, tot myriades, non dico annorum, sed sæculorum; sæculum autem voco durationem centum annorum; quot sunt arenæ in omnibus littoribus, quot guttæ in omnibus aquis, quot folia in omnibus agris, quot pili in omnibus animalibus, quot plumæ in omnibus avibus: & huic incomprehensibili numero, adde tot milliones sæculorum, quot pulviculi sunt necessarii ad implendum totum universum corporeum: certè illud totum incomprehensibile temporis spatium, quod nobis videri posset instar cujusdam æternitatis, adhuc æternitas ipsa inferorum, infinitis sæculis, & infinitis sæculorum millionibus superat. His adde longè majora. Multiplicetur totus iste sæculorum numerus ab intellectu Angelico ratione quadratâ, vel cubicâ semper ascendendo, quantum per mille annos iste actus repeti potest; adhuc æternitas infinito intervallo, & infinitis sæculis major est. Idem dicendum est, etiam si fiant tot cubicæ multiplicationes, ordine recto ascendendo, quot arenæ sunt necessariæ ad implendum totum universum. Nullus equidem numerus annorum, vel, sæculorum tam ingens à mente creatâ concipi potest, quin tandem desinat ad certum terminum, & post illum terminum supersint infinita sæcula, quibus illum terminum superabit æternitas. Ideò quidquid vis, dicis: quia quidquid dixeris, minus dicis.

Hinc fit ut cùm de æternitate sermo est, nemo rem nimiùm augere possit, & nulla sit exaggeratio: quidquid de æterno dicitur minus dicitur: hoc enim habet æternitas, ut quidquid ab eâ demas, semper remaneat integra, & quantumlibet ad eam adjeceris, majorem non efficias. Monstrum planè durationis, semper incipit, & nunquam est, semper durat, nunquam desinit, & ut ait Augustinus in Psalm. 2. In æternitate nec præteritum quidpiam est, quasi esse desierit; nec futurum quasi nondum sit; sed præsens tantùm: quia quidquid æternum est, semper est. Hinc patet nostræ propositionis veritas, quòd pœnarum æternitas & incomprehensibilis sit, & ineffabilis, cùm nulla æternitatis expressio satis æternitatem ostenderit: quidquid enim dixeris minus dicis. Itaque si minus diximus quàm ipsa sit, non diximus quid sit, sed quid non sit, & hîc valet quod de æternâ beatitudine dixit S. Augustinus: Acquiri potest, æstimari non potest: ita pœnarum infernalium æternitas, sentiri potest, æstimari non potest. Quòd si comprehendi mente non potest, certè nec verbis explicari, cùm voces sint signa conceptuum: si itaque minus aliquid dixero quàm rei dignitas ferret, nolite mirari si quod est incomprehensibile, mente non sim complexus: & si quod est ineffabile, verbis non exposuerim. Hoc sufficere tamen vobis potest ad rei magnitudinem comprehendendam, si illam incomprehensibilem, & ineffabilem cogitetis: Et quis jam ferat quod in ratione pœnæ, & incomprehensibile est, atque ineffabile?

III. Propositio. Si aliquâ ratione explicari potest pœnarum infernalium æternitas, certè per infinitudinem, quæ vox duo significat, quæ nobis magnum timorem, immo horrorem parere debent.

1. Quod fine careat. Nam ut ait Aristot. libr. 11. Metaph. cap. 9. Infinitum est, quod transitum habet inconsummabilem. Augustinus in Psalm. 145. Nec putes, quia verbis finitis finitur æternitas: æternitas in verbo, quatuor syllabis constat; in se sine fine est: Et alibi ait, æternum est quod nullo fine terminatur. Hoc admirabili modo exprimit Scriptura Psalm. 48. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*: quod explicans Petrus Blesensis Epistola 95. Sicut lana ovium tonsa permittitur crescere, ut

terùm tondeatur : sic moriendo vives , & non desines mori. Sed quid significant ea verba. *Mors depascet eos* , explicat S. Bernardus Serm. 2. de triplici custodiâ. Mors depascet eos, quia semper morientur ad vitam , & semper vivent ad mortem. Augustinus lib.19.de Civitat. DEI cap. 28.ut mors eis adsit ad supplicium , & desit ad finem. Gregor. libr. 15. Moral. cap.12. Dicat ergò *Luet quæ fecit omnia , nec tamen consumetur* : Quia cruciatur,& non extinguitur; moritur,& vivit, deficit,& subsistit : finitur semper , & sine fine est. Hoc etiam Ethnici Poëtæ nobis multipliciter repræsentarunt : Quid enim aliud repræsentat Ixionis rota quæ semper volvitur? Quid vultur Promethei , & jecur semper renascens ? Quid dolia Danaidum pertusa,quæ semper implentur aquâ, & nunquam replentur : Quid saxum Sisyphi semper volutum , & semper revolutum , semper tollere , sustulisse nunquam : Hinc sume veram æternitatis cogitationem , quòd nullo unquam fine concludatur : certè melius per voces negativas exprimitur quàm per positivas , quàm per comparationem cujuscunque durationis , licet longissimæ , & sæpiùs per quoscunque numeros multiplicatæ : nam uti rectè dixit. Arist.lib.6. Phys. cap. 7. Infiniti nulla pars ipsum metitur : uti melius DEVM cognoscimus per negationes quàm per affirmationes. Sed quantùm illud est esse , & semper esse , & nunquam finiri ? & in eo est incomprehensibilitas æternitatis : quod enim finem non habet, comprehendi non potest, siquidem omnis comprehensio , quidam complexus est,omnis autem complexus , est quædam definitio, quod autem non habet finem aut terminum definiri nõ potest. Quàm facile hæc vox pronuntiatur, æternitas , sed quam parùm intelligitur : Putas satis unquam intellexisti , quid significet illa vox semper? quid illa,nunquam? quid illa,semper ardere in flammis? *Quia crucior in hâc flammâ.* Quid illa, nunquam obtinere quod semper petas ? Quid tam damnatum , quàm semper velle quod nunquam erit, & semper nolle , quod nunquam non erit? Quòd si non intellexisti, nec satis intelligere potes , quid est quod tantum est,ut nec quidem capere possis ? Si autem quid hoc sit intellexisti , quid tam facile momentum præfers æternitati? quid tam facile te æternæ damnationi exponis?

2.Infinitudo hoc habet ut in suo genere omnia includat , uti dixerunt,veteres Philosophi apud Aristotelem 3. Phys. cap.6. Infinitum omnia continere , & ipsum universum complecti : addo ego sic omnia continere , ut sit aliquid majus quàm quod includit , quia ut mox idem dicebat , nulla ejus pars ipsum metitur. Itaque cùm æternitas in ratione durationis infinita sit , complectitur in se omnes numeros , omnem durationem,omnes mensuras, omnes annos, omnia sæcula, omnes sæculorum periodos : unde Dionys.cap. 10. de Divin. nom. æternitatem appellat ævum ævorum;id est quod omnia illa superat , siquidem ut jam diximus nunquam incipit , immò post quamcumque durationem semper incipit , semper perdurat, sed nunquam desinit. Vis habere exemplum? Non aliud quàm in Deo:quia cùm sit primum infinitum in omni genere , mensurá est aliorum. Sicut igitur Deus quia in essentiâ infinitus est, omnes essentias in se complectitur, & illas omnes infinities superat : Immensitas ejus omnia loca, & omnia spatia in se complectitur,& illa omnia infinities superat : Ita æternitas omnia tempora complectitur,& omnes durationes,& illas in se infinities superat: & proindè nullã in ratione durationis admittit comparationem: Nam ut diximus suprà ex Aug.in Psal.36. Quid appendis cum infinito, quantumcunque finitum?&c. Ex duplici itaq;

capite

capite vide æternitatis longitudinem, & ex eo quod non habet: in se omnia tempora continet, & in se finem non habet. Si in se omnia tempora continet, quanta longitudo? Bern. Quid tam longum quàm quod æternum est? Si in se nullu habet finem, quantùm excedit? Quid tam longum, quàm quod nullo fine præceditur? Utrumque autem habet ex infinitate. Nam infinitum nullum finem habet, & ipsum omnia continet.

IV. Propositio. Æternitas non tantum æstimari potest propter infinitatem, quòd fine careat: & quòd in se omnem durationem contineat; Sed etiam quia tota simul est quidquid est, ac sine successione. Hæc autem est differentia inter ea quæ sunt successivè, & inter ea quæ sunt simul: ut primi generis entia sint per partes, quarum cùm quædam existunt, aliæ non sunt: quæ autem sunt simul, sint semper integra: cùm itaque æternitas sit tota simul, sequitur ut secundùm omnia sua simul sit, & semper sit integra. Et hinc ulterius consequens est ut damnatus singulis momentis tantùm ferat tormentorum, quantùm ferret successivè per partes toto tempore æternitatis: & ideò, ut simul quasi infinitè patiatur: Id explico.

1. Similitudine Immensitatis Divinæ: Ipsa enim totam Dei magnitudinem, quæ absque termino in omnem partem diffunditur, colligit in punctum, ut non minus habeat in puncto loci, quàm in spatio immenso: Ita æternitas durationem Dei, quæ infinito tempori coextenditur, colligit in momentum, ita ut Deus totam possideat in momento. Sicut enim immensitas se habet ad punctum loci, ita æternitas ad punctum temporis: nam postulat æternitas DEI, ut omnes actus intellectus, & voluntatis, qui successu temporis infiniti in Deum cadere possent, fuerint in illo, & sint perfectissimè quovis momento, omnibus retrò sæculis, & in posterum futuris designabili. Non ita fit in nobis dùm in hac vitâ sumus & in tempore vivimus. Nemo enim omnes cogitationes, omnes affectus, omnia gaudia, omnes voluptates, quæ per longi temporis intervallum successivè habere potest, simul possidet. Ut id melius intelligas, finge per infinitum tempus quotidie Deo occurrere novas veritates, novas sapientiæ notiones, nova gaudia: quàm infinitus esset horum numerus per infinitum tempus, si tamen aliquis est infiniti numerus? Jam cogita illum simul ac semel hæc omnia comprehendere, & simul comprehendisse ab illo nunc æternitatis quo Deus fuit Deus, quin statim simul hæc omnia comprehensa possideret: Tu idem de pœnis damnatorum cogita, quæ semper sunt omnes simul in unum collectæ ratione æternitatis.

2. Id explico similitudine primæ infinitatis divinæ: DEVS enim omnia bona sua, omnem suam potentiam, sapientiam, beatitudinem, omnia gaudia, & oblectamenta, quæ per infinitum tempus acquirere posset, simul perfectissimè in unum collecta habet, & immutabiliter, ex omni æternitate, & in omnem æternitatem possidet; ita ut nulla fieri possit accessio, aut decessio. Nemo in hâc vitâ simul habet omnia gaudia quæ per totam vitâ acquirere potest: Nemo item simul omnia patitur quæ successivè multo tempore perferre potest: At DEVS simul habet & percipit, quæ infinito tempore posset acquirere: Vt si daretur lux corporalis intensivè infinita, & tota perfectio extensiva contraheretur in punctum, & sic contracta in immensum diffunderetur, ubique tota perfectè existens, esset ubique infinita & tota. Eodem modo cùm æternitas simul omnes suas partes colligat, sequitur æternitatem pœnarum in quâlibet sui parte se totam

totam colligere, & ita damnatum, non tantùm semper, hoc est sine fine pati, sed semper, hoc est quâlibet suæ æternitatis parte, omnia pati quæ sine fine patietur. Jam ista simul conjūge: Summas pœnas pati in omni tormentorum genere, interiùs in animo & exteriùs in corpore: idque infinito tempore, hoc est sine fine, ac sine termino: ad hæc simul ac semel, ratione æternitatis, non successivæ, cujus partes ita sint unæ post alias ut non sint aliquæ quando aliæ sunt; sed simultaneæ, cujus omnes partes sunt simul. Hinc quia pœna sine fine est, nascitur desperatio. Quis enim speret non futurum, quod semper erit? aut quis speret futurum, quod erit nunquam? Et ex eo quòd pœna simul sit secundùm suas omnes partes, nascitur summus dolor, & quasi infinitum supplicium: Nam duratio in infinitum multiplicat supplicium, quia quod futurum esset in variis suæ durationis partibus, simul est in singulis, si tamen partes sunt: nam Propriè in infinito partes non sunt: aut enim æquales essent, aut inæquales, & sic sumptæ exhaurirent infinitum, quod esset absurdum: Veriùs itaque dixeris semel esse totam illam æternitatem, semel totam durationem omni tempore majorem, quæ uti diximus ex Aristotele 11. Metaph. cap. 9. transitum habet inconsummabilem. Quis unquam putasset, aut etiam suspicari potuisset miseram creaturam tantæ passionis esse capacem? Sed quod per se naturaliter non potest: secundùm illud Jobi cap. 20. quod jam attulimus. *Iuxta multitudinem adinventionum suarum, sic sustinebit.* Ut igitur intellectus beatus fit capax visionis beatificæ, quam naturaliter habere non posset: ita animus & corpus damnati capax fiet, ut tantum pati possit tormentum.

V. Propositio. Pœnas Inferorum licet in se, ac specie suâ essent exiguæ, ratione tamen æternitatis, esse planè intolerabiles, & omnem cogitationem superare, & omnem sermonem. Sicut enim, æternitas omne bonum quod afficit, efficit infinitè melius, duplici ratione: 1. Ratione durationis, quia tribuit ei durationem infinitam, atque adeò facit esse infinitum: nam omne esse, eò melius est, quò majus; seu intensivè, ut cum res est perfectior: seu extensivè ut cum diffunditur per majus spatium, vel per majus tempus: Quod igitur bonum infinitè durat, infinitè melius est. Verbi gratia, voluptas unius diei, magnum bonum est, magnèque penditur: voluptas hebdomadæ pluris penditur: unius anni pluris, centum annorum longè pluris: mille annorum in decuplum pluris, & sic deinceps, quò diutiùs durat, eò pluris æstimatur, igitur quæ durat infinitè, infinitè pluris æstimabitur: Idem dicendum de gloriâ, divitiis, & aliis bonis. Ita in pœnis æternitas pœnam facit infinitè pejorem, & molestiorem. 2. Ratione collectionis illius boni, quia totum commodum quod res illa infinito tempore successivè afferre potest colligit in unum, & simul conferri, percipi, & gustari facit: ut si tota voluptas quam totum convivium, per partes, & successivè afferre potest tempore infinito, colligeretur in unum, & tota simul æterno tempore tribueretur, esset infinitè melior, & majoris æstimationis: Simili modo æternitas in malis seu pœnis colligit illas in unum, & simul sentiri facit, non solum quia facit simul apprehendi, unde sic infinitum quēdam dolorem animo inurit, sed quia æternitas ex naturâ suâ, omnia in se semper colligit Jerem. 30. & Luc. 16. *Quid clamas super contritione tuâ? Pater Abraham miserere mei. Quia crucior in hâc flammâ. Insanabilis est dolor tuus. Inter nos & vos, chaos magnum firmatum est*: quot sunt sæcula tormenti hujus miseri divitis? *Insanabilis est dolor tuus: Inter nos & vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos non possint: neque inde huc transmeare*, ut scias non minus finiendam gehennam damnatorum quàm beatorum gloriam.

gloriam. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hæc tibi.*

Hinc nascitur, ut benè ait Lessius lib. 1. de perfectione Divin. cap. 4. maximus æternæ damnationis timor: quia in illa est infiniti, & æterni boni jactura: & summi æternique tormenti perpessio, quo malo nullum majus, aut gravius concipi potest: Nulla enim jactura comparari potest cum jactura boni infiniti, & æterni, quod in æternum erat possidendū: Nullum sensuum tormentum comparari potest cum tormento ignis, in æternum duraturo. His accedit æternus carcer, æternæ tenebræ, æterna sitis, æternus vermis, æternus fœtor, æternus horror, æternus luctus, æterna comploratio, & quidquid malorū cogitari potest, ibi erit, & æternum erit. Quis æternitatem in his omnibus considerans non exhorrescat? Quis mundi vanitatē, divitias, voluptates, honores ad momentum captare velit cum tanto malorum æternorum periculo? Bernardus ad Fratres de Monte Dei. Quid profuit illis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, falsæ divitiæ, magna familia, & mala conscientia? De tanta lætitia quantâ tristitia? Post tantillā voluptatem, quam gravis miseria? Ponamus mala illa solum mille annos duratura: nihilominus summa esset fatuitas, pro momētaneis & infimis rebus, pro modicâ, & brevi voluptate, periculo tanti & tot annorum tormenti se exponere. Quantò major esset fatuitas si centies millium annorum pœna foret? Quanta si centuplò diuturnior, & sic deinceps sine termino? Quo productior statuetur pœna, major quoque censebitur fatuitas, eius periculo sese objicere: Cum ergo certissimum sit pœnas omnes istas esse æternas, necesse est infinitâ quâdam amentiâ teneri eos qui futurorum securi, quotidie peccata peccatis adjiciunt, & certissimo æternæ damnationis periculo exponunt. Nullam ego concipere possū animo majorem fatuitatem, nullam pernicioſiorem insaniam, quâ tamen ipōte illi tenentur, & quâ facilè sanarentur, si vel parumper considerare vellent, quid sit æternitas, quæ tanta est, ut nulla sæculorum multitudo ad illam comparata, quidquam aliud sit quam momentum. Certè de duobus alterum est necessarium, aut ut non crèdatur æternitas pœnarum, quod plerisque convenit, quibus id convenit, quod Christus dixit Lucæ 18. *Filius hominis veniens, putas fidem inveniat in terra?* Aut si credatur, cor certè ac sensum non habeat qui sic vivit, ac si non crederet. Salvianus lib. 5. de Ecclesia Cathol. Quid ergo causæ est, ut si quispiam Christianus futura credit, futura non timeat? Quid ergo causæ est, ut si credit quæ dixit Deus, non timeat quæ minatur Deus? Equidem si tam intolerabile videtur unicā noctem, vigilantibus oculis, in molli tamen lecto suspirare in acutis doloribus, etiam si spereste mane habiturum medicū qui remedia adhibeat, & singulas horas computas pro hebdomadâ: Quid facies in flammis dies & noctes, in summa siti, in ardoribus, sine remedio, & sine ullâ spe, imo cum summâ desperatione, idque per infinitas sæculorum myriades?

Hæc cogitatio nobis quotidie animoversanda est, quia nulla est ad omnes tentationes vincendas ac pericula peccatorum evitanda potentior, nulla efficacior, unde Eccl. cap. 7. *In omnibus operibus tuis, memorare novissima tua*, id est æternitatem pœnarum & præmiorum, *& in æternum non peccabis.*

Hæc cogitatio tam multos Christianorum & tot Sanctos Martyres adeò paratos promptosque fecit ad tolerandos quolvis cruciatus, ad quamcunque mortem subeundam animavit, ut cum in summis doloribus, & in suo volverentur sanguine, nihilominus tam animosi, & hilares, tam constante vultu, & ridente ortoribus

toribus insultarent: nempe annos æternos habuerunt in mente, & nihil grave censuerunt, quod in tempore finiretur.

Hæc cogitatio tot hominum millia, & inter illos tot priùs impios in solitudines, in Monasteria compegit eosque à vitâ molli ad rigidam ac severam traduxit: scilicet annos æternos in mente habuerunt: hic te sensus, ô Teresa, ad tantam austeritatem vocavit.

Hæc cogitatio tam multis religiosis viris atque fœminis, & multis aliis in sæculo viventibus, severas vitæ leges amplexantibus omnia facilia reddit & jucunda. Hæc cogitatio virtutis laborem omnem levem esse persuadet, & brevem: hæc vigilias preces, famem, sitim, jejunia, cilicia, flagella, paupertatem, & alia ejusmodi facilia reddit, & tolerabila. Quisquis æternitatem cogita, nulli labori cedit, nullis stangitur incommodis. Huic tu si regnum offeras, si delicias, & voluptates omnes, illà omnia facilè contemnet, nec suam sortem mutare velit, cogitans hæc omnia finem habitura in modico, in momento, nihil hîc durum, nihil hîc longum, quia nihil est quod finem non habeat; sed quidquid æternum est, semper est. O æternitas! tu semper menti meæ obversaberis, tu intimis meis sensibus inhærebis, tu eris unica mea, & summa cura, tu solus meus amor, tu solus meus timor, tu omnium mearum actionum, & totius vitæ meæ eris regula: omnia temporalia sive bona, sive mala, præ te & propter te contemnam, & nihil ducam: Tu mihi in omni afflictione eris solatium, in omni tentatione præsidium, & in omni prosperitate monitorium 2. Cor. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur sed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia sunt; quæ autem non videntur æterna.* Sed antequam finiam, unum te monitum velim, mî Auditor, te ita nunc esse in tempore, ut in illo jacias sementem æternitatis. *Nam quæ seminaverit homo hæc & metet*, ad Galat. 6. *Quoniam qui seminat in carne suâ, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam: bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes: ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Est etiam, aliud quod te moneam, te modico intervallo ab æternitate distare, quam cum ingressus fueris, hinc te revocare non poteris. Cur igitur aliud cogitas, quid laboras, nisi de futurâ æternitate? præsertim cùm necesse sit aut fore summè beatam, aut summè miseram: futurum ut aut in æternum epulaberis in sinu Abrahæ, aut ut in æternum crucieris in flammis. Bern. Qui pavet, cavet; qui negligit, incidit. Beatus homo qui semper est pavidus: certè si aliquid timendum est, maximè gehenna timenda. *Timete eum qui potest & animam, & corpus mittere in gehennam, hunc dico timete.* Qui negligit, incidit; certè merito: Sed si incidit, in quid incidit? In summam & ultimam, & æternam miseriam. O quam beatus es Abba Arseni qui hanc horam semper ante oculos habuisti! Certè qui in hac vitâ æternitatem semper cogitavit, ille securus esse potest de beatâ æternitate quam dare nobis dignetur Jesus Christus. Amen.

***

FERIA QVINTA VEL SEXTA

DOMINICÆ SECUNDÆ IN QUADRAGESIMA.

CONCIO OCTAVA

De Gloriâ Cœlesti.

Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis, in sinum Abrahæ.
Lucæ. 16.

NARRANT Historici naturales montem esse, Cujus in unâ parte sit hyems perpetua, nives, glacies, tempestates: In alterâ ver perpetuum, florum amœnitas, herbarum viriditas & arborum umbræ. Idem in proposito Divitis Epulonis, & Lazari Evangelio conspicitur, seu utrumque spectes sigillatim, ob duplicem statum, seu ambos inter se compares. Nam quid dissimilius, quàm dives Epulo, & Lazarus, seu hanc vitam spectes, seu alteram? Et ili ipsi inter se quàm dispares? adeò ut unus status sit hyems misera, alter autem sit instar veris perpetui. Ita nimirum sua est in rebus omnibus vicissitudo, secundùm illud Eccle. cap. 3. *Tempus flendi, & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus saltandi: Tempus acquirendi, & tempus perdendi*: Nos heri spectavimus quod pertinet ad unam partem Evangelii, nempe miserum mortui Divitis statum, & unius occasione, omnium damnatorum pœnas ostendimus: Placet hodie vobis ostendere longè dissimilem Lazari conditionem, nempe æternam beatitudinem, quam significat sinus Abrahæ, in quem Lazarus statim à morte ab Angelis delatus est: quæ res quoniam alteram æternitatis partem spectat, multùm interest ut à nobis intelligatur: accedamus ad ipsius Sapientiæ Matrem. AVE MARIA.

NON facilè est certò constituere ubinam plus sit difficultas, & utrum è duobus operosius sit, aut repræsentare, uti oportet, horibiles pœnas damnatorum, inferorumque imaginem adumbrare, aut efficere ut homines concipiant animo inæstimabiles æternæ beatitudinis delicias, atque imaginem Paradisi effingere: juxtà verba Eccli. cap. 1. *Altitudinem cœli & latitudinem terræ & profundum abyssi quis dimensus est?* Quem locum exponens Hugo Cardinalis sic ait: Per altitudinem cœli, intelligit sublimitatem præmiorum; per latitudinem terræ, tenuitatem temporalium gaudiorum; per profundum abyssi, profunditatem suppliciorum, & ejusmodi res nemo metitur: Præmia cœli contemnuntur; gaudia mundi diliguntur; supplicia inferni non metuuntur. Ego verò meritò altitudinem cœli, interpretor magnitudinem gloriæ cœlestis exæquare oratione, quod esse etiam impossibile, docet Sapiens. Sed quoniam ausus sum in unius exemplo profunditatem Inferni metiri; ne alteram partem neglexisse videar, altitudinem cœli hodie metiri aggredior: Sed eo modo qui decet hanc vitam, cujus proprium est ex parte cognoscere: Vt enim ait Apostolus 1. Cor. 13. *ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est,* immò nostram cognitionem nostram appellat puerilem: *Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus; sapiebam ut parvulus; cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli:* Quin etiam hanc nostram cognitionem obscuram vocat, & ænigmaticam; quibus verbis, ejus imperfectionem ostendit: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Modus itaque is erit, ut quibusdam suppicionibus utar, quibus ostendam quanta sit Lazari, & eorum omnium qui in sinum Abrahæ deferuntur felicitas; qui locus æternæ beatitudinis quietem significat.

I. Suspicio est ejusmodi. Necesse est felicitatem æternæ beatitudinis summam esse, cùm sit ineffabilis, & incomprehensibilis: Ineffabilem dixi, Quia qui viderat Apostolus, scripsit 2. Cor. 12. se audivisse *arcana verba, quæ non licet homini loqui*: Dicebat olim Antonius, Eloquentiam ex parvis, magna facere: sed eloquentia quæ rebus omnibus addit, rei istius magnitudinem æquare non potest: Vulgò quæ inter homines magna sunt, ipso sermone adaugentur, unde mēdax fama, & in historiis fallax est fides, qua fallax narratio: & quæ de Regum opibus, & magnificentiâ: quæ de præclarè gestis, quæ de facinoribus: quæ de Regionum felicitate, abundantiâ, & copiâ dicuntur, semper sunt majora vero: Oratores Pictoribꝰ similes sunt, isti coloribus, & furores superant: illi oratione, & eloquentiâ: Sed vide quanta sit beatitudo, quam nullus sermo æquare possit. Verùm faceſſat humana eloquentia, hoc magis in Apostolo mirandum: Quid enim Apostolus, non nobis de rebus divinis explicavit? Quàm multa de Angelorum ordinibus? quàm multa de prædestinatione, quàm multa de rebus etiam occultis ipsis Angelis, qui ab ipso didicerunt? Sed cùm de gloriâ incidit sermo, ait le quidem audivisse, sed quæ non licet homini loqui. Quis itaque audeat, qui non viderit? Et qui vidit & audivit, quis loqui possit & dicere, si non potuit Apostolus?

Sed parum est quòd sit ineffabilis: dixi quoque incomprehensibilem: hæc vox, duo negat, & cognitionem, & possessionem. Incipiamus à cognitione; de quâ ita ipse scribit 1. Cor. 2. ex Isaiâ cap. 64. *Oculus non vi-*

vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEVS iis qui diligunt illum. De oculis quid loquar? Quidquid ferè in hac vitâ delectat, ad cognitionem oculorum pertinet: Nam quæ ad pulchritudinem universi spectant, vel ad artefacta, vel ad pompam sæculi; hæc omnia objecta sunt oculorum: unde Apostolus Joannes uno verbo complexus est quidquid ad mundi opes, & magnificentiam pertinet, cùm dixit 1. Epist. cap. 2. *concupiscentiam oculorum*: Sed quid oculi ad beatitudinem? *Oculus non vidit.* Iam quoniam unus homo adesse rebus omnibus & omnibus locis non potest, unde nec omnia scire; quod oculus non vidit, auris potest percipere; unde apud Jobum cap. 28. postquàm dictum est de Sapientiâ, *Abscondita est oculis omnium viventium*, subditur tamen, *quòd perditio & mors dixerunt. Auribus nostris audivimus famam ejus*: Et certum est nobiliores cognitiones à nobis per auditum acquiri: Etenim ut ait Apostolus Roman. 10. *Fides ex auditu auditus autem per Verbum Dei*: Sed idem qui fatetur se audivisse *arcana verba quæ non licet homini loqui*, dicit tamen, quòd *nec auris audivit.* At quid mirum si sensus non perceperint, quod corporeum non est, & quòd ex eodem, exuperat omnem sensum: Sed & idem addit, omnem etiam intellectum: quod Augustin. libr. 22. de Civit. cap. 29. intelligit de omni intellectu humano, & angelico: Pax itaque DEI exuperat omnem intellectum. Non dubium (inquit Augustinus) quod præter suum, hoc est Divinum (unde dicitur; *Neque in cor hominis ascendit*) nomine cordis hominis duo passim intelligit Scriptura, vel cogitationem, & intellectum; vel cupiditatem & amorem. Quanta sit vis intellectus, patet experientiâ: nam licet hic mundus, suâ magnitudine videatur immensus, momento tamen intellectus totum illum percurrit; immò mundos innumeros suâ velocitate transvolat, suâ capacitate comprehendit. Finge quemcunque numerum, illum intellectus infinities augere, & multiplicare potest: Finge quamcunque magnitudinem, illam intellectus infinities potest porrigere: Finge quamcunque perfectionem, nulla res intellectui potest fines dare: Finge voluptates, finge divitias, finge honores, & imperia, possibilia, impossibilia, vera & ficta: intellectus cuncta transcendit. Idem dico de cupiditate, & amore, & desiderio, quæ nullâ re finiri possunt, & terminari: Nam si Salomon agens tantùm de sensibus, dixit Ecclesiastis 1. *Non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur*: quantò magis animus & voluntas? Sicut enim corpus habet spatia definita temporum & locorum, ita etiam objectorum: sed animus uti nec loco, nec tempore definitur, ita nullis finibus terminatur. Nihilominus tamen totus quantus est, beatitudinem cœlestem non potest comprehendere: *Nec in cor hominis ascendit*: Unde Augustinus Serm. 20. de Ecclesiæ dedicatione, *Quod parat DEVS diligentibus se*, fide non comprehenditur, spe non tangitur, charitate non capitur, desideria, & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest. Sed quid dico cœlestem beatitudinem esse humano intellectui incomprehensibilem ad cognoscẽdum, cùm sit etiam ad possidẽdum: Etenim si, ut ait Philo Judæus, lib. de Temulentiâ: nequidem orbis terrarum integer sufficere potest accipiendis Dei beneficiis, sed ut exigua lacuna redundabit; quantò magis humanus animus, incapax est, ut ipsam gloriam, quæ Deus est, in se capiat? Hinc fit ut necesse sit Deum, per lumen gloriæ hominem disponere, ut capax fiat beatitudinis cœlestis. Et quanquam in homine ad gratiam evecto, sit status aliquis supernaturalis, tribus potissimùm constans virtutibus; fi-

de, ſpe, & charitate: nihilominùs uti ex Auguſtino diximus, Quod parat diligentibus ſe, fide non comprehenditur, ſpe non tangitur, charitate non capitur: ut ſcias exceſſum gloriæ ſupra omnem potentiam.

Hinc ſequitur 1. Ridiculas eſſe hominum cogitationes de beatitudine, cùm illam per ea quæ in hac vitâ homines mirantur exprimunt, quaſi hoc ipſum ſit beatitudo. Quid enim camporum amœnitates, quid hortorum delicias, quid metallorum pretia, quid aſtrorum fulgores, quid Regum palatia, quid opes, quid honores, quid gaudia, quid voluptates commemorem? quid menſarum cupedias, quid vocum concentus, quid fidium ſonos, quid flores, quid gemmas, quid uniones, quid fontes, quid apparatus, quid veſtes, & ornatus & his ſimilia? cùm hæc omnia tam parva ſint, utpote quæ oculus vidit, quæ auris audivit, & quæ in cor hominis aſcenderunt: aſcenderunt inquam, quoniam corde hominis inferiora ſunt, & cor poteſt ea omnia pro virtute contemnere.

Sequitur 20. Quidquid in Scripturis dicitur de beatitudine dùm exprimitur per convivium, per nuptias factas à Deo, *facit enim illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*: Dùm depingitur ut civitas in quadro poſita Apocal. 21. habens portas duodecim, & in portis, Angelos duodecim, &c. *Et erat ſtructura muri ejus ex lapide Iaſpide, ipſa verò civitas, aurum mundum, ſimile vitro mundo, & fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioſo ornata*, & cætera ejuſmodi, ita intelligenda eſſe, ut illis rebus longè majora, & meliora intelligantur. Hæc enim ita dicuntur ut homines aſſueti ſenſibus, aliquid ex more ſuo concipiant: Ita ſi equus reflexionis & diſcurſus, eſſet capax, & convivantes & gaudentes homines videret, judicaret eos tenerum fœnum, & pinguem avenam vorare. Hæc enim corporalia quàm longè abſint ab his cœleſtibus, vel hinc judicare poſſumus, quod etiam ſpiritalia quæ cogitamus, Apoſtolus vocat cogitationem ex parte, & cogitationem parvulorum, & cognitionem ænigmaticam: ait enim *ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus*: &c.

Sequitur 3. Abominabiles eſſe quorundam imaginationes, qui nullam aliam beatitudinem agnoſcunt, quam corpoream, & carnalem, qualem ferè Mahomet Arabibus, & Sectatoribus ſuis propoſuit. Ita ſunt qui beatitudinem ponunt in cibo, & potu, in venere, in ludo, in diſcurſibus, in pecuniis, in divitiis, in ambitione: qui quidem homines, eandem cum brutis animantibus felicitatem habent. Hinc accidit futurorum neglectus, & præſentium æſtimatio: contrà quam monet Apoſtolus, *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.*

Sequitur 4. Optimam rationem cogitandæ beatitudinis eſſe ex incõprehẽſibilitate, ſemper ad aliquid majus, rebus viſis, & auditis & cognitis aſſurgere, ut ſi quæ oculis blandiuntur, & videntur pulchra, intra te dicas, longè meliora ſunt quæ expecto: ſi quæ audimus, quæ legimus, mirabilia tibi apparent, dicas quæ ſpero in beatitudine, lõgè majora ſunt & meliora: ſi ut eſt mira animi libertas, plurima fingas animo, ſi cupiditas te incendat, ſi vota animum pulſent; dicas hæc ne minimam quidem beatitudinis quam ſpero partẽ efficient. Etenim ſicut S. Dionyſius duplicé agnoſcit Dei cognoſcendi modum, unum per affirmationes, alterum per negationes, & hunc meliorem eſſe dicit: quia nobis eſt manifeſtius quid Deus non ſit, quàm quid ſit: Ita modus optimus proponendæ beatitudinis ille eſt, qui fit per negationes: Et ſicut Theologi modum illum affirmationis approbant circa DEUM, ut quæcunque cogitaveris, affirmes Deum eſſe aliquid melius: Nam DEVS non eſt ſubſtantia, ſed ſuperſubſtantia: non eſt ſapiens, ſed ſuperſapiens; Immò neque Ens,

ſed

sed super Ens : Ita quidquid de beatitudine in mentem veniet, id semper adaugere debes cogitatione. Si quidem ut ait David, *Ascendet homo ad cor altum & exaltabitur Deus*; Ut nimirum homo non demissè sentiat de beatitudine : ut intelligat cùm amittit beatitudinem, non rem exiguam amittere, sed inæstimabilem : cùm ei proponitur beatitudo, non vile aliquid sibi proponi : cùm occurrit occasio, ut plus beatus sit, non ita sit imprudens, ut majus illud gloriæ pondus parvi æstimet. Docent Theologi cùm in inferis sint tormenta, quæ æstimari non possunt, maximum tamen tormentorum esse pœnam damni, nempe dolorem de amissâ beatitudine : Cùm enim homini damnato imprimatur à Deo species quædam magnitudinis ejus boni, cujus jacturam irreparabilem fecit exiguâ de causâ, tantum dolorem concipit anima ut neque ignei fluvij, neque tenebræ, neque carcer, neque vincula, neque vermis qui non moritur, ullam comparationem possint habere, cum illo; licet anima integram non habeat cognitionem magnitudinis gloriæ : Etenim uti dicitur in Apocal. *Nemo scit nisi qui accipit* : & qui sciret, & simul amitteret, tantum dolorem conciperet, ut sine dubio omnium inferorum dolores solus æquaret, cùm tamen homines passim beatitudinem amittant, nec cogitent aut curent. O væcordiam! ô insaniam! ô insensibilitatem? Sed ad aliam suspicionem magnitudinis gloriæ veniamus, ne ex nostrâ exiguitate, illius magnitudinem æstimemus.

II. Suspicio peti potest ex cœlestis beatitudinis pretio : Nam etiamsi inæstimabilis sit ab hominibus, tamen qui dabit, pretium posuit: Vnde Sanctus Augustinus; Regnum cœlorum venale est; & dicitur in Evangelio : *Merces vestra multa est in cœlo* : At ex ipsius pretio, ejusdem magnitudinem peto.

1. Enim Christus qui non potuit ignorare rerum omnium pretium, nec fuit malus earum æstimator, tanti gloriam fecit, ut eam & sibi, & nobis, morte, & sanguine coemerit : Hebr. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloriâ, & honore coronatum*, &c. *decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat authorem salutis eorum per passionem consummare* :

2. Hîc considera neminem sapientem emptorem, rem pretiosam pro vili expendere : Nam ut ait Sapiens, Proverb. 20. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor, & cùm recesserit, tunc gloriabitur* : Scilicet de lucro, & de re obtentâ : Cùm itaque Christus sit ipsa Sapientia, quis asserere possit eum imprudentem fuisse emptorem? Videitaque quid pro emendâ gloriâ hominibus dederit, nimirum vitam suam, & sanguinẽ : *Et cùm recesserit gloriabitur*: Videautẽ quanti vitã Christi æstimes. S. Thomas docet vitam Christi fuisse tanti pretii, ut unica ejus hora plus valuerit, quàm vita æterna omnium mortalium, eorumque infinitorum, si dari possent : Quòd si Sapiens dixit Eccli. 26. *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ* : Si de Sanctis veteris Testamenti dixit Apostolus Hebr. 11. *Quibus dignus non erat mundus*: Quanto magis existimari debuit vita Christi Domini? Videitaque quanta sit gloria, cujus pretium est ea vita. *Omnis autem emptor cum recesserit, gloriabitur* : Quod dicturus sum, rem non augebit, sed extendet, sed idem probabit.

3. Cogita quanti gloria Sanctis steterit, vide Martyrum dira tormenta: liberos Confessorum cruciatus, Virginum certamina: Lege Apostolum Paulum Hebr. 11. ubi texit Catalogum Sanctorum veteris Testamenti, & multis enumeratis sic concludit, *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt, repromissiones*, &c. *Alii vero distenti*

distenti sunt, &c. *Alii vero ludibria, & verbera experti*, &c. De quibus in universum pronuntiat: *Non suscipientes redemptionem: ut meliorem invenirent redemptionem*: Quid enim existimamus, Auditores, Martyres stultos fuisse qui tam dira, & tam atrocia passi sunt? An sine causa, ut ait idem Paulus? minimè certè: quin potius judicarunt se magnum quæstum facere, cùm temporalis vitæ jacturâ, æternam vitam emerent, & modicis cruciatibus æternas delicias: Etenim ut ait Rom. 8. *Existimo quod non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*: ac ne putes, id leviter fecisse audi, quid subdat: *Momentaneum enim ac leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: Vide autem quo exemplo: Hebr. 12. *Aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ*:

Hinc factum est, ut non modo non dolerent in tormentis, sed etiam exultarent: unde Hebr. 10. *Rapinam bonorum vestrorum, cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam*: & ipse Apostolus loquens de se 2. Cor. 7. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ repletus sum consolatione*: Diceres eos in alienis corporibus pati, diceres habuisse corpora ænea, vel marmorea: Sed nimirum ut ait Tertull. ad Martyres. Nil crus sentit in nervo, dum animus, est in cœlo. De Confessoribus quid loquar? In quibus duo maximè sunt illustria.

1. Rerum omnium contemptus & summa paupertas: Sed nimirum ut dixit Christus Dominus, *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, qui inventâ unâ pretiosâ margaritâ abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam*: adde Sapiens dictum: *Omnis autem emptor, cùm recesserit gloriabitur*: Certè necesse est pretiosam admodùm fuisse margaritam, quæ rerum omnium dispendio empta est. Ac ne putes vile fuisse quod aliqui dederunt, quàm multi perfectionem Evangelicam sceptro, & regno sibi comparârunt? Quis Moyse doctior, qui eruditus fuit in omni sapientiâ Ægyptiorum, qui solus naturæ novit incunabula, primus, & antiquissimus omnium scriptorum? Quis illo sapientior, qui ut ait Nazianz. primus fuit legislator? Audi quid de illo Paulus Hebr. 11. *Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem; majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi, aspiciebat enim in remunerationem*: Et tamen ut ait idem cap. 11. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed longè eas aspicientes & salutantes.*

2. In Confessoribus eximium fuit studium mortificationis: sed nimirum ut ait 1. Cor. 9. *Omnis autem qui agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*: Certè enim non decuerit ut qui restant pro floreâ coronâ quæ statim marcescit, abstineant ab omnibus contrariis, licet jucunda sint; nos verò non idem patiamur pro æternâ coronâ: Jam quid de virginibus loquar ac de earumdem certaminibus? Dixit Hieronymus inter Christianorum certamina, durissima esse prælia castitatis: unde verò se privant omni voluptatum genere? unde corpus suum castigant? unde oculos sibi effodiunt? Hinc nimirum ob Christi verbum. *Et sunt Eunuchi qui se castraverunt propter regnum cœlorum*: Vnde putatis, Auditores, tam multos fieri quotidie Religiosos, quos non rerum desperatio, non inopia rei familiaris, non stultitia rebus renuntiare persuadet, sed dictum illud Christi, *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum*? Serapion rebus omnibus nudatus, nisi codice Evangeliorum, ibat nudus, & clamabat: Ille me spoliavit. Credite mihi non insanit il-

nit illa Virgo nobilis quæ pulchritudinem suam æternis damnat tenebris; quæ vota multorum, & suspiria negligit; quæ tot titulos aspernatur: Nimirū venale est regnum cœlorū: Tantum valet, quantum habes. Credite non ille insanit qui tot majorum decora, & titulos, qui jus primogeniti alijs cedit; qui divitias & honores derelinquit: immò sanè vili pretio rem magnam mercatur. Quid possessionem allegas, quid præfecturam, quid ducatum? Ajebat ille apud Senecam Philosophus, cui tyrannus vim magnā pecuniæ offerebat, ut philosophari desineret; si me tentare volueras, toto fui experiēdus regno. Nec magnum aliquid deserit, qui regnū temporale relinquit, si hac jactura regnū cœlorum acquirit. Quid enim Apostolus regnum temporale appellat, nisi *temporalis peccati jucunditatem?* cui etiam Moyses prætulit affligi cum populo Dei, *aspiciebat enim in remunerationem.*

Sed accipite aliā de fœlicitatis æternæ pretio cogitationem. Nullum est in hac vita pretium virtutis & merces: debet enim merces esse aliquid melius, quoniam habet rationem finis, actio autem medij, & viæ; item rationem habet consumationis, & perficientis; denique rationem coronæ. Etenim licet omnia bona temporalia debeantur virtuti, ut honor, divitiæ, potestas, gratia, favor, gloria, deliciæ, & alia quæ sunt inter homines bona; hæc tamen omnia inferioris sunt ordinis quàm virtus. Hæc enim ex sua naturâ æterna est, bona autem omnia humana, sunt caduca & mortalia. Ad hæc si essent virtutis præmium, oporteret ut virtutem ipsam perficerent, quod contra fieri videmus: siquidem sunt potius virtutis impedimenta, & passim videmus eos qui istis rebus abundant, difficiliorem habere virtutem: nec sequitur, qui plus de illis habeant perfectiorem habere virtutem. Hinc fit, ut quotidiè Deus ea auferat hominibus justis, ac potiùs donet alijs, ne mortales bona ejusmodi putent virtutis mercedem: Quòd si aliquibus virtute præditis concedat, ideò facit quod homini virtute prædito, omnia ista debeantur: & ita non dat ut mercedem principalem, sed ut rem debitam: Ea tamen nonnullis etiam dat, mercedis loco, ijs nimirum qui cùm non habeant veras virtutes, habent nihilominùs adumbratas, unde æquali mercede compensandi sunt: ut sicut non habent veras virtutes, ita nec vera accipiant bona, sed quæ tantùm similitudinem habent bonorū. Ita Augustinus passim in libris de Civita. Dei docet Romanis cùm veras virtutes non habuerint, non data vera bona, sed eos pro virtutibus non veris, mercedis loco, bona hæc temporalia accepisse quæ lib. 5. cap. 15. enumerat, honores, imperium, gloriam: quibus, inquit, honorati sunt in omnibus ferè gentibus, hodièque literis & historiâ glorioſi sunt: sed ut ait cap. 16. Merces autem Sanctorum longè alia est: siquidem ut dicit Apostolus de nonnullis Sanctis, *ijs dignus non erat mundus:* quia scilicet tanta est virtutis dignitas, ut nullâ re creatâ conpensari possit: Et ut rectè æstimat Augustinus 22. de Civit. Dei cap. 30. Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum quo melius, & majus nihil possit esse, promisit. Cùm itaq; virtutem bona omnia creata non compensent, unde Philosophi docuerunt, virtutem nullā aliam habere mercedem, præter seipsam: necesse est gloriam cœlestem summam esse, quæ digna est virtutis compensatio, secundùm illud, *Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Jam cogita quales fuerint in multis Sanctis virtutes; qualis quibusdam vitæ neglectus: quantus in alijs contemptus opum, gloriæ, pecuniarum, imperiorum, voluptatum: Et quis dixerit neglectûs horum vitæ mercedem esse ipsam vitam, & virtutum quæ negligunt opes præmium esse, ipsas opes, gloriam, pecunias, imperium, voluptates? Mitto dicere

nullum pecuniâ pecuniam emere, possessione possessionem: Itaque istis rebus easdem res non emi: Sed dico, licet opum mercedes, essent opes; imperiorum imperia; voluptatum voluptates: at neglectûs opum, quæ merces? neglectûs imperiorum, & voluptatum, quæ compensatio? Cùm igitur tàm multi generis sint virtutes, tam excelsæ, tàm sublimes, tàm admirabiles; necesse est Gloriam summæ dignitatis esse: siquidem nulla est virtus, nulla sanctitas, nullum præclarè factum, cujus non sit amplissima merces fœlicitas cœlestis. Immò duo amplius docent Theologi, unum est, nullam virtutem moralem dignam esse gloria cœlesti, nisi ex motivo fiat supernaturali, aut meritum habeat à gratia: Neque sic quidem nisi quoque accesserit Dei promissio, qui potius suæ fidei, quàm nostris meritis, gloriam concedit. Alteram semper gloriam dari supra condignum: in quem sensum exponit S. Bernar. illud Isaiæ 2. *Erit mons domus Domini præparatus in vertice montium:* Omnia [inquit] nobis multiplicata redeunt, & qui aurum, & argentum & lapides pretiosos superædificavit fundamento, ædificium humile in immensos mõtes excrevisse mirabitur, & ex modico semine, magnos metet, non tam manipulos quàm acervos manipulorum.

III. Suspicionem mihi præbet Isaias cap. 33. ubi magnificis verbis gloriã cœlestem describit, atque inter cætera, hæc habet, *Quia solummodò sibi magnificus est Dominus noster*: Ut intelligas.

Considera 1. Quanta sit Dei magnificentia in hujus orbis creatione, in amplitudine, in varietate, in multitudine, in ornatu, unde mũdum Græci κόσμον dixerunt: certè tanta est, ut vel ex hoc solùm Deus hominibus innotescere potuerit. Jam vide partes singulas, cœlorũ magnitudinem, concentum, lucem: quantus in Sole splendor, quantus in Luna, & Astris Quàm multæ nationes hinc deceptæ Deos crediderunt. Jam qualis in Elementis, & Elementorum opibus facultas, copia, pulchritudo: qualis in mixtis, in metallis, lapidibus pretiosis, unionibus, & aliis divitijs: qualis in plãtis, arboribus, fructibus, frugibus, herbis, floribus, tantâ colorum, saporum, odorum, virtutum & proprietatum, & figurarum varietate; sed quanta admirabilitas in animantibus, quæ in terra nutriuntur, volant in aëre, natant in aquis & quidem incredibili diversitate.

Cogita 2. Quanta sit Dei magnificentia in hominibus, singulos aspice in corpore, & anima: sed vide nationum multitudinem, & morum varietatem: Vide urbes, Provincias, regna, regiones: Quot in illis opes, quot divitiæ, quot opera: Quæ pompa, qui apparatus, quot artes, quot scientiæ: Quæ in regijs rerũ omnium abundãtia, majestas, venustas, amplitudo: Quid memorem Palatia, Domos, Templa, Basilicas, ædificia publica, & privata. Vnũ Salomonis Templum quantum aurum continuit? parietes auro tecti, postes, trabes auro opertæ, pavimentum ipsum auro stratũ. Quid vitem auream commemorem, quâ Herodes Templum ornavit, cujus racemi ex lapidibus pretiosis concinnati, hominibus majores fuerunt? Quid auream domum Neronis non minorem urbe? Quid opes Crœsi, quid Darij, quid Alexandri? Quid opera infinita, marmore, ebeno, ebore, ære, argento, auro, & lapidibus pretiosis constantia? Sed ne corporea & visibilia tantùm attigisse videar.

Considera 3. Quanta in Angelis multitudo, & ordinum varietas, quanta potestas, virtus & majestas: quàm terribilis illorum exercitus, quàm admirabiles ordines, quæ lumina, quot scientiæ, quot cognitiones, quot virtutes, & perfectiones. Vna Intelligentia facilius cœlum rotat, quàm homo robustissimus pilã: unus tàm facile mari præest, quàm nau-

cu

ræ naviculæ: unus faciliùs leones omnes regit, quàm pastor oves: unus faciliùs regna quàm quilibet homo domum suã moderatur: porrò suo numero omnẽ naturã corporeamvincũt. Sed hæc omnia intra naturã sunt. Itaq;

Considera 4. Quanta magnificentia sit in operibus Gratiæ. Plus facit Deus in unius hominis anima, si sanctus est, quàm in omni condita natura. Quid gratiam sanctificantem loquar, quid virtutes infusas, quid supernaturales, & Theologicas, quid dona, quid gratias datas? Quid loquar Ecclesiam, veram Dei sponsam, quid ejus œconomiam, quid ordines varios? Audi Apostolum 1. Cor. 12. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores*, &c. Quid loquar varias gratias gratis datas? *Vnicuique enim datur manifestatio spiritus ad utilitatem*, ait ille ibidem, *alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ*, &c. Sed ut majora eloquar: Quàm magnificus Deus in Mysterijs, in Sacramentis, in Doctrina?

Verum quid Isaias dicit? *Quia solummodo ibi id est in gloria magnificus est Dominus noster.* Exploremus. Aliud est esse liberalem, aliud magnificum: Certè in his omnibus quæ modò enumeravimus, liberalem, imò profusum Deum esse judico, sed non magnificum. Nam ut omittam plurima, ad magnificentiam necessariæ sunt ex Aristotele δωπάναι μεγάλαι, καὶ πρέπουσαι. Impensæ magnæ, & convenientes: hoc est, si impensæ fuerint aut parvæ, aut mediocres, non est magnificentia: unde non quoslibet decet ea virtus, sed magnos, quorum opes sunt magnæ. Neque hoc satis: debent etiam esse convenientes: idque duplici modo: in primis ut res ipsa mereatur; neque enim, ait Aristoteles, ijsdem impensis fit templum, & sepulchrum; oportet itaque ut opus magnas impensas mereatur: Deinde ut impensa digna sit eo qui eam facit; unde hominis privati magnificentia differt à Principis magnificentiâ: sed si hæc duo concurrant, fit μέγας ἐν μεγάλῳ Magnum in Magno, & ad summum magnificentia pervenerit. Hinc judica Deum in hoc universo, extitisse quidem liberalem, sed non magnificum: Id docet Isaias cap. 40. cùm ait *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus*: Cùm gentes dixit, puta (inquit Chrysost.) quidquid in terris continetur, montium altitudines, profunditates vallium, camporum immensa spatia, tot regna, tot Provincias, tot gentes, toto mari à se divisas, tot mundis à se dissitas nationes: Hæc autem omnia, quàm sint Deo indigna, & imparia, satis indicat comparatio stillæ situlæ, & momenti stateræ: unde sic concludit Propheta: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* Vbi itaque sunt impensæ magnæ, & convenientes, hoc est Deo dignæ; si quidquid est, Deo comparatum, nihil est, quasi nihilum, & inane reputatur ei? *Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster.* Igitur ad ea quæ diximus aliud est addendum.

Considera itaque 5. Quidquid est magnificum in terris, quoad ornatum, divitias, splendorem, voluptatem, dignitatem, gloriam, & ejusmodi bona, æque bonis ac malis esse commune, secundùm illud Christi, *Qui Solem suum oriri facit super bonos & malos*: nam si Solem facit communem, quantò magis cætera bona? Quæ inde conclusio est? Hæc primum obvia est: Certè si Deus tantis bonis cumulat in hac vitâ homines nefandos; quid in gloria præparavit diligentibus se? Si in hac vitâ Nero habuit auream domum, quid speratre possunt Sancti in gloriâ? Si, ut ait Augustinus tantùm largitur diligentibus vanitatem, quantum quærenti-

bus veritatem? Quidam olim sub Rege Gotho, cùm ludos Romæ spectasset, & urbis magnificentiam, exclamasse dicitur, si tam glorioſa est Romana, vana, quàm glorioſa futura est cœlestis patria? Hæc quidem veriſſima sunt: Sed hanc ego concluſionem intendi: Nemo in re parvâ, sed in magnâ est magnificus, etenim magnificentia exigit impensas magnas, & congruentes: Cùm itaque terrena omnia & mortalia, malis communia sint, immò magis propria, certè in iis non fuit magnificus Deus, sed ut ait David, *magnificentia tua super cœlos*: & Isa. *quia solummodò ibi magnificus est Dominus noster*: In quo verò ea magnificentia consistit, quis explicet? certè *non vidit oculus absque te*: Vide imbecillis animi conatus.

I. Itaque quantùm illud est, quòd quidquid in terris magnificum est, locuples, glorioſum, acabundans divitiis ac deliciis, illud omne in cœlos transferetur, modò cœlis non sit indignum, ne tu homo terrenus, etiam in cœlis positus, terram desideres, ne tu homo terræ assuetus, beatitudinem spernas, si ea non haberes, quæ in terris, tuâ æstimatione magna sunt. Id significatum est in Apocal. cap. 21 ubi sermo est de præclarâ illâ civitate: *Et reges terræ* (inquit) *afferent gloriam suam, & honorem in illam*: sensus est, quidquid in terris homines admirantur, & cupiunt, etiam in summâ fortunâ; illorum omnium copia erit in cœlis: Et infrà. *Et afferent gloriam, & honorem gentium in illam*: Id est sapientiam Græcorum, formam, artes, ingenium: Persarum gazas, opes, aurum, & purpuram: Romanorum potentiam, authoritatem, gloriam, dominationem: Ita ut quemadmodum olim de Româ dixit Augustinus ditatam illam ex spoliis omnium nationum, ac in illâ, omnia fuisse visa, quæ olim in toto orbe terrarum sparsa videbantur, quoniam pretioſiſſima quæque in illam illata fuerant, tot templorum expilationes, tot urbium devastationes, tot Provinciarum, & Imperiorum exuviæ: Ita quidquid in terris fuit eximium, imo longè majora, & præstantiora in cœlum inferuntur, secundùm illud Psalmistæ, *Gloria & divitiæ in domo ejus*: Illic enim videre licebit, tot Reges atq; Principes, tot Duces, ac Imperatores: Tot Pontifices verandos, tot artes, atque scientias, tot virtutes ac dotes, tot opes atque divitias, tantam gloriam, atque pompam, tot sæculorum miracula, denique quidquid optimum fuerit sæculis omnibus, simul & ordine congregatum: Refert Clem. Alexand. in admonitione ad Gentes ex Athenodoro, Sesostrim Ægypti Regem, cùm plurimas Græcorum gentes subjugasset, reversum in Ægyptum, Osiridis à quo genus duxerat, mirabilem feciſſe effigiem, quæ dicta est Serapis, Briaxis opificis usus manu, qui ad opus faciendum, variam & multiplicem adhibuit materiam; adhibuit enim ramenta auri, atque argenti, æris, ferri, plumbi, stanni: denique nec ei ullus lapis deerat Ægyptius, nec Sapphyri, & Amethysti fragmenta, sicut nec Smaragdi, & Topasii, quæ omnia lævigata, tritaque, ac mixta, cæruleo imbuit colore, unde nigrior color imaginis: opus nempè dignum, quod pro Deo proponeret, in quo artifex omnes naturæ divitias miscuerat. Hoc fuit prophanum: sed istud sacrum, quod Cedrenus vocat ἔργον ἀμίμητον opus inimitabile factum à Justitiano Imperatore. Fecit ille sacram mensam ex auro, argento, & omni gemmarum genere, è lingo. metallo, & aliis rebus omnibus, quæ terrâ, aut inari, toto denique orbe, sunt in pretio. Quod illi in minoribus operibus ambitiosè conati sunt, nec perfecerunt, ut partem rerum omnium pretioſarum in unum

opus

opus compingerēt, hoc in Cœlo Deus perfecit, ut quæcunque bona hîc reperiuntur non indigna cœlo, hæc omnia in gloriâ conjungeret. Hinc fit ut passim asserant Theologi, non defore in cœlis, singulis sensibus suas voluptates, & oblectationes, sed puriores ac synceriores, & majores, quàm quæ in terris percipiuntur: ne homo carni, & sensibus, & voluptatibus addictus beatitudinem cœlestem repudiaret, si istis bonis careret. Itaque & suas ibi oculi voluptates habebunt, & aures suas, & gustus suas, & olfactus suas, & suas tactus, tanto mortalibus istis, meliores, ac majores, quantum distat status immortalitatis à mortalitate. Sicut enim non tantùm spiritus beatus est, sed etiam corpus, ita non tantùm spiritus suam habebit delectationem, sed & suam corpus. Ibi itaque suæ divitiæ, ibi suus honor, ibi sua gloria, ibi sua voluptas, ibi omnia in unâ fœlicitate collecta, sicut in auro, metallorum omnium pretium, in adamante lapillorum splendor, in Sole omnium Astrorum fulgor. Habebunt igitur in cœlis beati quidquid pertinet, 1. ad commoditatem: 2. ad delicias: 3. ad dignitatem: 4. ad rerum omnium copiam & affluentiam: 5. Ad magnificentiam. Hinc tribus rebus finis imponetur, quas ego insatiabiles puto, super tria Salomonis insaturabilia: Curiositati, ambitioni, cupiditati: unde existet in animis illa quies, quam Apostolus vocat *Pacem Dei, quæ exuperat omnem sensum*, immo & intellectum.

Sed hæc omnia pertinent tantùm ad beatitudinem accidentalem, vel ad ejus appendicem: nec divinæ satisfaciunt magnificentiæ. Itaque plus illa aliquid requirit secundùm illud: *Quia ibi solummodò magnificus est Dominus noster*; quod ego ulteriùs inquiro.

II. Ergò quis explicet magnitudinem gloriæ essentialis, quæ in clarâ Dei visione consistit, in quâ quidem hæc sunt præclarissima.

1. Quòd creatura eâdem re beata est, quâ ipse Deus: Audi Venantium: Vbi Deo & hominibus fit una possessio: certè quod Deo sufficit, tibi satis sit.

2. Quòd eodem modo, etenim seipso beatus est Deus, & creatura Deo beata est: ad hæc Deus sui visione beatus est, & creatura quoque Dei visione beata est: *Vt videas bona Ierusalem.*

3. Quòd ipsius Dei possessione beata est; neque enim aliquâ re minori beata foret, unde appetitus quiescit; nam ut ait Augustinus serm. in Festo omnium Sanctorum: Ad Dei visionem cùm venerimus, plus non requiremus; quid enim quæratis, cui Deus adest? aut quid sufficiat ei, cui non sufficit Deus?

4. Quòd anima Deum attingat immediatè, sine medio, sed ipsum proximè tangat, gustet, videat, odoretur, in ipsum tota immergatur, ita ut non jam Dei dona percipiat, sed ipsum Deum, ipsam Dei essentiam, ita ut seipso Deus animam oblectet. Certè omni alio modo, quo Deus attingitur, non proximè attingitur, sed immediatè, hîc autem per seipsum attingitur. Et creaturæ quidem per species attinguntur, Deus autem ipse munere speciei fungitur, ut non sit aliud quod attingatur; etenim attingitur sine remedio: & uti nutrix quæ filium lactat, non jam vase utitur, aut cochleari, sed ubere, & mammâ, per quam infanti seipsam infundit: Ita Deus in beatitudine seipsum non aliquo dono, sed per se ipse delicias ministrat, & vitam. Id declarat S. Augustinus exponens illa verba Psalm. 34. *Dic animæ meæ salus tua ego sum*, ubi docet in hac vitâ Deum per alios subvenire, in alterâ per seipsum: In ipsis temporalibus angustiis (ait) per hominem subvenit Deus, salus tua ipse est: per Angelum subvenit Deus, salus tua ipse est: omnia illi subjecta sunt, & ad istam quidem vitam temporalem subvenit, alii inde: Æternam vitam non dat, nisi de se. Cùm Incarnationem prædicat Paulus, ait *Deum aliàs*

locutum esse in Prophetis, multifariàm multisque modis, &c. sed *novissimè in Filio*: Ita in vitâ mortali se se variis modis Deus communicat per gratiam, per virtutes, per dona, per Sacramenta, per illapsus; sed in gloria per seipsum. Amabilissimum omniũ mysteriorum quæ in hac vitâ habemus, est Eucharistia, in qua seipsum Christus donat, ac non tantùm dona sua: Sed tamen mediis accidentibus panis, & vini sese comunicat in eâ; & ita tantummodò per illa videtur, tangitur, manducatur, & nobis conjungitur. Verùm unitur in gloriâ per seipsum immediatè, atque impletur illa unionis perfectio, ad quam in hac vita pertingere non possumus, & ad literam implentur illa Christi verba: *Sicut Pater vitam habet in semetipso: Ita dedit Filio habere vitam in semetipso.* Item *Et ego vivo propter Patrem, & qui manducat me & ipse vivet propter me* Quis illam possessionem explicet, ut quis verè Deum possideat non impropriè, aut methaphysicè, sed verè ac propriè? Nec obstat quod id fiat videndo: Nam ex usu Scripturæ, videre, idem est quod habere, sicut illud Davidis, *Vt videas bona Jerusalem*, idem est quod invenias. Item illud aliud: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei*, per non videre significat Propheta, non esse participem: Ita apud Latinos cernere hæreditatem, item est ac sumere possessionem. Jam Jam quantùm illud est, ut Deus fiat creaturæ possessio, nec Deus tantùm fiat suorum donorum liberalis, sed suis magnificus? *Quia ibi solummodò magnificus est Dominus noster.*

Ex dictis hactenus à nobis

Collige 1. In gloriæ conspectu quàm sint alia omnia negligenda, & si tanti vitrum, quanti margaritum: Terrena omnia falsa, simulata, caduca, fugacia, mortalia, vitiorum illecebræ, nugacitates, corporis bona, communia vel cum belluis, vel cum sceleratis hominibus: quibus caruisse felicitas est: quæ contempsisse virtus: possedisse periculum: concupisse libido: magni fecisse stultitia. Vide quantùm homines insaniant, qui rem tantam qualis est possessio Dei perfectissima despiciunt. Certè stupiditas est aut insania, aut irreligio: Stupiditas cùm excelsa non capiant & tantis rebus non tangantur: Stultitia & furor; dùm pro luce, tenebræ; pro honore dedecus, pro honore dedecus, pro solio stercus; pro regno servitus; pro felicitate infelicitas eligantur: Denique irreligio, & impietas; Quia necesse est ut futura vita & felicitas, & animorum immortalitas non credantur: alioqui quis crederet sic homines desipere? Sed quid Joannes in Apocalypsi post relatam gloriam cœlestis patriæ, quam his verbis absolvit, *Et regnabunt in sæcula sæculorum*, subdit, *Et dixit mihi, hæc verba fidelissima sunt, & vera*: Ita nimirum fidei confessio sic absolvitur, dùm creditur resurrectio mortuorum, & vita æterna, ut scias hac clausulâ fidem omnem nostram absolvi: *Hæc verba fidelissima sunt, & vera.* Hâc de causâ, quàm multi mundana omnia deseruêre, opes, magistratus, possessiones, honores, & nonnulli etiam sceptra *Cognoscentes se habere meliorem, & manentem substantiam*? Eâdem de causa quàm multi *omnium bonorum jacturam cum gaudio susceperunt*, & in eo damno lucrum reponentes? Eadem de causa quàm multi sanguinem, & vitam profunderunt? Atque hinc vide quàm non dubitarint futura præsenribus præferre, qui sic præsentia contemnerent.

Collige 2. Quo pretio emenda sit Beatitudo, scilicet omnibus bonis, omnibus pœnis & rerum facilis est jactura, sed hujus rei, planè intolerabilis. Ex hâc intelligitur quæ & quanta sit pœna damni *Quid* enim *prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur*? Itaque in illud omni studio connitendum est, ut ac qui-

quiratur: non parcendum labori, non impensis, non curis, non vigiliis. Certè Augustini ea vox est, quælibet gravia ferenda multis annis, ut quis vel unum diem gloriâ fruatur: Et illa Chrysostomi, ut gloriam adipiscamur, omnes pœnas ferendas esse: Imitemur Evangelicum illum mercatorem, qui omnia dedit, ut unam emeret margaritam, nec se credidit deceptũ: Equidem si Christus suo sanguini non pepercit, si nec Martyres suo; si passim Confessores, non sanitati, non corpori, non pulchritudini, non opibus, non laboribus, non honori, non vitæ; cui rei parcere debemus?

Collige 3. Ex duobus tibi alterum esse eligendum, neque enim tertium datur: Aut socius esse debes Lazari in sinu Abrahæ, hoc est in gloriâ, aut te oportet socium esse divitis Epulonis in æternis tormentis: Aut te summè miserum oportet, aut summè beatum. Sed cùm iste duplex status rationem habeat finis, necesse est ut ad utrũq; per sua media veniatur, illud autem mediũ unicum est, vita: Cernite autem qualis fuerit vita Lazari: quòd mendicus, quòd ulceribus plenus, quòd totam vitã jacuerit, quòd micas de mensa divitis cadẽtes appetierit, quas tamen nemo dedit: è contrario vide qualis fuerit vitâ Epulonis, *Induebatur purpurâ, & bysso, & epulabatur quotidie splẽdidè*: Vide cui eligas similis esse, an Lazaro, an Epuloni: Sed hoc apud te statue necessarias esse ejusmodi vices, & quoad statum attinet, nemini licere utrobique felicem esse: eò enim pertinet Christi vel parabola, vel Historia.

Quæ cùm ita sint, Tibi optio datur: Vide, cui te similem esse malis: Vtrumq; considera, non inadæquatè, sed adæquatè: Vtrumque utriusque statum attende, ac vide quid consultat prudentia Christiana, & ex illius principiis vitæ tuæ actiones compone. Ita sorte Divitis repudiatâ, Lazari virtutes amplectẽris, & ad æternam gloriam cum eo pervenies, ad quam nos perducat Christus. Amen.

DOMINICA TERTIA
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO PRIMA.

Probatur dari inter Dæmones aliquam regni formam.

Erat Iesus ejiciens Dæmonium. Lucæ 11.

DE pessimo ac difficillimo Dæmonũ genere nobis hodie sermo est: Nam quid à muto Dæmone potes addiscere, si neque audire, neque loqui potest: nihil loqui, quia uti dicitur, in textu, *Et illud erat mutum*: nihil audire, nam κωφὸς vocatur in scripturâ, quam vocem sic explicat Tertullian. ut mutum & sur-

& surdum significet. Hoc tantùm superesset, ut signis, & nutibus urgeretur, sed quem Lucas surdum & mutum appellavit, Matthæus cæcum esse dixit: itaque ut surdo nihil est, quod loquaris, ita cæco nihil est quod signis, & nutibus ostendas. Quare Christus rectè admonet, hoc genus dæmoniorum non ejici nisi in jejunio, & oratione. Sanè tempus in quo sumus, est tempus jejunii, & jejunium magnam affert ad orandum commoditatem: oratio autem nostra ad illum dirigitur, nam *benè omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui*, cujus etiam vocem & imperium audit ipsum nihilum, nam *vocat ea quæ non sunt, quasi ea quæ sunt*: Quanto ergò magis surdo loqui potest? Ipse est qui ipsas tenebras illuminat; quantò magis cœcum? *Si de tenebris fecit lumen splendescere*, & si David ad eum sic orat, *illumina tenebras meas*: ad illum accedamus; idq; per Matrem ejus. AVE MARIA.

TRIA maximi momenti de Dæmonibus nos docet præsens Evangelium quæ à nobis diligenter discutienda sunt.

Primum est inter Dæmones esse aliquam speciem regni.

Secundum est Christum eo potissimùm fine venisse, ut illud regnum subverteret.

Tertium est id Christum fecisse tribus potissimum modis, 1. veram religionem stabiliendo: 2. contrarietate morum, & legum: 3. potestate suprema, & authoritate. Incipiamus à primo.

Quis nostrûm unquam existimasset inter perturbationem, confusionem inferorum esse ordinem posse, atque aliquam reipsâ formam? Quis crederet malignis Dæmonibus, statum esse Regnum? *Si autem & Satanas in seipsum divisus est; quomodo stabit regnum ipsius*: Si Dæmones inter se divisi sunt, quomodò tandiu eorum Regnum, & imperium perstitisset?

Nota itaque 1. Incredibilem Dæmonum multitudinem aliquo imperio contineri, hoc est in eâ multitudine, esse aliquos qui præsint, alios verò qui pareant, cum quâdam, potestatis subordinatione, quæ omnis reduciturad unum omnium principem, eum scilicet, qui cæteros decepit in cœlo; ac fuit ille draco, qui tertiam stellarum partem, suâ caudâ, hoc est exitu suæ rebellionis attraxit, atque dejecit. Illum Judæi Beelzebub appellarunt hoc est muscarum Deum, ex odio scilicet Philistinorum, quorum maximus Deus in nobilissimâ urbe Accaron, in idolo ejus nominis colebatur. Ita verò dicebatur, quod cum sanguine victimarum oblineretur, infinitam muscarum multitudinem attraheret: vel à muscis avertendis, quæ fortasse aliquando eum populum infestassent: ob quam similem causam. Elæi Deo cuidam Sacrificabant, quem Myiagron appellabant, uti refert Plinius, quasi muscarum venatorem, vel interfectorem. S. Hieron. refert in cap. 3. Habacuc illum Dæmonum principem, ex veterum Hebræorum traditione vocatum Rescheph, vel ob velocitatem, vel ob maledictionem à Deo inflictam, postquam Evam tentasset. S. Chrysost. Homil. 1. de lapsu hominis Sathaelen appellat: Theologi communiter per allusionem ad locum Isaiæ de Rege Tyri, nuncupant Luciferum: ipse etiam Trismegistus Dæmonarcham vocat.

De nomine illo satis incertum quodnam illud sit: sed nihil certius illo ordine, de quo suprà dixi; Christus enim meminit alicujus regni infernalis, negans se ejicere Dæmonia in Beelzebub principe Dæmoniorum, quia alioqui ejus regnum non subsisteret, si duces inter se dissiderent, nullaque inter Dæmones esset concordia: *& domus supra domum* caderet: quasi dicat: si minores communitates non subsistunt, nisi concordiâ; multò minus majores, qualis est illa Dæmonum, quorum tanta est multitudo. Item Matth. 9. & 12, Marci 3. &

Lucæ

Lucæ II. fit mentio principis Dæmonicrum: & Matth. 25. mittuntur damnati *in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*, quod relativum ostendit esse aliquod dominium Diaboli inter cæteros dæmones: & Apocal. 12. *Draco pugnabat, & Angeli ejus*: Item Asmodæus, ubi Tob. 3. dicitur, Dæmonium, Hæbraïcè legitur Melech Haschedin Rex Dæmonum: ac refert Elias Levita in suo Thisbi libro, cui ex numero nomen imposuit quia in eo 712. voces exponit, refert inquam, Targum has primas Ecclesiastis voces. *Ego Ecclesiastes fui Rex*, ita vertere Aschmodai Malcah Dischcidim. Id est Asmodæus Rex Dæmonū. Benjamin Judæus Tudetensis in suo Itinerario Zohar, narrat Salomonem regno pulsum, ab Asmodæo in solitudine detentum fuisse, dum interea ipsa Asmodæus Schemate Salomonis indutus jus diceret Hierosolymis: quo dicto Salomonis Satanitatem notavit. Cæterùm nemo putet Asmodæum absolutè esse omnium Principem, is enim detinetur in Barathro, unde vel nunquam exit, vel non nisi ad brevissimum tempus: uti docet S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 12. Qui enim maximè deliquit, maximè omnium torquetur, & ita recluditur in Inferno, quod maximè horrent Dæmones, uti patet in Legione de qua Lucæ 8. & in exorcismis: sed ita vocatur Asmodæus quod pluribus præsit. Principatum etiam Dæmonm agnoscit Apostolus, dum inter illos numerat Principatus, potestates, & dominationes: ubi abstracta ponuntur pro concretis: Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes & potestates: adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.*

Id passim etiam asserunt Sancti Patres, & Theologi & mystici Doctores, uti Abbas Serenus apud Cassian. collat. 8. cap. 14. ubi ait, præter authoritatem Scripturarum, id ipso experimento, & perspicuis visionibus probatum fuisse: Refert enim quemdam ex fratribus in solitudine iter agentem, coactum nocte, in antrum secedere; cùmque preces suas usque ad noctem mediam protulisset, ac posteà vellet quiescere, repente cœpisse videre catervas Dæmonum innumerabiles, longo ordine incedentes, quarum aliæ Principem suum præibant, aliæ sequebantur; qui tandem & procerior cæteris, & aspectu terribilior apparuit, ac posito solio, cùm in tribunali excelsissimo consedisset, cœpit omniū actus discutere. Simile aliquid refert S. Gregor. Mag. in suis Dialogis: Sed indubitatum illud est quod ex Scripturâ diximus; unde etiam historiis allatis aliqua probabilitas accedit: id enim potuit Deus permittere ad animos simpliciorum confirmandos, cùm alioqui nihil absurdi contineant, &c multa similia in Energumenis deprehendamus, & in historiis Magiæ, ubi similes Dæmonum dependentiæ, aut potestates, ac dominia comperiuntur: Quid quod etiam Magi, uti refert Niphus lib. 3. de Dæmonibus, solent in virtute Principis Dæmonum alios excantare: Et Postellus lib. 1. de concordiâ cap. 8. ait Dæmonum ordines esse novem: Quia ex S. Tho. 1. p. q. 109. art. 4. communiter dicitur, ex omnib⁹ Angelorum Ordinibus, qui novem sunt, præcipitasse: ubi autem est ordo, ibi est dependentia, quæ est radix ordinis inter res creatas. Hinc factum ut inter Dæmones ipsos, alij alijs sint potentiores ideòque dicitur in nostro Evangelio: *Et assumit alios nequiores se*: Qui enim graviùs deliquerunt, illi nequiores sunt, atque ad nocendum paratiores. Ita refert S. Athanasius in vitâ S. Antonij adductum juvenem ad ipsum qui habebat principalem Dæmonem, quem abigendum remisit Discipulo, dicens: Non est hoc meum opus, nam contra hunc Dæmonum Ordinem, nondum sum donatus gratiâ: sed hæc est Pau-

li Simplicis gratia: prout refert Pallad. cap. 28. Ita CHRISTUS docuit quosdam Dæmones difficiliùs cæteris expelli Matth. 17. *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi in jejunio & oratione*: quare nec ab Apostolis illud ejici potuit, cùm plurimos anteà ejeciissent, solo Christi nomine invocato.

Nota 2. illud imperium in Dæmonibus antequàm peccassent, fuisse hierarchicum, id est, sacrum, & sanctum: Etenim Angeli, ab initio suæ creationis in gratiâ conditi, in ordine illo hierarchico producti sunt, uti docet Theophilus Alexandrinus in Epistolâ 2. Paschali, ubi Origenem contra sentientem, ejusque dogma excommunicat: additque hæc verba; Nullum dubium est quin sic ab exordio conditi sint; quæ verba indicant eam fuisse tunc communem Ecclesiæ sententiam. Hæc autem ordinum distinctio, ut alii essent Principatus, alii Potestates, alii Dominationes, alii Throni; à formâ aliquâ supernaturali profecta est, quæ & eminentiam conferret, & potestatem in alios, qui cùm viderent in superioribus majus lumen, majoresque virtutes, propter ordinatissimas voluntates, quibus tunc gaudebant, libenter aliis obtemperabant ac subjiciebantur. Id verò putatur; quia Dæmones nihil prorsus amiserunt, nisi supernaturale ex S. Dionys. 4. de divin. nomin. Quia alioqui mali essent naturâ, si aliquid naturale amisissent: amiserunt autem illam potestatem hierarchicam, secundùm illud Apostoli Judæ in epistolâ suâ: *Qui non servaverunt principatum suum*: quo nomine ait ibid. S. Dionys. intelliguntur bona Angelica: certè gratia quæ hominibus communis est: igitur aliud donum supernaturale, quod S. Athanasius in epistolâ ad Serapionem, quod Filius non sit creatura, explicat per τάξιν quam vocat principatum illum. Adde quod S. Gregor. Nazian. orat. 40. donum hoc & peculiare appellat splendorem; itaq; ponit in intellectu, & in voluntate, ratione majoris luminis, & majoris virtutis, quæ omnia Angeli prævaricatores amiserunt: ita ut etiam ex Nazian. in carmine, de creaturis spiritalibus, toti facti sint tenebræ; unde sequitur, in eis amplius non esse hierarchicam potestatem, sed aliam quandam diversi generis, quæ qualis tandem sit, investigamus.

Nota 3. S. Th 1. p. q. 109, art. 2. dicere, id provenire ex eorum naturâ inæquali, ideoq; quorundam actiones, aliorum actionibus præsidere, cùm actiones naturam sequantur. Favet Augustinus Niphus lic. 3. de Dæmon. c. 17. qui docet uti in corporibus cœlestibus est quidam ordo; sic etiam in Dæmonibus esse, idque ratione naturali convinci: Quia omnis multitudo dictat ordinem, maximè in substantiis perpetuis. Sed 1, hæc naturarum diversitas maximè est incerta: & suprà dixi, diversitatem ordinis in Angelis, peti à formâ supernaturali, licet S. Thomas fundamentum petat à natura: Sed Patres inclinant, ut totum petatur à gratia. 2. Si nihil aliud esset, improba Dæmonum voluntas, & contra Deum rebellis, hoc naturalis dominationis jugum non ferret, præsertim cùm inter spiritus dominia non exerceantur, nisi per actus intellectus & voluntatis. Ratio verò Niphi nulla est, quia in cœlis nullus est ordo nisi localis, aut fortè etiâ illuminationis; sed in ordinatione ad hæc inferiora; qui ordo non est inter substantias spiritales, in quibus libertatis exercitium impediretur, si necessaria esset dependentia, quod planè absurdum est.

Nota 4. in imperio Dæmonum duo esse 1. Subjectionem omnium uni Principi: Deinde varios eorumdem inter se ordines, atque dependentiam, quæ ad unius principatum referantur: Primùm oritur ex Dæmonum peccato: Nam quia ex sententia D. Petri:

A quo

A quo quis superatus est, ejus & servus est: ideò jure victoriæ cæteris dominatur. Hanc rationem affert S. Athanâsius libro de Incarnatione Christi. Et Augustinus lib. 3. de libero arbitrio capite 3. Iniquum enim erat [ait] ut ijs quos ceperat, non dominaretur. Alterum oritur ex fine quem in eo principatu, atque ordinato imperio sibi Dæmones proposuerunt: Sicut enim homines, ut vitam honestiùs, meliùs, & commodiùs transigant, habent Magistratus, Principes, Leges &c. ita Dæmones, ut graviùs homines lædant, & opportuniùs, atque infestiùs inter se principes ac Reges ordinarunt, variaque officia, & parendi ministeria in eum finem, quem intendunt: unde finito mundo, cùm nulla ampliùs erit homines tentandi necessitas aut potestas, improbi illius imperij ordo cessabit juxta illud 1. Cor. 15. *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo, & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem.* Vti enim Dæmon in terris divinitatem sibi assumpsit, quam iu cœlis præsumpserat, ut saltem hoc haberet fictè, atque ex hominum errore, quod in cœlo habere non potuerat, ex Gregorio Nazian. orat. de calamitat. animæ suæ; & ideò totum orbem idololatriâ, & falsis cultibus, ac superstitionibus implevit juxta Psal. 95. *Dij Gentium, Dæmonia*: Ita nomina dignitatum hierarchicarum quas in cœlis amisit, sibi posteà usurpavit falso nomine: Et sicut in cœlis hæc omnia significabant certas dotes, & dominium peculiare in hæc inferiora; ita nunc significant varias ejus tyrannides, atque usurpatam potestatem. Cùm itaque Dæmon dicitur, *Princeps hujus mundi* Aut Ephes. 2. *Princeps potestatis aëris hujus*, non debet intelligi vera potestas, quam nullam in creaturas habere testatur S. Augustinus tract. 79. in Joan. sed moralis potestas quam sibi tyrannicè usurpat, & homines subeunt, dùm ejus instigationibus parent. Neque enim ut impiè dixit Carpocrates apud Irenæum lib. 3. cap. 24. & Manichæi apud Sanctum Augustinum lib. de hæres. cap. 46. Harum rerum sensibilium factor est Dæmon, & consequenter Dominus: sed dicitur Dominus mundi, non absolutè, sed cum restrictione, nempe *tenebrarum harum*, id est, aëris hujus inferioris, & caliginosi, quia scilicet imperium suum exercet inter homines, in hoc aëre, ubi homines degunt, idque ut eos vexet ac tentet. Regnum igitur ejus in homines est ratione peccati: quia enim homines ob peccatum se subdiderunt Dæmoni, ideò Dæmon dicitur eis dominari. 1. Quia viribus suis non possunt à peccato resurgere: 2. Neque tentationibus resistere: 3. Quia ratione pœnæ Dæmoni subiiciuntur: Unde Deus multa ipsi permittit in his inferioribus ad eos puniendos, atque etiam ad eosdem tentandos: & ideò Toletus annot. 40. in Lucam, intelligit per regnum Dæmonis, potestatem factam ei, homines tentandi, & ad peccatum inducendi quam maximè exerceat in eos, quos de facto inducit.

Nota 5. Ex ratione hujus imperij existere varias Dæmonum divisiones, atque ordines, quos nunc persequi non lubet, sed tantùm duos attingere. Vna enim divisio petitur à locis, ubi habitant, atque hominibus insidiantur: altera à vitiis ad quæ homines impellunt. Ex primo fonte Veteres diversis modis Dæmones distinxerunt, ac multipliciter nominarunt, igneos, aërios, aqueos, terreos, septentrionales, australes, Persicos, Africos, tenebriones, sepulchrales, &c. Ex altero fonte, alii, uti docet Cassianus collat 2. & 5. præsunt gulæ, alii fornicationi, alii avaritiæ, alii iræ, tristitiæ, vanæ gloriæ, superbiæ, &c. Idem docet Origenes homil. 15. in Iosue. Ambros. lib. de Paradiso cap. 12. Augustinus, Bernardus, & alii passim: Inter quos Abba,

Serenus apud Cassian. collat. 7. cap. 17. Hoc (ait) nosse debemus non omnes Dæmones universas hominibus inurere passiones; sed unicuique vitio certos Spiritus incubare, & alios quidem immunditiis, ac libidinum sordibus oblectari, alios blasphemiis, &c. & unumquemque illud vitium humanis cordibus, quo ipse gaudet inserere. Addit insuper, licet unus possit ad multa scelera impellere, unicuique tamen esse aliquid maxime propositum; uti in hominibus varia sunt studia: unde ait quosdam spiritus esse ridiculos, alios noxios, & truculentos, alios timidos, atque ambitiosos, alios mendaces, & blasphemos qui sunt authores hæreseon: & subdit, incensores esse libidinum, & luxuriæ: quod & Oseas priùs dixit his verbis: *Spiritus fornicationis decepit eos*, Nocturnos quoque & diurnos, ac meridianos Dæmones similiter Scripturarum authoritas docet. Sunt qui à Prophetâ, Onocentauri, qui Lamiæ, qui Ululæ, qui Struthiones, qui Ericii designantur: qui Aspis, qui Basiliscus in Psalmo, qui Leo, qui Draco, quive Scorpius in Evangelio nuncupentur: qui *Princeps mundi hujus*, qui *rectores tenebrarum harum*, quive *spiritualia nequitiæ* ab Apostolo nominentur: quæ vocabula non sine causâ, nec fortuitò indita illis, debemus accipere: sed significatione istarum ferarum, quæ apud nos, vel minùs noxiæ, vel magis perniciosæ sunt, illorum ferocitatem variam rabiemque distingui. Eandem doctrinam priùs tradiderat S. Antonius apud S. Athan. Partita Dæmonum nequitia est: quidam enim ad summum nocendi verticem pervenêre, alii ex comparatione pejorum videntur esse leniores: atque omnes pro virium suarum facultate diversa contra singulas causas seu virtutes sumpsere certamina. Exemplum accipe in uno, nempe in Asmodæo quem Prosper vocat Dæmonum nequissimum, & crimine ab uno, disce omnes. Is fuit Princeps in Mediâ, & in Persidè, forsitanque fuit ille qui restitit Angelo Judæorum, qui Daniel. 10. dicitur Princeps Persarum: nam de inimicâ potestate id intelligit Hieron. ib. & in cap. 24. Isaiæ & Ruper. lib. 9. & Abbas Serenus collat. 8. cap. 13. Idem fuit rex fornicationis, vel in Mediâ solùm, vel etiam in toto terrarum orbe, uti censuit author libri, qui inscribitur (serpens antiquus) ex D. Francisci familiâ, natione Hierosolymitanus. In hujus igitur ditione sunt incestus, adulteria, stupra, concubinatus, impuri tactus, verba obscœna, &c. Ad hunc spectant veneres omnes, earumque ministri, & instrumenta, lenones, perductores, philtra, carmina, theatra, & quidquid flagitiosos incendere amores solet: Hic est ille qui suggerit turpes cogitationes: Vnde Bernard. Serm. 7. de spirit. Quoties importunè ut assolet, carnalis cogitatio mentem pulsat, &c. certum sit nobis spiritum esse carnis, qui loquitur, & tanquam adversarium repellamus eum dicentes. *Vade retro Satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt*, &c. sed magis sapientia tua inimica est Deo: Hic est ille quem venereorum Præsulem Comum appellat Philostratus: Hic ille qui juvenem Antonium plurimis, sed importunissimis cogitationibus est aggressus, sed frustrà: cui etiam apparuit instar pueri horridi ac nigri, & ut refert S. Athan. ad Antonij genua prostratus humanâ voce flebat dicens, multos seduxi, plurimos decepi, nuncautem, ut à cæteris Sanctis, ita & tuo labore sum superatus. Interrogatus quis esset: ego sum (inquit) fornicationis amicus, ego multimoda adversus omnes adolescentes turpitudinis arma suscepi: hinc & spiritus fornicationis vocor: quantos purè vivere volentes fefelli: quot tenuiter incipientes, ad sordes pristinas redire persuasi: Ego sum propter quem Propheta, lapsos increpat, dicens, spiritu fornicationis decepti estis; & reverà per me illi fuerât

supplan-

supplantati: ego sum, qui teipsum sæpe tentavi, & sæpe repulsus sum. Cæterùm sub tuis signis plurimos habet subditos, qui ubiq; flammas excitant libidinis, & ab eo leges, & nocendi artes accipiunt, ut & illi lapsus, & successus referunt. Huic subditus erat, quem in virginem submittebat Cyprianus tunc Magus, posteà Sanctus, apud Nazianen. ordin. 18. Sicut ille, quem ad aliam Virginem expugnandam adolescens Gazensis sub limen domus infoderat: quem S. Hilarion. interrogans, cur adolescentis corpus non intrasset, respondit, ut quid intrassem in eum, qui habebat collegam meum, Amoris Dæmonem: uti narrat S. Hieron. in Hilarione. Ille est quem amatores, & Poetæ cupidinem appellant, cui tradunt arcum, sagittas, & tædam. Ille præest modis amorem conciliandi, blandiciis, aspectibus, & aliis id genus quibus calorem excitat: Sedet in hujus oculis, in alterius sinu, in capillis alterius, in hujus linguâ, in alterius manu dùm scribit: Ille docet mille amandi artes: ille inventor jocorum, turpium cantilenarum, & carminum amatoriorum: Ille est author infandarum libidinum: Insidiatur pudori Virginum, uxorum castitati, Religiosorum votis, adolescentium pudori, corporum integritati: Ille solos, cogitationibus aggreditur, ac desideriis conficit dormientes aut insomniis obscœnis aut turpibus motibus inquinat: eos verò qui in cœtibus frequentes sunt, innumeris aspectibus, aut tactibus, aut cogitationibus quasi jaculis configit ac cruentat: Quid memorem quibus modis cùm factus est superior, deinde sæviat, quæ expediat tormenta cùm sit crudelissimus, unde vocatur apud Tobiam *Asmodæus*, id est, perditor, & vastator à voce Schamad, quòd est perdere & vastare, præpositâ primâ litera ad nominis efformationem; licet enim alia Dæmonum nomina indicent eorum odium in homines, præcipuè tamen Asmodæus est vastator: 1. quia peccati genus cui præsidet maximè universo hominum generi est infestũ: patet enim libido per omnes provincias: omnium hominum ordines, ætates, status, sexus: præsentissima pestis sævit variis modis, & ita blandis, & suavibus, ut vix quisquam immunis sit: ac sicut duæ sunt hominis partes, corpus & anima, ita duo vitia maximè congenita, & ut Cassian. loquitur coll. 4. c. 7. invisceratа, superbia, & libido; sed hæc eò plus sævit, quò plures habet illecebrosas occasiones, quia ubique & ab omnibus caro circumfertur. 2. Quia iis ipsis quos blandissimè titillavit, posteà gravissima supplicia imponit, Apoc. 18. *Quantùm glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*: Exemplum in septem Saræ primis maritis, quos uti libidine inflamarat, ita crudelissimo posteà mortis genere pervastavit: unde in universum Dæmones dicuntur eorum reges, quos superarunt, ex Iobi 41. *Ipse est rex super universos filios superbiæ*: Quia in eos plenam accipiunt ad torquendum potestatem. Idem cogitandum de aliis Dæmonibus qui aliis vitiis præsunt, ut iræ, aut avaritiæ, aut superbiæ, aut acediæ: est enim exercitus Dæmonum per diversas quasi vitiorum catervas dispositus, quibus singulis singuli Dæmones præsunt mirabili dependentiâ, & subordinatione, summaque ad nocendum hominibus concordia, quam non malè designatam arbitror apud Iobum cap. 41. *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus; una uni conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas; una alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.* Regnum illud quod inter se Dæmones exercent, eos juvit ad aliud obtinendum quod tyrannide usurparunt: nam mutuâ consensione, certum sibi quoddam dominium acquisiêre, atque totius universi regnum: Ioan. 12. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Io. 14.

Venit princeps hujus mundi: Joan. 16. *princeps hujus mundi jam judicatus est*: Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes & potestatem* &c. Ephes. 2. *secundùm principem potestatis aëris hujus, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ*: Hoc Regnum explicat Cyrillus libr. 10. in Ioan. cap. 4. ratione idololatriæ, quâ hòmines per errorem, Dæmonem, ut Deum coluerunt, uti dicitur Psalm. 95. *Dij gentium, Dæmonia*: quem enim principatum obtinere non potuit in cœlo, eum in terrâ, licet fictum, ac simulatum, apud idololatras consecutus est: unde omnia falso cultu, & idololatriâ complevit. Verùm hoc nimis angustum est; Nam in universum mundi princeps dictus est Satan, ob peccatum, quo homines ira subjicit, ut 1. non se possint suis viribus à peccato liberare: 1. Ita eos suis tentationibus concutit, ac percellit, ut neminem, si sibi relinquatur, non vincat: Quia verò in hac tantum vita tentationes exercet, idcircò dicitur princeps hujus mundi, princeps aëris, & tenebrarum harum, seu hujus aëris tenebrosi, & caliginosi: Denique quoniam ut homines tentet, ac vexet ob peccata; aëris dicitur potens ob tempestates, fulgura & alia quæ commovet, in nocumentum hominum, & rerum quæ ad homines pertinent: quanquam Deus non ei omnia permittat; uti patet in Iobi historiâ: sic enim ei datur nocendi facultas, ut certæ tamen leges, & fines præscribantur: licet aliundè hominum pravitas & malitia, fines imperij ipsius protulerint. In animis quidem, quid non potest? Quæ tandem peccata non committuntur Oseæ 4. *Maledictum & mendacium, & homicidium & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit*: Vbi sanguis pro peccato pōitur ex phrasi Scripturæ: *Viri sanguinū*: Itē *libera me de sanguinibus*, Vnde Gre. h. 11, in Eze. sanguis sanguiné tangit quando peccatū peccato additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur: Qui errores? quæ hæreses? quæ opinionū portenta suos sequaces non habent? In quo hominum genere, in quibus officiis non regnat Dæmon? quantum potest in rebus & negotiis publicis, quantùm in privatis? Jam quid non agit in corporibus? in eo de quo loquitur nostrum Evangelium, usum linguæ impediverat: In eodem ex Matth. 12. oculos & visum ademerat. Tertullian. & Chrysolog. addunt etiam auditum, quòd uti dixi probant ex voce κωφὸς. Ita Matth. 6. refertur Dæmonem alterum etiam mutum effecisse, & Lucæ 13. mulier incurvata annis 18. dicitur à CHRISTO Domino, alligata mulier à Dæmone: Et passim in aliis, variis modis, infensissimus generis humani hostis suam exercet tyrannidem: Quid non in Energumenis perpetrat? quàm crudeliter desævit? Denique quàm multa quotidie præstat in fulminibus, imbribus, tempestatibus, & aliis rebus, quorum certa sunt in Scripturis, & historiis sacris exempla? ut enim dixit Apostol. 2. Corinth. 2. *Non ignoramus cogitationes ejus*. Quis explicet quas in Sagis tyrannides exerceat, ad quæ facinora, ad quàm fœda, dictuque horrida eas compellat? Quid etiam præstet in reprobis, & iis qui se se illi peccando permittunt? Quàm rectè Hebræi Dæmones appellant *Schedim*, prædones, & grassatores, quoniam pessimè homines excipiunt. Et Ioan. 8. CHRISTVS exprobrans Iudæis quòd essent ex patre Diabolo, addit de eo; *Ille homicida erat ab initio*, quia mortem in mundum invexit. Ac si ullus unquam tyrannus fuit, talis est certè Dæmon, qui omnia cædibus, ac sceleribus complet, eorumque quibus imperat ruinæ studet, quam cum suo etiam dispendio procurat? Quid dicam quibus gaudiis aula inferorum obstrepit in gravi alicujus casu, vel peccatoris

catoris morte, cùm certam habeat prædam? Quibus studiis certatim accurrunt, ut in tormentorum locum præcipitantem aliquem impellant, ut flamis adigant, ut torreant, sudóq; Principi gratificentur: Isaiæ 14. *Infernus subter te conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de solijs suis, omnes principes nationum: Vniversi respondebunt & dicent tibi, & tu vulneratus es, sicut & nos; nostri similis effectus es*: Ex his omnibus probatum manet existere aliquod inter Dæmones imperium & regnum: Jam loco conclusionis, sequentes facio reflexiones.

I. Reflexio est: Cùm sciamus Dæmones in nostram perniciem conspirasse, neque tantùm nobis negotium esse cum uno Dæmone, sed cum innumeris, unde tanta in nobis securitas? Atque in primis, cur soli pugnamus, & non potiùs undique auxilium conquirimus? Ad hæc cùm ipsi arte pugnent, cur non etiam artem arti opponimus? neque enim *ignoramus cogitationes ejus* μεθοδείας. Sed quis nunc id curat? quis scire laborat? An unquam didicisti, quomodo resistere debeas voluptati, ac libidini? Quomodo avaritiæ, aut iracundiæ, aut superbiæ & aliis vitiis? Qui te Dæmones obsident? an unus, an plures? an innumeri? Si vix uni vales resistere, quomodo pluribus? quomodo innumeris? Num tibi adest aliquis Asmodæus, qui libidinis faces tibi accendit, diu noctuque, solum aggreditur, & inter homines viventem, in oratione, in templo, in otio, in negotio, ubique? Alioqui enim unde tot habes importunas cogitationes, & tot impura phantasmata? Vnde toties cadis, & impingis? Vnde tanta fœditas, ut nulla sit in te pars vel animi vel corporis, quæ sit innoxia: Quid hactenus fecisti ut resisteres, ut vinceres, ut abigeres? Quin potiùs illum adjuvas, illi faves, ac ministras. Cur te ultrò periculis objicis? Cur immisces in occasiones? An non satis ille te incendit? Cur tu vino, & luxu tibi faces adhibes? Nunquid non satis te fœdis motibus adoritur? Cur eum contra te adjuvas, undique turpes imagines, atque species colligendo, pejor tibidæmon ipso dæmonum iniquissimo? Sed hæc parùm essent ut perires, quandoquidem tui es adeò infensus hostis, & te ipsum odisti? Quid in aliorum ruinam cum ipso dæmone conspiras, quasi non sufficeret numerosissimus dæmonum exercitus in hominum perniciem coactus? Cur per te, ô hominum nequissime, id efficis in dæmonis lucrum, quod ipse hactenus perficere non potueras? Ille tot menses, immò tot annos hujus puellæ castitatem aggressus nihil promoverat; tu id blauditiis tuis perfecisti, quod suis ille tentationibus non potuit?

Nam uti videmus, quod dæmones facere prohibentur ut noceant hominibus, per alios homines id consequi per magos, & sagas quoniam Deus libertatem illorum non ligat; Ita plerumque quod iidem dæmones tentationibus perficere non possunt, id per homines pessimos, è quorum es numero ô miser, consequuntur. Et hinc intelligimus nobis certandum esse & cum dæmonibus, & cum hominibus, secundum illud Christi monitum, *cavete ab hominibus*: quod spectat præcipuè fœminas, & adolescentes: fœminas quidem, quia facile seducuntur, illius exemplo de quâ dicitur à S. Paulo, *Adam non est seductus, mulier autem seducta*, &c. Adolescentes autem propter facilitatem ætatis: dum enim dicitur, eamus, & faciamus, vix est qui se trahi non sinat. Osee 7. *& factus est Ephraim, quasi columba seducta, non habens cor*. Certè si ut Dæmones inter se concordant ad hominum ruinam, ita ipsi homines inter se convenirent ad sui conservationem, & defensionem

onem, invincibiles forent, 1. Petri 3. *Et quis est, qui vobis noceat si boni æmulatores fueritis*: Sed nimirum undique circumstant scandala, secundùm illud *Væ mundo à scandalis*, ita ut salutis difficultas summa sit: Et unicuique illud jam dicitur. *Qui potest capere, capiat*: nam licèt inumeris modis nos Christus ad salutem provocet, hortationibus, minis, promissis, præmiis, pœnis, exemplis omnis generis, gratiis, miraculis, aliorum minis, & casibus, & rebus omnibus; aliunde tamen nihil non moliuntur Dæmones, ut homines avertant à bono, & confœderatis castris singulos incautos, ac niminùm securos adoriuntur, nostris passionibus utuntur, carni se adjungunt, & rebus sensibilibus utuntur, & ipsis hominibus contra ipsos homines. Et ubique tendiculas ponunt & insidias, quas cùm vidisset magnus Antonius ingemuit; dicens quis salvari potetit? cui responsum est id solùm hùmilem posse. Et certè quis ille est? ne tibi hac cogitatione blandiaris multos salvari, & re in multis esse posse: cùm omnes Scripturæ clament paucos salvari: Neque id mirum esse debet cum tot habeamus hostes, & tanta nostræ salutis impedimenta, & pauci admodum sint qui pugnare aut sciant, aut velint: Verum illud indubitatum est, Regnum Cœlorum vim pati, & violentos tantum illud rapere.

2. Reflexio. Vnde fit ut dæmonum imperium in homines adeò sit amplificatum? Nam ut præteream tot nationes barbaras & infideles, quæ Christianos innumeris partibus superant; ut dicere prætermittam, eorũ qui Christũ agnoscũt, & baptizati sunt, longè majorem partem, aut hæresibus, aut schismate esse vastatam, & in dies magis ac magis deperdi: si in solos Catholicos oculos conjiciamus, quota pars Christo inservit, & quàm magna dæmoni? An 1. quia plures habemus adversarios, qàm defensores? Sed si de solis Angelis loquar longè plures à nobis sunt, quàm contrà, secundum illud Elisæi 4. Reg. cap. 6. *Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* An 2. propter eorum fortitudinem? Sed nihil possunt nocere, nisi volentibus; Et ex quo Fortior supervênit, dictum est hominibus Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Parum erat dicere nos habere potestatem resistendi, parum certandi, parum etiam vincendi, nisi etiam adderet calcandi, ut scires jam hostem esse victum, & prostratum. An. 3. quia deserti sumus? ab auxilio? Sed Deus bone! quibus præsidiis vallati sumus? iis sanè quibus tot pueri, & puellæ, tot ignari, & barbari, tot senes imbelles, tot pauperes ac debiles, omnes Inferorum exercitus fregerunt. Tu non poteris, quod isti, & illæ? Verum illud provenit 1. ex hominum ignavia, qui certate detrectant etiam cum hoste ligato: malunt subjacere quàm pugnare: omnia dæmonum imperia etiam fœdissima subeunt: nec resistere volunt, vel leviter: in aliis rebus generosi, & fortes, & in re omnium maxima abjectissimi, & fracti: 2. ex nimia securitate: cum scire deberent se cum hoste omnium astutissimo, & fortissimo, & infensissimo rem habere, qui, ut ait quidam suæ nequitiæ ocium nunquam facit. Quid enim toties nos Christus & Apostoli admonent, ut vigilemus ne scilicet nos incautos occupet inimicus: 3. Quòd non satis æstimetur aut præmium aut jactùra victoriæ, cum agatur aut de beatitudine, aut de damnatione æterna: longè dissimili exitu certaminum quæ inter homines existunt, qui victoriis suis rem exiguam & perituram consequuntur? 4. Quòd Dæmones socios habeant certamen hostes domesticos, & familiares; carnem, & mundum Quis enim con-

contrà carnem pugnat? quis contra mundum arma suscipit? unde non mirum si Dæmonum imperium tantos progressus fecit. Sed Christus aliunde clamat Ioan. 14. *Confidite ego vici mũdũ*: Apoc. 3. *Qui vicerit dabo ei sedere mecũ in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo, in throno ejus: Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Amen.

DOMINICA TERTIA
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO SECUNDA

De Energumenis, seu de corporum invasione quæ fit à Dæmonibus.

Erat Iesus ejiciens Dæmonium. Lucæ II.

QVÆ heri à nobis dicta sunt de Dæmonibus maximâ ex parte didicimus ex Scripturis, & ex Sanctis Patribus qui ea ex ipsis Scripturis eruerunt; nam creaturæ spiritales ut sensibus nostris sunt occultæ, ita nostris intellectibus maximâ ex parte sunt occultatæ. Quæ hodie à nobis tractanda oculis ferè usurpantur, nempe de Energumenis seu de possessione aliquorum à Dæmonibus occupatâ, ad quẽ discursum nos ducit illud Evangelium quod tractamus, ubi agitur de Dæmonio muto. Verùm licet ejusmodi possessio sensibilis esse videatur, habet tamen plurima scitu valdè digna; in quorum investigatione ne erremus, quia plurima occulta sunt, utpote quæ à Principe tenebrarum fiunt, divino lumine indigemus: quod facile obtinemus, si ad thronum gratiæ accedamus quæ est B. Virgo. AVE MARIA.

IN præcedenti Concione ostendimus 1. esse inter Dæmones formam quandam imperii secundùm illud Evangelij: *Si autem & Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ipsius.* 2. originem ejusmodi imperii, nempe peccatum dæmonum per unius suggestionẽ, & aliorum adhæsionem, *à quo enim quis superatur, ejus & servus est*, & propositum Dæmonum nocendi hominibus: Primum origo est subjectionis omnium sub uno. Alterum divisionis eorum in varios ordines ut faciliùs, &

commodiùs homines tentarent. 3. extensionem illius regni, quod scilicet Dæmones acquisierunt in homines, per usurpationem, unde dicitur Dæmon Princeps hujus mundi: illud autem regnum exercent per tyrannidē, quâ fit ut inter homines omnia usurpent. Sed illius tyrannidis, & usurpatæ dominationis exercituū nullibi magis patet, quàm in Energumenis, & in corporum possessionibus, quarum insigne habemus exemplum in nostro Evangelio, ubi mentio fit hominis possessi à Dæmone, quem & cœcum, & mutum, & surdum fecerat: de qua re nobis hodie agendum est, sed per partes, ut omnia enucleatius explicentur.

Dico itaque 1. verè dari Energumenos & possessos à Dæmone, qui in eorum corpora ingreditur, quæ movet, & quibus ad libitum utitur. Est de fide: & probatur ex varijs locis Scripturæ. Marci 1. fit mentio cujusdam hominis *in spiritu immundo* quem Christus offēdit in Synagoga, qui cum Christo diceret, *Quid nobis & tibi Jesu Nazarene: venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei.* Eum jussit tacere, & exire: *Et comminatus est ei Jesus, dicens, obmutesce & exi de homine*: Vide autem exitum, & *discerpens eum spiritus immundus & exclamans voce magnâ, exijt ab eo*: igitur oportuit ut esset in eo. Ibidem dicitur quod cùm ad eum adducti essent sub vesperam, multi malè habentes & dæmonia habentes: *Curavit multos qui vexabātur varijs languoribus, & dæmonia multa eiiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.* Vbi vides fieri mentionem dæmoniorum: illa autem fuisse substantias, & personas, cum quibus loqueretur, & quæ essent intelligentes quæ priùs habitabāt in corporibus non suis, à quibus eas ejiciebat: quæ substantiæ aliæ fingi non possunt præter Dæmones, & creaturas spiritales, & intellectuales: nam si corporeæ fuissent, non potuissent contineri corporibus: si non essent intellectuales nō possent ratiocinari, nec respondere, nec rogare, uti factum videmus in Evangelio Matth. 8. cùm petierunt ut eos mitteret in porcos, quod & permisit, Ita etiam increpavit dæmonem cùm sanavit lunaticum Matthe. 17. Itaque vocantur spiritus, uti Matth. 8. *Et ejiciebat spiritus verbo*: & ipse Christus, *Spiritus mute, & surde ego præcipio tibi exi ab eo, & amplius ne introeas ad eum* Marci 9. Ex quibus omnibus patet, & ex varijs locis, multos fuisse Christi tempore possessos à dæmone quos ipse sanavit, & per se, & per Apostolos quibus hanc dedit potestatem uti dicitur Marci 3. *Dedit eis potestatem curandi infirmitates & ejiciendi dæmonia.*

Quis dubitet etiā apud Ethnicos vates illas fatidicas à dæmone fuisse possessas cùm dicerentur pati divina, cū in eis dæmon loqueretur? Tales erāt illæ Phœbi Sacerdotes quæ loquebantur ex Tripode: Tales illæ vētriloquæ, quæ omnia patiebātur quæ solemus videre in Energumenis: subitò non vultus, non color unus. Non comptæ manserē comæ, sed pectus anhelum, & rabie fera corda tument, &c. & alia innumera quæ leguntur in Poëtis prophanis. Idem legere est in Patribus ubi fiunt mētiones innumeræ possessorum à dæmone. Apud Tertull. Justinum, Cyprianum, Augustinum, Hieronymum, & alios passim: ut hoc negari non possit sine hæresi, sine errore, & magna imprudentia, cùm ex omnium sæculorum historijs varia ejusmodi nobis suppetant exempla. Fateor quidem aliquas extitisse impostūras, sed illæ non possunt, Catholicæ veritati fidem derogare: constat igitur verè dari Energumenos quorum corpora possidentur à Dæmone incola.

Dico 2. Ejusmodi possessionis dari posse multiplicē originem. 1. & præcipua est ingens odium Dæmonis & invidia in hominem: cùm enim ut ait Gregor. eò sit elatus homo unde ipse decidit, etiam si homo peccarit ut ipse, cū videat

videat sibi nullum datum esse locum pœnitentiæ, datum esse homini; cui etiam peccasse, fuit occasio majoris boni; incredibili invidiâ & odio in hominem fertur: ac licet odium suum possit explere in damnatis, cùm tamen multos ex damnatione eripi videat, in hac vita, tantùm in homines sævit, quantùm potest. Itaque ijsdem ferè modis, quibus in homines damnatos sævit aliquando in Inferis, nunc sævit in vivis, affligendo & animas, & corpora, quæ mirabiliter cruciat, usurpatâ in hominem quantum potest summâ potestate: unde maxima ex parte libertatem & usum sensuum, facultatum, quibus ipse utitur ad miseri hominis tormentum. Accedit etiam summũ ipsius odium in Deum, cui cum nocere non possit, omnem suam rabiem in ipsius imaginem transfert: non aliter quàm Panthera, ait Basilius, quæ cùm in hominem, naturale habeat odium, cùm in ipsum sævire non potest, in ejus effigiem vel papyro expressam, omnem rabiem effundit: quo artificio venatores, cùm ejus catulos rapuerunt, eam in viâ retardant, objectâ hominis imagine, dùm sæviente in hominis figuram matre, ipsi aufugiunt.

2. Originem habet ex dominio quod in hominem acquisivit ratione peccati: Cùm enim homo ratione justitiæ originalis, sui esset juris, nullique præter Deum subjectus esset, sanè Dæmon nullam habebat dominationem in mundum: non in res externas, & corporeas, quia omnes propter hominem erant creatæ: non in cœlum, unde ejectus erat; non in ipsum hominem, quia homo, filius erat ipsius Dei, & mundi Dominus. Itaque nihil poterat neque in ejus bona, neque in ejus corpus, & sic ei nullo modo nocere poterat, multò minus ejus actiones impedire, aut invertere. Nihil etiam poterat in ejus animum, & ita eum non poterat aggredi, nisi exteriùs, & tentare per externam apparitionem, & locutionem in assumpto corpore. Proinde neque poterat aut sensus ejus pervertere illudendo, aut imaginationem perturbare, vel commovendo species, vel attollendo vapores ex humoribus; nec appetitum excitare, turbando temperationem naturæ, & ejus spiritus incendendo. Vno verbo nullam habuit potestatem in hominem, aut agendi dominium: & ideò fraude, & astutiâ eum aggressus est, idq; externè: Immò neq; passus est Deus ut id faceret, nisi per deterrimum animal, hoc est serpentem, quo usus est, ut ad hominem accederet. Sed ubi homo peccavit, cùm, ut ait S. Petrus, *à quo quis superatus est, ejus servus sit*, hominem à suo dominio disturbavit: Et primò res ejus invasit, & factus est rerum externarum potens, & hujus mundi visibilis princeps: Et hinc cœpit omnia invertere, potes aëris, & omnium elementorum: quin etiam uti rebus omnibus contra eum: nisi quod Deus non ei omnia ad usum dominii permisit, sed uti dicitur apud Jobum, *qui fecit eum, applicat gladium ejus*. Neque illâ re contentus, non tantùm res hominis, sed ipsum etiam hominem invasit, & sic tentationes instruxit, ut non solùm animũ externè, & variis inductionibus sit aggressus, sed etiam magnâ authoritate, partem inferiorem, in quam potuit ingredi, modis omnibus commoverit; lædendo phantasiam, species componendo, appetitum commovendo, spiritus incitando, sensibus externis illudendo, ut multos homines ad incredibilia facinora, & scelera detestanda impulerit. Neq; hâc tyrannide contentus, cũ ei permissum fuit, in multorum corpora sic invasit, ut præsente etiam animâ, & corpus informante, plurimas facultates à suis functionibus, & operationibus impediverit, sustinendo earũ loco viâ suam, & activitatẽ, immò & prodigioso exemplo usus sit eorum quos possedit membris, quasi sua essent; ita ut incederet, eorum pedibus, operaretur eorũ manibus, linguâ loqueretur, etiam

supra potestatem ordinariam, earum facultatum, quas, & agitat, idque tanto imperio ac si ad eum pertinerent, dùm interim verus Dominus suarum facultatum usu privatur: Quâ ratione Dæmon sese totius hominis dominatorem sic ostendit, ut non solùm amittat homo liberam inferiorum, potentiarum dispositionem & usum, sed plerumque ipsam libertatem in seipsâ, & in suo principio sic implicatam & irretitam sentiat, ut ipse captivus qui hæc patitur, vix discernere possit an aliquid liberè fecerit, aut voluerit; an vero coactè, & ab alieno principio: in quo est prodigiosus possessionis effectus.

3. Originem habet ex perpetuâ Dæmonis inquietudine: Nam ut ait Tertul. lib. de Pœnit. c. 7. Pervicacissimus hostis ille, nunquam malitiæ suæ otium facit. Cùm enim miræ sit activitatis, semper aliquid moliri conatur, non in cœlis, unde exclusus est; non in inferis ubi perpetuò torquetur, unde Christum deprecabantur Dæmones ne ipsos in abyssum mitteret Lucæ 8. *Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent*, & malueruntingredi in gregem porcorum, ut ita saltem hominibus nocerent; neque in desertis & solitariis locis ubi non habent quò sibi satisfaciant, cùm nihil agere possint: sed inter homines inter quos agere possunt, aut tentando, aut nocendo. Et ita dicitur in Evangelio quod habemus præmanibus, Dæmonem expulsum ab homine, & dimissum in loca arida, & inaquosa, cùm non inveniret requiem, dixisse *vadam & revertar in domum meam*: hæc requies dæmonis significat satisfactionem quàm habet nocendo, cùm autem nulla sit expressior ratio, quàm possessio hominis quem invadit, propterea id maximè appetit, & cum id ei permittitur, facit: quod patet ex difficultate quàm ostendit egrediendi quando expellitur; itaque expulsionem vocat tormentum Matth. 8. *Venisti enim antè tempus torquere nos*: & Lucæ 8. *obsecro te, ne me torqueas*: præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine: Cùm itaque nullibi Dæmon habitet libentiùs quàm in homine, propterea cum ei licèt, in illa ingreditur corpora, quæ illi permittuntur; seu quia immediatiùs nocere potest, cùm res omnes aliæ extra homines sint: seu quia nullibi pretiosiùs habitat, seu quia agere multa potest convenientiùs suæ naturæ, loquendo, respondendo, docendo, conversando, quæ actiones pertinent ad rationem: seu quia, cùm Deus, soli homini, in terris possit se communicare; Dæmon ut illam Dei communicationem, aut impediat, aut præveniat, aut imitetur, quantùm potest, sese in hominem totum insinuat, eò usque ut ex homine & dæmone, una quasi natura, aut persona, coalescere videatur: quod Angeli beati non faciunt; tùm ne perturbent ordinem naturæ, qui poscit ut creatura, aliqua integra & perfecta, alteri naturæ perfectæ non conjungatur; tùm ne videantur sibi assumere, quòd soli Deo proprium est, & quòd sibi Deus reservavit.

Dico 3. Quemadmodùm hujus possessionis multiplex est origo, ita etiam variæ causæ distingui possunt, aliæ sunt morales, aliæ physicæ: Moralis est 1. quodlibet peccatum vel grave, vel leve: Primi habemus exemplum in illo incestuoso de quo Apostolus 1. Cor. 5. qui Satanæ traditus est propter incestum: de quâdam muliere Romanâ ait Tertul. libr. de spectaculis cap. 26. Theatrum adiit, inde cum Dæmonio rediit: Itaque interrogatum Dæmonem cur ausus esset initiatam occupare, respondisse; Iustissimè feci, in meo eam inveni: De 2. fusè disputat Cassianus collat. 7. cap 25. & sequentibus, Corporaliter traditos Satanæ & viros sanctos novimus pro levissimis delictis: ne scilicet Deus in judicio inveniret aliquid quod puniret, itaque omnem cordis eorum scoriam exco-

excoquere voluit in præsenti : 2. defectus Baptismi, uti legimus in varijs historijs, unde inter cæteras Baptismi ceremonias usurpantur exorcismi: 3. Ipsa naturæ nostræ conditio, quæ cùm fuerit Dæmoni subjecta, non continuò in integrum liberatur. Hinc querela Augustini lib. 21. de civit. cap. 14. quod pueri etiam baptizati aliquando invaderentur à Dæmone: quod factum S. Hieron. in Epitaphio Blesillæ ad Paulam refert ad inscrutabilia Dei judicia. Itaque S. Aug. lib. 19. de civit. cap. 4. in universum pronuntiat. Quid dicam de his qui Dæmonum patiuntur incursus? quis confidit hoc malũ evenire non posse sapienti in hac vita?

Quod pertinet ad causam Physicam maximè ordinaria est Deus qui Dæmone utitur tanquam justitiæ suæ ministro: Ita Viri Sancti ejus etiam ministerio usi sunt: Ita D. Paulus 1. Cor. 5. Incestuosum *tradidit Satanæ in interitum carnis*, id est, afflictionem & 1. ad Timot. 1. Alexandrum & Hymenæum dicit se tradidisse Satanæ, & similia sunt exempla quamplurima in Historiis sacris.

Aliquando etiam à Magis & Sagis immittuntur Dæmones in corpora, ejus rei exemplum legimus in vitâ S. Hilarionis ubi narratur Dæmonem immissum in corpus puellæ ab aliquo adolescente, qui ea frui volebat. Nam sicut Magi & boni hominum nocere possunt, ita etiam aliquando illis permittitur ut noceant corporibus, & quidem immisso Dæmonio. Sed ut plurimùm ipsi Dæmones ut sunt intenti ad hominum perniciem, ipsi sua sponte ingrediuntur in eorum corpora, permittente Deo. Ita in nostro Evangelio dicitur Dæmonem expulsum, cùm in locis desertis requiem non invenit, dicere, *revertar in domum meam unde exivi: Et tunc vadit, & assumit secum alios septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi.*

Sed major habenda ratio est causæ moralis, quòd Christus subindicavit cùm dicit, ejusmodi Dæmonem reducem invenisse domum suam vacuam, & scopis mundatam, hoc est aptam ut in eâ habitaretur: hæc autem dispositio non alia est, quàm peccatum, & vacuitas ab omni virtute, ociositas, & negligentia hominis liberati à Dæmone.

Dico 4. Ejusmodi possessionem hominis à Dæmone consistere in residentiâ & invasione corporis humani quæ fit à Dæmone, & per modum principii, & per modum dominantis: unde sequitur quoddam jus alterandi corpus; & agendi in illo & per illud; & efficiendi aliquid, prout Dæmon majorẽ, aut minorẽ potestatẽ accipit à Deo. Hinc videmus varias existere possessiones: quæ etiam diversitas oritur ex multitudine, vel paucitate habitatorum, vel ex eorum qualitate. Nam uti dicunt S. P. & Abbas Serenus apud Cassianum non ejusdem malitiæ sunt Dæmones; sed alii aliis sunt sæviores, & alii aliorum respectu videntur esse mitiores. Porrò illa possessio & valde mirabilis est, & valde horrenda, & perniciosa, & homini valde contraria.

Dixi 1. valdè mirabilem, quòd nimirùm duo spiritus habitent in eodem corpore; scilicet spiritus proprius qui est hominis, qui habet proportionem cum corpore cujus est vita unde omnia fiunt in illo supposito secundum naturam, itaque sine violentiâ, nam ut ajebat Ennodius animus corporis Imperator; & sic motus omnes sunt naturales, & ex præsentia animæ corpus vivit, vegetatur, conservatur, è contrariò verò ex ejus absentiâ corpus & interit, & perit, sunt enim partes primæ & essentiales ejusdem totius: Et insuper alter spiritus qui cùm sit alienus, nullam habet cum corpore convenientiam, unde illo corpus nec vivere potest, nec agere convenienter, immò potius patitur quàm agat, quia nullum corporis membrum instrumentum est spiritus extranei: & propterea corpus

non agit cùm illo, sed ab illo patitur, & ita vel alteratur, vel movetur modo extraordinario, vel impeditur ab actione conveniente, vel malè habetur: Verùm quia ille spiritus ingreditur ut prædominans hinc fit ut superet influxum proprij spiritus, unde totus homo patitur; animus quidem cum impeditur ab ordinario influxu, corpus autem cùm eius ministerium impeditur. Illa itaque præsentia spiritus extranei cum potestate agendi & immutandi, & iure illo utendi corpore hominis est verâ possessio: & impressio autem, & motus, vel actualis alteratio, vel impedimentum illarum alicui potentiæ est usus, & actus quidam huius possessionis, quam diximus esse mirabilem, quia est contra ordinem naturæ: Neque tamen hinc sequitur ulla unio, quia entium completorum, & entium disproportionatorum nulla esse potest unio, sed est violenta invasio, & possessio non legitima vel naturalis, sed illegitima, violenta, & tyrannica: sicut illegitimi Domini in alienam hæreditatem invasio, non est possessio vera, sed usurpatio.

Dixi 2. hanc possessionem esse valde horrendam & pernicioſam, quia est ab infesto spiritu, & vastatore, qui non ingreditur ut conservet, actueatur, sed potiùs ut noceat, destruat, atque perimat. Hinc fit ut non sequantur motus naturales; sed potiùs extraordinarij & violenti: unde illæ membrorum contorsiones, vultus deformationes, species horrendæ, omnia monstrosa, & alia sexcenta quæ qualitatem spiritus satis ostendunt, sunt enim vestigia crudelitatis, deformitatis, & deordinationum ipsius: Sed licet horrenda sint, nihil tamen horribilius ipso spiritu fingi potest.

Dixi 3. esse homini valdè contrariam: non solùm quia molestus ille incola pervertit omnem naturæ ordinem, sed præsertim quia directè apponitur primæ illi dominationi quam homo acceperat in statu innocentiæ, ut perfectissimè suis membris imperaret ut Dominus supremâ potestate, & civili in partem animæ inferiorem; ita ut nullâ re internâ, vel externâ impediri posset. Quam dominationem omninò pervertit Dæmon per possessionem, utendo, invito homine, membris illius, quæ vel impedit, vel quæ movet non ad libitum animæ, sed ad voluntatem extranei possessoris; & invadendo cum summâ potestate inferiorem partem animæ; invadendo imaginationem; commovendo, & componendo species; & suscitando in appetitu omnes passiones, immissis spiritibus; concitando humores, & homini sic imperando, & in illo utendo, ut omnem suam libertatem amisisse videatur:

Ex his omnibus duo constant. 1. Omnem possessionem consistere in habitatione Dæmonii in corpore, cum jure utendi aut membris aut facultatibus hominis, aut aliquid in homine efficiendi quidquid tandem illud sit, seu alteratio, seu morbus, seu potentiarum ligatio, seu aliquid quodlibet, quod ab animâ naturaliter non oriatur, sed ab extrinsecùs adveniente spiritu, qui contra naturam aliquid operetur, aut efficiat, aut impediat.

Constat 2. Hinc originem habere diversas quas videmus possessiones: nam 1. quædam sunt perpetuæ, & continuæ, aliæ verò sunt interpolatæ. Nempè Dæmon non egreditur è corpore, & efficit continuum aliquid, uti in muliere incurvâ, de quâ Lucas cap. 13. *quæ habuerat annis* 18. *spiritum infirmitatis, & erat inclinata nec omninò poterat sursum respicere*: aliquando variis vicibus hominem invadit, uti accidebat Saüli, de quo 1. Reg. cap. 16. *Spiritus autem Domini recessit à Saül, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* Quod autem hoc fieret externè hinc patet quod subjicitur: *Dixeruntque servi Saül*

ad

ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te: & cap. 18. *Et post diem alteram invasit spiritus Dei malus Saül*: quod non faciebat continuò, sed diversis vicibus, nam & poterat & bella gerere, & regnum administrare: Simile habemus exemplum in Lunatico, de quo Matth. 17. dicitur quòd singulis Lunis vexaretur à Dæmone; unde cum illum Dæmonem Christus expulit Marci 9. sic ait *Exi ab eo, ne amplius introeas in eum*: nam identidem exibat, sed redibat: 2. Quædam possessiones sunt mitiores, aliæ sunt furiosæ, & cum magnâ possessi vexatione: Mitiorem puto possessionem Magdalenæ, de quâ dicitur Marc. 16. septem dæmonia ejecta fuisse: nam si fuit illa mulier in civitate peccatrix, probabile est non fuisse illam furiosam possessionem. Sic mulier incurva, hunc tantùm habuit suæ possessionis effectum. Sed aliæ multæ possessiones sunt truculentæ, & furiosæ: talis illa fuit ejus puellæ, de quâ mater Chananæa querebatur Matth. 15. *Filia mea malè à Dæmonio vexatur*. Talis ille Lunaticus de quo Marci 9. *Ubicunque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit*: & infrà, *frequenter eum in ignem, & in aquas misit, ut eum perderet*: Tales duo illi Dæmoniaci qui habitabant in monumentis, Matth. 8. *Sævi nimis, ita ut nemo transire posset per viam illam*: & alij similes de quibus & Evangelistæ, & alij Historici passim prophani & sacri. 3. In nonnullis totus effectus possessionis fuit vel infirmitas, ut in illâ muliere incurvâ, quæ dicitur habuisse spiritum infirmitatis, vel privatio alicujus aut plurium sensuum, aut usus membrorum. Ita dicitur quoddam Dæmonium mutum & surdum, quale illud est de quo Evangelium nostrum: illud etiam cœcum fuit ex alio Evangelistâ: Sic Christus cùm illum Lunaticum sanavit, dixit, *Surde, & mute spiritus*. Illæ autem appellationes petuntur ab effectu, quem Dæmon efficit in homine possesso, unde cum ejectus est Dæmon, homo sanatur, uti dicitur Matth. 9. *& ejecto Dæmonio locutus est mutus*. Ex quo apparet multos decipi in morbis dignoscendis, quorum sæpe Dæmones causæ, sunt, & ideo nullis Pharmacis sanantur; quales sunt morbi immissi à Magis & Sagis, quorum causæ immediatæ sunt Dæmones. Ita cùm videmus portentosa crimina committi, quis dubitet ab illis committi, quos Dæmones possident. Sic Dæmon sæpe utitur aliquorum linguâ ad proferendas horrendas blasphemias, ad nefandas libidines, ad incendendos juvenes aut puellas, ad persuadendas hæreses. Ita passim Hæresiarchæ, & novorum dogmatum magistri à Dæmonibus possidentur: quare Apostolus monet ejusmodi homines devitandos propter Dæmonis contagionem. Cum enim in illis hominibus neque sit scientia, aut eloquentia, neque proponant rationabilia; quæ alia fingi possit causa quàm Diabolica, per quam homines dementant? Illustre habemus exemplum in Simone Mago, de quo dicitur Actorum 8. quòd totam Samariam seduxisset, omnibus persuadendo *se esse aliquem magnum, cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes, Hic est Virtus Dei, quæ vocatur magna*: *Attendebant autem eum propter quòd multo tempore magiis suis dementasset eos* Et hinc videmus quomodò fiat, ut multa dogmata perablurda à tam multis recipiantur sic Apostolus describit progressus Antichristi 2. ad Thessal. 2 *cuius est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt*. &c.

Idcò

Ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio: operationem dixit erroris, ἐνέργειαν viam operandi Dæmonis inducentem ad errorem, quâ scilicet errores persuadeantur.

Dico 5. Ex dictis facile colligi posse quantum malum sit ejusmodi possessio hominum à Dæmone, & corporum invasio: sed ut enucleatiùs innotescat, ex sequentibus intelligi magis potest.

1. Quidem, ex tam intimâ conjunctione cum Dæmone. Nam quàntum horroris ingenerat piis mentibus ista conjunctio? Sicut enim dixit Nazian. loquens de Basilio, jam non esse nomen hominis, sed virtutis; ita nomen Dæmonis significat omnem horrorem, maledictionem, iniquitatem, abominationem. Jam quanta est illa cum Dæmone conjunctio, ut fiat in homine principium maximæ partis operationum ipsius? Sicut itaque ex conjunctione humanæ naturæ cum Deo, in summam attollitur dignitatem; ita ex conjunctione cum Dæmone in summam demergitur vilitatem. Porrò ex illâ conjunctione oritur quædam communicatio status Dæmonis, cujus immortalitas & vita, est quædam mors perpetua, qui tantùm in esse perseveret ut patiatur. Ita miser Energumenus, omni ferè suâ agendi vi privatur, quia illâ Dæmon abutitur, & hoc tantum habet ut pati possit, medium habens statum vitæ & mortis; nam defectus potestatis agendi ferè reponit eum in numero mortuorum: Quòd autem vivat, hinc patet, quia patitur, & utrumque ei accidit ab incolâ Dæmone.

2. Patet, quantum sit malum possessio Dæmoniaca ex proposito Dæmonis in possessione, quòd longè diversum est ab eo quod intendit in aliis circa hominem operationibus, ut cum illis quos tentat, aut quibus utitur, quales sunt Magi, & Sagæ. Nam cum primis agit aut fraudibus, aut blanditiis, aut promissionibus: cum aliis illusionibus, signis, prodigiis, illustrationibus, rebus mirabilibus, aut terrore, & minis, & similibus modis: sed cum iis quos possidet apertâ vi se gerit, ut inimicum. Itaque hominem vexat, & torquet quantum potest, eodemque modo quo solet damnatum in inferis, quem jam non tractat vel fraudibus, vel illusionibus, vel promissis, vel prodigiis, sed apertâ vi, & suppliciis: Sic est eodem modo tractat Energumenum, quo damnatum, sæviendo in utrumque: & ambos quantùm potest facit suæ miseriæ participes, secundum limites illi à Deo præscriptos. Vt enim in quemlibet damnatum non eadem exercet supplicia, sed majora vel minora, secundum uniuscujusque demeritum, & Iudicis sententiam & condemnationem; ita in Energumenos inæqualiter desævit secundum causas diversas possessionum & licentiam à Deo ipsi datam, quæ causa est diversitatis possessionum quas videmus: sed nullum est tam magnum nocumentum quod Dæmonis rabiem superet; nullum adeò exiguum, cujus inferendi facultatem non libenter arripiat.

3. Patet ex iis quæ in homine Energumeno operatur: Nam cum à suo fine, qui est uniuscujusque rei centrum exciderit, non habeat ubi quiescat: itaque cum quietem habere non possit in bono, à quo ita excidit ut neque illius spem, neque desiderium habere possit, ne dum possessionem; eam quærit in malo, non quòd patiatur, quia omne malum patienti est contrarium, & ideò non potest esse quietis vel locus, vel objectum; sed in eo quod efficit, secundum illud Evangelij. *Quærens requiem, & non inveniens dicit, Revertar in domum meam unde exivi*: In eo autem est ejus requies, quoniam conforme est statui ipsius, qui est obstinatio in malo. (Tertull. in Apolog. cap. 22. Operatio eorum est hominis versio; sic malitia spiritalis à primordio

dio auſpicata eſt in hominis exitium: itaque corporibus quidem, & valitudines infligunt, & aliquos caſus acerbos; animæ verò repentinos & extraordinarios per vim exceſſus, &c.) Idcircò efficit, ſi poteſt malum culpæ in anima, ſed quod ſemper poteſt, malum pœnæ, ſi permittatur à Deo: Cùm autem quærat maximum inferre, ſi non prohibetur, utitur poſſeſſione, & hominis invaſione, quia illa vexatio eſt omnium maxima. 1. Quia maximè univerſalis, quoniam cæteras comprehendit: 2. Quia maximè extenſa, nam extenditur in animam, & corpus: 3. maximè diuturna, nam niſi provideatur durat ad mortem uſque, & creſcit duratione: 4. Quia maximè occulta, ejus enim cauſa latet, & eſt inviſibilis, & non agnoſcitur niſi per effectus, unde ferè præcaveri non poteſt: 5. Eſt periculoſiſſima, quia tendit ad extremam ruinam corporis & animæ, eò enim pertinet iſta poſſeſſio, & in id finitur, niſi providetur, & remedium afferatur: cùm in hoc tentat Dæmon, ut corpus ab anima ſeparet, & animam à Deo. Propterea corpus peſſimè habet ut habemus in Lunatico: nec mitius animam tractat, quàm ex proximo quatit, & in ipſo homine reſidens: & id non extrinſecus, ſed internè: 1. Ejus ſenſus affligendo, quâ ratione vires animæ diminuit, quæ in hac vita operatur per ſenſus: 2. occupando organa, & facultates corporeas, ac præcipuè imaginationem, ad cujus immutationem patitur intellectus, propter ſpecierum intellectualium, & ſenſibilum connexionem: ſed omnium maximè, appetitum inferiorem utrumque, iraſcibilem, & concupiſcibilem, excitando; & commovendo paſſiones, quæ per ſympathiam totam animam commovent, ita ut videtur etiam trahi voluntas vel invita & inhabilis reddatur ad alia omnia. Sic videmus quoſdam furere in amore & totos ardere: quod ſi, ut ille aiebat, uritq; videndo fœmina: & alibi, ut vidi, ut perij, ut me malus abſtulit error; quantò magis ubi hoſtis non exteriùs movet, ſed interiùs, movendo ſpecies, & ſpiritus inflammando? Quâ ratione difficulter anima reſiſtere poteſt Dæmoni in ipſam pugnanti, quia veterator ille ipſius animæ armis contra ipſam utitur, unde ipſa nihil habet quò ſe tueatur. Nam cùm ad ſui defenſionem utatur actibus internis, quorum concordia eſt cum potentiis, quas dæmon occupat, vix poteſt miſera ſuis bonis uti ut ſe defendat. Itaque ut ſummam dictorum faciam ſimul & ſemel obſeſſus patitur & grave tormentum in corpore, & vehementem inſultum in animâ: non diſſimili tractatione quâ damnati in inferis torquebuntur: ut ſcias eundem eſſe tortorem & damnati, & obſeſſi ſeu poſſeſſi.

Sed dùm hominem torquet, in eo tormento ipſe requiem ſuam invenit, 1. Quia cum ſummum locum amiſerit in cœlis, nobiliſſimum occupat in terris, ipſe ſuperborum Rex. 2. Quia cùm in Deum ſe torquentem totis viribus feratur, nec tamen nocere poſſit, in eius imaginem, omnem ſuam rabiem intorquet: & cùm videat ſe excluſum ab iis bonis propter quæ fuerat creatus, in Dei bona ut poteſt involat, quorum omnium optimum eſt homo. 3. Quia ſuo in hominem odio ſatisfacit, nocendo quantùm poteſt internè, & externè, occupando exteriora organa, & internas facultates, privando eum ſuis propriis actionibus, ſuaſque ſubſtituendo, & proprias impediendo, denique in ſuæ miſeriæ conſortium trahendo, ut iam homo nihil boni agere poſsit, & omne genus mali pati cogatur: 4. Quia cum non poſſit agere convenienter ſuæ naturæ, ſaltem agit convenienter ſuo ſtatui, qui omnem miſeriam complectitur, quam in alium, quantum aſſequi poteſt, refundit, ſimilem ſibi reddendo eum quem poſſidet.

Dico 6. Licet tantum malum sit ejusmodi, hominis à Dæmone possessio ; quia tamen non nisi Divinâ voluntate fit, non sine magno hominum emolumento permittitur. In hoc enim est Divina bonitas, ut nihil fieri permittat inter homines, unde non magnum bonum trahat. Ex multis hæc pauca subjicio.

Primum est, ipsius Energumeni bonum, quem hâc gravi castigatione salvare intendit : uti dixit Apost. de incestuoso 1. Corinth. cap. 5. *Iam judicavi, ut præsens, eum qui sic operatus est*, &c. *tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi* ; Nam grande beneficium est, redimere æternam possessionem, exigui temporis possessione : Quis enim cùm expertus fuerit dæmonis tyrannidem, non procuret ab eâ se liberari ? Alia enim pœna est, quæ purgat, alia verò quæ perdit : Aliter quippe Deus facit cùm castigat, ut Pater aliter cùm punit in furore, ut judex.

Secundum emolumentum est quod ad sensum, in quo solet esse sedes infidelitatis, docentur homines multa : 1. esse aliquos Spiritus, neque tantùm esse corporales ; contra Atheos quibus nec ipsa natura nec fides id persuaserunt, ut saltem id discant à dæmonibus quorum effectus sensibiliter vident. 2. Deum esse, ipsis fatentibus dæmonibus, & trementibus, & exhorrescentibus. 3. fidei nostræ veritatem, Eucharistiæ, omnium Sacramentorum, authoritatis Ecclesiæ, cui parent etiam inviti. Itaque S. Cyprianus ad Demetrianum : ô si audire eos velles, & videre quando à nobis adjurantur, torquentur spiritualibus flagris, verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur : ejulantes, & gementes, voce humanâ, & potestate divinâ, flagella, & verbera sentientes, venturum judicium confitentur : veni, & cognosce vera quæ dicimus ; vel ipsis, quos colis, crede ; vel tibi, si volueris : videbis nos ab eis rogari, quos rogas : timeri, quos times : sub manu nostrâ stare victos, & tremere captivos, quos suspicis, & veneraris ut divinos. 4. Miseriam, & tormenta dæmonum quæ patiuntur, ipsius fatentibus : undè peccato exciderint, & quô prolapsi sint, ut idem aliquando expectes, nisi te pœniteat, quod ipsis non est concessum. 5. Eorum malitiam, & odium in homines quos tam malè tractant, & quid in te essent molituri, si Deus permitteret ; & sic, quid te ab eis sperare oporteat. 6. Imaginem pœnarum Inferni, quas vel ipsis oculis cernere potes, ita ut possessionem vocare possis Infernum sensibilem. Ibi enim vides quomodo hominem tractet dæmon, quid in eo operetur, quantâ authoritate & dominio, & quantâ crudelitate, & quantâ sævitiâ : ut saltem aliquando timere discas.

Ex toto hoc discursu cùm innumeræ trahi possent conclusiones, paucas subjicio. 1. est cùm varias dixerimus esse possessiones, alias mitiores in speciem, quia minor est corporis vexatio, alias truculentiores, ubi apparet major sævitia, etiamsi hæc ultima minus sit frequens, timendum valde esse, ne alia sit frequentior quàm putetur. Nam quid videmus homines aliquos passim magna & nefanda scelera committere, nisi quia in eorum corpora, & mentes Dæmon invasit, etiam in sacrilego Sacramentorum usu ? Audi quid dicatur de Iudâ Lucæ 22. *Intravit autem Satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim, & abiit, & locutus est cũ Principibus Sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis* : Itaque cum etiam Christus aliquando vocavit Diabolum Ioan. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis, unus Diabolus est*, quia nimirum non potuit tantum scelus homo machinari, nisi à Dæmone possideretur. Ego etiam sic judico, cùm video aliquos tàm obscœnos habere oculos, linguas.

linguas tam turpes, aut calamos tam nefarios, non nisi ab aliquo Dæmone regi ac gubernari, ut discas ejusmodi dæmonum ergastula evitare. Certè illi ignes quibus incenduntur infernales sunt, & à Dæmonibus excitati, ut similes fornaces exhorrescas. Erit aliquando tempus, nisi caves cùm te ipsum Dæmon aggredietur, & in te ut in suam domum ac domicilium intrabit, ubi sic custodiet atrium suum ut ex eò nunquam egrediatur, nisi fortior superveniat, qui fortem, & alliget, & expoliet.

2. Conclusio. Si tam horrenda est externa hominis possessio à Dæmone qui potest tantùm corpus ingredi, quàm detestabilior est possessio ejusdem, quandò introducitur in animam per peccatum? Nam cùm duo sint culpa, & pœna; culpa semper est pejor; & peccati possessio, pejor quàm Dæmonis: siquidem propter unumquodque tale, & illud magis. Quid est enim in Dæmone quod eum efficit ita horribilem, nisi peccatum? Et sanè idem efficit in anima. Vnde ergo fit ut unum sic abhorreant homines, non aliud, præsertim cùm per possessionẽ Dæmon nõ sit absolutus Dominus, sit autem per peccatum? Ad hæc quia sicut Dæmon operatur in corpore quæ vult, ita etiam peccatum: & ideò monet Apostolus Rom. 6. *Non ergo regnet peccatũ in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs ejus.* Denique quia possessio Dæmonis externa saltem finitur cum vita: sed possessio animæ per peccatum æterna est, & pœnis subjicit æternis

3. Conclusio. Ex modo quo Dæmon tractare solet eos quos possidet disce discrimen quo Deus tractat eos quos possidet, & vide quem tu malis esse possessorem tuum. Ea est enim causa cur aliquando Deus sinat injustos possessores hominibus dominari secundùm illud 2. Paral. 12. capite. Vbi ita loquitur de Sesac Rege Ægypti qui primus Templum Ierosolymitanum spoliavit tempore Roboam: *Veruntamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, & servitutis regni terrarum*: Vide enim quàm aliter Deus, quam aliter Dæmon possideat: hic quippè cùm non sit legitimus Dominus, sed tyrannus omnia occupat vi & violentiâ: Item omnia pervertit & sus dèque disperdit universa, siquidem destructor, & exterminans: Christus autem cùm verus sit Dominus, ut in rem suam ingreditur pacificè, omnia ordinat, regit disturbata, perdita restituit, dissecta resarcit, ut Salvator: Modum naturalem agendi sequitur, nullâ factâ violentiâ, & si aliquid efficit in animâ, omnia per ipsam, & cum ipsâ, & semper in animæ bonum & utilitatem. Quàm fœlix ille in quo Deus agit ut vita, in quo Deus omnia operatur, ut primum principium; qui finit se regi à Deo; qui motus eius & sequitur, & amat; qui dicere potest cum Paulo ad Galat. 2. *Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus*, omnia enim bona quæ in nobis fiunt à Christo fiunt, non solo, sed ut à præcipuo agente, quia & initium facit boni operis, & potestatem aliam dat faciendi: sed de illis præsertim dicitur, qui se à Deo possideri sinunt; qui nihil volunt nihil moliuntur, nisi moti ab illo; in quibus ita habitat, ut in illis per modum vitæ operetur; proportione aliqua cum fœlicitate beatorum, in qua erit omnia in omnibus, quod nobis concedat Dominus Jesus.

Amen

***

DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA.

CONCIO TERTIA.

Christum veniſſe ut deſtrueret Regnum Dæmonum: idque feciſſe Inſtitutione veræ Religionis, & ſtabilitâ morum contrarietate.

Erat Jeſus ejiciens Dæmonium. Lucæ 11.

TRIA in hoc Evangelio contineri diximus: 1. eſſe inter Dæmones formam aliquam regni, atque imperii, quod ſi contra hominum ruinam conſtituerunt, cuius beneficio Dæmon hunc mundum ſibi ſubjecit ex Chriſti teſtimonio, *Quod ſi Satanas in ſemetipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius?* Et Ioan. 14. *Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam*: 2. ad hoc maximè Chriſtum veniſſe in mundum, ut regnum Satanæ aboleret: 3. vias, & modos quibus id Chriſtus perfecit. Quod fuit primum, in primâ Concione expoſitum eſt: De duobus reliquis dicendum nobis ſupereſt. Adjuvet illa de quâ dicitur Geneſ. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem: & ſemen tuum, & ſemen illius; ipſa conteret caput tuum.* AVE MARIA.

CONTRA *malum, bonum eſt, & contra mortem, vita*, &c. *duo, & duo, & unum contra unum*, Eccli. 33. His verbis ſignificatur peculiaris oppoſitio inter res omnes: ita ut licet res ſint innumeræ; quod ſignificatur hâc voce, duo, & duo; geminatio enim in Scripturâ multitudinem ſignificat; nihil tamen uſquam ſit in tanta multitudine, quod contrarium non habeat, peculiari quadam, ac præcipuâ contrarietate: quæ quidem non tantum eſt inter creaturas, de quibus maximè loquitur Sapiēs, dum ait, *Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi*: ſed etiam inter Creatorem ipſum, & inter creaturas: non ſanè naturâ, ſed vitio: non conditione, ſed libertatis abuſu. Nunquam enim, ut ait Bernard. pravo rectoque conveniet: nam *contra malum, bonum eſt, & cōtra mortem vita*. Ac licet Dæmon Deo, totiq; Trini-

Trinitati, & ijs omnibus quæ ad Deum pertinent inimicissimus sit: peculiari tamen oppositione contrarius est secundæ Trinitatis personæ: 1. ratione peccati, quod fermè quadruplex in dæmonibus SS.PP. agnoscunt supra cætera.

1. Est quod affectarit similitudinem atque æqualitatem cum Deo; cum videret se ratione naturæ, inter creaturas maximè accedere ad similitudinem Dei: unde eidem dicitur in sensu mystico ex interpretatione omnium Patrum Græcorum & Latinorum Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus, operimentum tuum*, &c. *Et elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projecite: ante faciem regum dedite, ut cernerent te.* Nam licet in sensu literali dicta sint de rege Tyri, dicuntur tamen per allusionem ad primum Angelum: quamvis ea similitudo atque cum Deo æqualitas, Filij fuerit propria, de quo dicit Apostolus ad Philipp. 2. *Qui cum in formâ Dei esse non rapinam arbitratus est esse se aqualē Deo*: Vnde S. Bern. serm. 1. de Adventu, explicans illa Isaiæ verba *Ero similis Altissimo*, ait dæmonem ex invidiâ contra Filium Dei, æqualitatem cum Deo optasse, quæ soli Filio ex similitudine convenit.

2. Dæmonis peccatum fuit, quod voluerit beatitudinem suis viribus obtinere, quasi ipse sibi sufficeret, nō verò dependēter à gratia. Hoc autem unum ex Angelicis peccatis fuisse docuit Gelasius in Decreto suo contra Pelagium: Suæ ait, institutionis claritate detenti, ulteriùs se nihil egere, ac sibi se sufficere posse præsumunt, perque seipsos obtinere fidentes, quidquid per solam gratiam potuissent conditoris adipisci. Idem docet Augustin. lib. 22. De Civit. cap. 1. & S. Prosper in Epistola ad Demetriad. Cum, inquit, non dignaretur dives esse nisi ex propriis, tanquàm hoc haberet simile Deo, ut bonorū suorū, ipse sibi fons, ipse sibi copia esset, suū sibi quodammodo appetiit esse principiū; relicto eo qui verè illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse judicavit, &c. Vnde voluit in illa independentia se Deo exæquare, ratione cujus Christus factus est, fons totius meriti, non solū seipso beatus, cū in se haberet ipsum beatitudinis principium ac fontem, sed etism beatos faciens, cum beatitudinem communicarit per gratiam derivatam. Mitto dicere quod aliqui etiam Theologi docuerint etiam dependenter à Christi futuris meritis datam esse Angelis gratiam qua gloriam meruerunt, quam hoc modo propositam Angelo prævaricatori, ipse repudiasset, ratus se posse suis viribus consequi quod deesset: quod si verum est hoc peccatum Angeli præcipuo quodam modo contra Filium Dei admissum est.

3. Dæmonis peccatum fuit, quod supra omnē creaturam quandam prælationem affectarit: Ita, ut ait S. Greg. lib. 4. Epist. c. 82. Despectis Angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur. S. August. sic de eo, 14. de Civit. cap. 11. Tyrannico fastu, gaudere desubditis, quàm esse subditus eligens. S. Bern. Serm. 5. de verbis Isaiæ dicit eum fuisse solitariæ præsumptionis amatorem. Hoc voluit Nazian. in carmine de substantiis spiritualibus, quando diaboli peccatum in eo ponit, quod speraſſet Regiam dignitatem Dei; quæ qualitas propriè ad Filium Dei pertinebat: uti latè docet S. Paulus in Epistola ad Hebr. cap. 1. Vbi inter alia Angelos vocat administratorios Spiritus: in qua conditione prævaricator manere noluit, sed locum habere voluit Filii Dei de quo sic loquitur idem Paulus Eph. 1. *Constituens eum ad dexteram in cœlestibus, supra omnem principatum & potestatem, & virtutem*, &c. Quam eminentissimam dignita-

tem ei diabolus invidit: Si quidem ut ait Bernard. Serm. 2. in Octavâ Paschæ, lapsus est de cœlo propter invidiam in Filium Dei, & singularitatem, nempe dignitatis quam ambiebat. Ex quibus patet præcipuo quodam modo Angelum peccasse contra Filium Dei.

IV. Dæmonis peccatum fuit quod Christo, & homini subjici noluerit factâ ipsi revelatione de futurâ Incarnatione, secundùm illud Apostoli ad Hebr. 1. *Et cùm iterùm introduceret primogenitum in orbem terrarum, dixit: & adorent eum omnes Angeli Dei*: in quib⁹ verbis significatur Christum bis fuisse introductum, & per nativitatem, & per revelationem initio factam Angelis, ex quo consequenter Deus postulavit ab Angelis Filii sui adorationem, quam Angelus prævaricator recusavit: Ita Catharinus in opusculo de gloriâ, & lapsu Angelorum.

2. Hocidem ostenditur ex odio singulari quo hominem prosequitur, quem vidit sic amari à Filio Dei, ut ejus naturæ vellet sociari. Hinc factum ut Dæmon vocetur inimicus homo, & Satan. id est, accusator, & calumniator; Christus verò singulariter dicatur, filius hominis, Philanthropos, frater, sponsus, maritus. Porrò præter varias occasiones ob quas Dæmon odit hominem, ea est, quia imaginem Dei præfert, cùmque Deo nocere non possit, ejus imagini creatæ nocet, quantum potest! Itaque in hoc orbe inferiori hoc tantum fine versatur ut hominem perdat, vel ei noceat: Christus verò ut hominem salvaret, venit in hunc mundum. Dæmon serpentis corpus induit ut exteriùs suadere posset: cùm præsertim in statu Innocentiæ hominem non posset aggredi nisi externâ tentatione, nec aliunde ei corpus assumere permitteretur, nisi animalis; ut scires à beatitudine prorsus excidisse; & ejus animalis, quod homines passim exhorrent: E contrario Verbum visibile factum est ut familiari verbo, & exemplo suaderet; *post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*: Baruch. 3. *Non faciet avolare à te ultra Doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum: & aures tuæ audient verbum, post tergum monentis.* Isaiæ 40. Dæmon hominem calumniatur, atque accusat, unde nomen habet Diaboli Apocal. 22. *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte*: E contrario Christus fungitur officio Advocati, & peccata nostra excusat: 1. Ioan. 2. *Sed & si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum*, &c. Item Rom. 8. *Qui & est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Dæmon nihil molitur, omnibus ingenij viribus, & notitia qua pollet, utitur, ut homines miserè perdat: Christus vero infinita sua sapientia innummeros modos excogitavit quibus homines salvaret, & ab interitu vindicaret.

3. Idem ostenditur ex modo peculiari quo divinitatem affectat per Idola: Nam ut ait Nazian. quam Divinitatem in cœlis habere non potuit, habere conatur in terris: per Idola scilicet; ut substantialem illam Patris Imaginem apud hominum existimationem aut divinitate spoliaret, aut æquare videtur.

4. Ex peculiari modo agendi Dæmonis per astutias & per errorum diffusionem: quæ duo veræ Sapientiæ, quæ filius Dei est, peculiari modo opponuntur:

5. Ex dira persecutione in Christum Dominum, cùm videret in ipso hærere unicum medium humanæ salutis ac redemptionis mundi: Hinc Apocal. 12. partum mulieris expectavit, *ut cum peperisset, filium ejus devoraret*: Quid enim per Hordem facere non tentavit,, ut vix natum enecaret? Sed cum puero nocere non po-

potuerit, vitum aggressus est in deserto, & cum eo conflixit: toto vitæ tempore insecutus est: immisit in cor Iudæ ut eum traderet: in eum Iudæos concitavit: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*: nec persequi desiit, donec interimeret. Eius autem semen, hoc est Apostolos, discipulos & Christianos modis omnibus persecutus est: Hærefibus totam eius doctrinam commaculavit: novos semper errores excitans, sed præcipuè contra Christi Divinitatem; aut veritatem, aut humanitatem: omnia ab eo instituta Sacramenta infandis ceremoniis infecit, sed præcipuè Baptismum, & Eucharistiam.

Sed *contra malum, bonum est, & contra mortem vita*: Nam si Dæmon peculiari quodam odio contrarius fuit divinæ Sapientiæ, sanè etiam Christus hoc peculiari fine venit in mundum ut Diaboli regnum aboleret. Id disertè significavit Ioannes 1. sua Epistola cap. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli*: in hoc, εἰς τοῦτο, in hunc finem. Quare ubi primùm natus est, continuò obmutescere ubique cœperunt oracula, stupentibus Gentilibus, cuius rei causam alibi inutiliter quærit Plutarchus in libro eâ de re scripto: sed fateri cogitur Christianorum hostis infensissimus Porphyrius in lib. quem contra religionem Christianam scripsit: Et docet Euseb. l. 4. de præp. Evang. c. 1. Hoc longè antè prædixerat Isaias c. 8. *Accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit Filium, & dixit Dominus ad me, voca nomen ejus, accelera spolia detrahere, festina prædari, quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram Rege Assyriorum.* Grandior factus certavit cum Dæmone in deserto, quem in omni certamine devicit: Quid dicam quomodo idololatriam & omnem Dæmonis cultum destruxerit, eius fœditatem in nefandis mysteriis, & sacrificiis revelarit, eius sacrorum turpitudinem, & legum iniustitiam ostenderit: iuxta Prophetiam Isaiæ 2. *Et elevabitur Dominus solus in die illâ, & idola penitùs conterentur.* Immò, & quomodo eum omnibus execrabilem fecerit: *Vade retro Satana*: omnibus conculcandum, & proterendum dederit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatem inimici*: Mundum vindicarit ab eius tyrannide: *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi ejicietur foras*: Eiecerit eum ab animis & corporibus: Item à templis, altaribus omnibus locis sacris inducto vero cultu: quin & ab Vrbibus, & domibus, accolarum sanctitate: à viis publicis & compitis, signo elato Crucis: à sepulchris mortuorum corporibus, benedictione: à solitudinibus, sylvis & antris, per Monachos, & Christi nomen, omnibus auditum in locis, uti refert S. Hieronymus in vitâ Sancti Pauli Eremitæ. Sanè ab aëre miserum fugavit elatus in crucem: ibi enim pugnavit cum potestatibus aëris: Ab aquis fugavit, eas sanctificando in Iordane: Ab inferioribus partibus terræ, eas penetrando, ac malignos spiritus magnâ ex parte ad inferos abigendo, unde apud Matth. c. 8. clamant. *Quid nobis, & Tibi Iesu Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos, &c. Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* Et cùm Dæmon exaltaverit filium perditionis, qui uti dicitur 2. ad Thessalon. cap. 2. *adversatur, & extollitur super omne quod dicitur DEVS: aut quod colitur: ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit DEVS:* Tunc *Dominus Iesus interficiet eum spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum*: ubique Dæmonem, ejusque opera insectando. Hoc egit doctrinâ suâ, hoc miraculis suis, hoc Sacramentis; Hoc quotidie peragit in animis & corporibus hominum: sui nominis invocatione, usu sacramentalium, & Sacramentorum: adeò illud verum est quod ex Ioanne suprà dictum est, *In hoc apparuit Filius*

Dei.

Dei, ut dissolvat opera Diaboli, nam omnia quæ fecit, eò contulit ut Diaboli regnum aboleret: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: Specie tuâ, & pulchritudine tuâ, intende, prospere procede, & regna.* Hoc etiam est opus tuum ô Christiane. Hæc est summa vita tuæ ut in te, & in aliis dissolvas opera Diaboli, ut ejusdem tyrannidem excutias, regnum destruas, & te illi perfectè subjicias qui ut ait Apostolus c. 1. ad Coloss. *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ.*

Jam illud relinquitur ut videamus qua tandem ratione Christus illud Diaboli regnum abolevit: Ego quidem tres potissimas rationes invenio in hoc nostro Evangelio, ad quas omnes reliquæ referri possunt quæcunque illæ sint.

Prima est, per institutionem unius veræ Religionis. Sicut enim Diabolus induxit tyrannidem suam, seque Dominum constituit totius universi, impietate & cultu falsorum numinum, occupans terram, elementa, cœlos, Solem & Astra omnemque naturam visibilem, idololatriæ opera se adorari curans sub eorum omnium imagine, atque adducens homines ad observantiam infamem ejusmodi ceremoniarum, alios consecrans ut Sacerdotes; exigens ab aliis cultum arrogatæ sibi divinitatis: Ita Filius Dei illum ejecit cum probro & dedecore per institutionem veræ religionis, quæ tota refertur ad veram de divinitate opinionem, reducta ad unitatem, & ad cultum tali tamq; sublimi natura dignum: quam religionem notavit illustravitque peculiari potestate expellendi Dæmones è corporibus, per exorcismos, perque ceremoniam quæ nunquam defecit in vera religione. Nam quemadmodùm possessio corporum à Dæmone sumpta, est imago possessionis quam capit in animab⁹ quas sibi subjicit, cùm prior illa coacta sit & violenta, altera hæc voluntaria; possessioque animæ inferat crimen; corporum verò solam pœnam adimat; Sic potestas illius expellendi è corporibus non reperitur nisi in ea religione, ubi inest potestas, ejusdem expellendi ex animabus, quod quidem in vera tantùm religione est, in qua sola Sanctus Spiritus invenitur. Ejusmodi fuit religio Judæorum, in qua fuit hæc potestas, secundùm testimonium Filii Dei, nostro in Evangelio. *Si autem ego in Beelzebub ejicio Dæmonia, filij vestri in quo ejiciunt? ideò ipsi judices vestri erunt:* in quibus verbis satis indicatur fuisse inter Judæos quosdam Exorcistas, quorum erat officium expellere Dæmones à corporibus invocatione nominis Dei: Tales erant septem Filii cujusdam Sacerdotis de quibus agitur Actor. 19. Et docet Iosephus lib. 8. antiquit. cap. 12. quandam formulam conscriptam fuisse à Salomone, qua Dei nomine invocato, ejicerentur Dæmones ab hominum corporibus. Talis fortasse ille fuit, quem Apostoli prohibere voluerunt, cùm eum vidissent ejicere Dæmonia in Christi nomine, etiamsi Christum non sequeretur, qui Apostolorum zelus Christo non placuit. Porrò hanc potestatem, & ceræmoniam veram indicare religionem probatur ex verbis Christi sequentibus: *Porro si in digito Dei*, hoc est Dei virtute, *ejicio dæmonia profecto pervenit in vos regnum Dei*: quo nomine intelligitur vera fides, veraque religio. Fuit autem hæc potestas, & communior, & maior in lege Christiana: quæ sola, esse vera incœpit, secundum illud *gratia & veritas per Iesum Christum*: Lex enim Iudaica postquam Christus venit, & implevit omnia, cœpit esse inutilis, & falsa; quoniam venturum eum pollicetur qui iam venit; unde etiam in Actis c. 19. dum filii Scevæ, vellent ut exorcistæ, Dæmonem in nomine Iesu prædicato à Paulo, eiicere à corpore cuiusdam Dæmoniaci, respondit Dæmon: *Iesum novi, & Paulum scio, vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium*

monium peſſimum, & dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo illa. Simile quiddã accidit Luthero, idem ferme aggreſſo, ut ſcribit Diſcipulus ejus Staphila. Vt intelligamus fide verâ Dæmonẽ ſubigi: unde hæc probatio fieri poteſt falſitatis religionis Calviniſtarum, & veritatis Catholicæ. Illa Religio vera eſt in qua reperitur poteſtas eiiciendi Dæmones: Sed in Novatorũ Religione, nulla eſt eiuſmodi poteſtas, & ea reperitur in Catholica: Igitur Novatorum Religio falſa eſt; Catholicorum autem vera. Et quidem aiebat Antonius, Dæmonem nihil magis exhorreſcere quàm verã fidem, & ſincerum in Chriſtum amorem: Ita hinc Dæmon abigitur, ubi ſeritur vera fides, & religio; & contrà. Sicut enim relicturi Angeli templum Jeroſolymitanũ auditi ſunt magnâ voce dicere, recedamus hinc, ſecũdùm illud Iſaiæ 52. *Recedite, recedite, exite inde: pollutum nolite tangere: exite de medio ejus*; ut ſcilicet in domum vacuam ſpiritus immundus iret: Ita in animas, & corpora, & domos hæreticorum, magno numero Dæmones irruunt: expulſus enim Dæmon *ambulat per loca arida*, id eſt, per loca inhabitata ab hominibus: quia per exorciſmos & Sacramenta Eccleſiæ in ea loca abigitur ubi hominibus nocere non poteſt, qualia ſunt ea, quæ cùm aquis careant, non ſunt apta habitationi hominum: ſed poſteà redit, atque invadit, hominum peccatorum nimis incuriorum, ſed præcipuè hæreticorum animas omninò vacuas, hoc eſt inanes omni virtute ſupernaturali, quia fides quæ ultima perditur in illis abolita eſt.

Hinc factum ut diſſeminatâ verâ religione paſſim undique expulſi ſint Dæmones à locis plurimis, à ſtatuis, fontibus, arboribus, à vatibus & idolorum miniſtris à cunctis oraculis, & ab innumerorũ corporibus: quod oſtendi facilè poteſt inductione. Sed de hoc ſatis.

Secunda ratio quâ uſus eſt Filius Dei ad deſtruendum Diaboli regnum, fuit per contrarietatem morum, doctrinæ inſtitutorũ principiorũque, convenienter hiſce verbis; *Qui non eſt mecum contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit*: Quia enim Satanas acquiſivit regnum ſuum inter homines, falſis perſuaſionibus, docens, incitans, movens, perſuadensque, pravum ſuum exemplum adhibens, alioſque ad rebellionẽ adducens; [quod quidem efficit primò erga ſocios ſuos: minores enim Angeli peccarunt imitatione majorũ:] deinde præſtitit erga homines, quos decepit artificijs ſuis: Ita plane Filius Dei, qui venit ut diſſolveret opera Diaboli, ſe pro Domino inter homines geſſit, atque ſicut hoc nomen, ita & munus uſurpare voluit, ſeque præbuit in exemplum omnium virtutum.

Sancta quædam anima divinitùs illuminata in ſua converſione, luculenter admodũ ſcripto mandavit admirabilẽ hanc agendi rationem, hoc ferè modo: Sibi animo finxit non longè à magna urbe Babylone, ingentem campum in telluris aggere ſublimem, ſupra quem ſtabat thronus celsè evectus, è materia ignota, minuſque uſitata inter mortales, ſtatimque ipſi apparuit formidoloſa Dæmonum acies tanto numero, ut vaſtus ille campus eâ contegeretur. Illorum in medio unum vidit prodigioſâ proceritate, horribili vultu, plenoque terroris, arroganti & ad faſtum elato inceſſu, qui cæteroqui præferebat in oculis & fronte notas omnes ardentiſſimæ iracundiæ, ac furoris quàm fingi poteſt maximi. Conſedit in throno ſibi præparato, oppleto flammis fumoque, ac ſilentium cœtui univerſo indicens, ſermonem orſus eſt cum tumore, ipſius perſonâ, arrogantiâque digno. Mortiferum odium, & rabioſum, quo flagro in eum qui nos cruciat, ac propter ipſum in homines, quos nobis antepoſuit, deſtinavitque bonis quæ ad nos attinent, nos hîc unà colligit. Mihi eſt in animo quantovis pretio id conſtet,

perdere funditùs naturam humanam, eamque si fieri potest nostrâ communi ruinâ involvere. Satis fuerit nobis eo modo ultos fuisse, quandoquidem nihil pejus permittitur. Longè aptissima ratio hæc erit, conjicere homines in ignorationem Dei, ejusque legum ac mandatorum; errotibus scilicet, & absurdis opinionibus: efficere in primis ut ament bona vitæ præsentis, seductis ab ipsorum aspectu omnibus quæ ad vitæ futuræ cogitationem inducere possit: Siquidem prima versatur ob oculos, altera longè abest. Deinde proponere illis voluptates. & potissimùm carnis, utpotè magis sensiles, faciliores esque, ac tenaciores: impellere ad ambitionem, ad consectationem bonorum, laudis desiderium, studium gloriæ, sitim dignitatum, sensum injuriarum, appetitionem vindictæ, neglectionem rerum sanctarum & religionis, ac inde præcipites illos ferre in omnia vitiorum genera; minimè parvo contentos: In ijs inflammare cupiditatem, ex eo inducere animos ad furtum, pòst ad rapinas, inde ad injustam exactionem pecuniarum, ad violentiam, ad apertam injustitiam, ad cædes, & sacrilegia: Conciliare initio oblectationē, tùm amorem, dein ardorem in animo, caloremque in corpore: Interficere per oculos, dare studium placendi; inquinare corpora, implicare illa in cœnum carnis, omnesque spurcitias libidinis; efficere ut ad experientiam attentent omnia, & plura quàm possint expetant: Immiscere illos in omne solutioris vitæ genus, spectare semper ad maximas quasque strages, ad molestiores turbas, ad scandala quæque turpiora. Hæc est via, Socij, perdendi istud hominum genus, & quidem compendiaria & optima.

Agite ergo, omnes vires impendite; nulli parcite loco, nec regioni, nec populo, neque conditioni aut dignitati. Quibus res meliùs, successerit, ij ad oportunissimas occasiones maximaque facinora adhibebuntur. Vidimus experientiâ, plures ambitione desiderioque aliis antecellendi, quàm alio quovis modo nobis acquisitos fuisse: divitiæ necessariæ sunt ad id assequendum. Eos isthiusmodi cupiditate inflammatos reddite; instrumentum est omni aptissimum vitio, radixque ad universa malorum genera provocanda: Caro vobis magna subsidia suppeditabat ad conciliandum ipsis amorem deliciarum; iisque omnibus peccatis facilè perducetis eorum animos aut ad hæresim, aut ad impietatem: Prætermittere vobis silentio non possum, dissensionem voluntatum valde idoneam esse consilio nostro: Ingenerate suspiciones, pravasque opiniones aliorum de aliis, injicite: Animos ad rebellionem & inobedientiam commovete: Subditus rebellet in Regem suum, & Dominatorem: populus in Magistratum, filius in patrem, famuli adversus heros; inferiores: contra superiores: Exulcerate voluntates, accendite discordias, corroborate animos, lites ac dissensiones serite, inflammate iracundiam, odia imprimite, obices paci & reconciliationi infigite, accendite prælia, rixas adaugete. Quælibet cupiditas, vobis alimentum subjicere potest ad ignem iracundiæ nutriendum, & ad dissolvendas maximas quasque consensiones, amicitiasque vel sanctissimas: Objicite semper hominibus commodi proprij rationes; eas exaggerate ipsis ob oculos, aliosque respectus imminuite; mementote consensionem inter nos arctissimam sustentasse hactenus regnum nostrum; ideòque contra non posse à nobis facilius rempublicam hominem everti quàm discordiâ & dissensione. In primis autem hâc cogitatione animamini, nequire nos magis ei displicere cui non possum placere nec volum, quam immani mortaliū excidio. Finito ejusmodi sermone, Sanctus lacrymarum copiam

erupit

erupit, videns quanto successu, Dæmones funestum hoc consilium persecuti fuerant. Videbatur sibi intueri maximam mortalium partem crudeliter immisericorditerque illigatam à Dæmonibus, nonnullis ejusmodi catenis; alios honoris & gloriæ desiderio, alios ambitione studioque munerum illustriorum, alios avaritia, & insaturabili appetitione habendi, conviviorum delectatione alios, ludis temporisque abusu alios, alios vita in omnem carnis voluptatem projecta: usque adeò ut visa illi sit maxima hominum pars concurrere ultrò & cum oblectatione ad sectanda vexilla Diaboli, delinita captaque sola pulchritudine colorum.

Cùm meditaretur clamitare ad homines; *Filij hominum usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*? Vidit animo se usque Hierusalem deferri, ubi visus est sibi aspicere oculis Venerabilem Virum, lenitate simul & majestate insignem, circundatum exigua hominum turba, qui magna ipsum observantia colerent, præstolarenturque singulari reverentia, quid eloquendum iis haberet. Incomparabilis mansuetudo & benignitas quæ elucebat in illius oculis & corporis habitu, ipsi persuasere eum esse amabilem nostrum Redemptorem: Sed id opinionis sermo illius magis etiam firmavit, qui quidem is extitit. Dilectissimi Discipuli & Apostoli, desiderium quo teneor gloriæ Patris mei, amor quo afficior erga homines, & commiseratio quam habeo eorum causa, & quam ipsorum infelicitas mihi affert, adduxerunt me ut homo fierem, aptaremque hoc genus vitæ quam duco. Diabolus tyrannicè sibi usurpavit regnum hujusce mundi, quod omni jure ad Patrem meum pertinet. Illius arma fuere peccata hominum, artificiosæque ipsius propositiones, honoris, cupiditatis, & voluptatis. Mihi est in animo recuperare Patri meo regnū, liberare homines captivitate sua, Diaboli regnum delere, ac meum stabilire, ad subditorum meorum utilitatem gloriamque Patris, atque id universum efficere institutis planè adversis hosti meo. Qua in re volo uti labore vestro & industria, volo ut doceatis homines viam quam vobis ostendi, præivique exemplo.

Primùm hoc principium vobis esto. Evellere radicitùs ex hominum corde ambitionem, desideriumque honoris, cum superbia germen sit principium omnis peccatorum generis. Invadite acriter adversus cupiditatem, studiumque divitiarum, siquidem radix malorum omnium est cupiditas habendi. Persuadete hominibus voluptatem esse venenum: animam enim funditùs interficit. Aspicite institutionem vitæ meæ, mealque actiones pro exemplari accipite. Imitamini me minimum hominum, qui adeò pauper sum, ut non habeam penes me & in manu mea ubi caput reclinem, ponamque in operto. Oblectationes meæ, sunt lachrymæ, deliciæ, dolores, & cruciatus; balneæ meæ fiunt in meo sanguine; crux mea vexillum mihi est. Nihil minùs polliceor vobis quàm mihi: At etiam volo vos eo contentos esse quod sat mihi fuit: Suadete cæteris quod vobis ego persuasi, idque illi præstent Discipulis suis usque ad finem mundi. Inducite homines ad universas virtutes, ad humilitatem, ad patientiam, ad charitatem, ad misericordiam, ad pacem, ad concordiam & unionem: Invitate illos ad mortificationem, ad pœnitentiam, ad crucem & martyrium; maximéque ad fidem ac religionem: Mundum abducite ab erroribus suis, eumque hæc pronunciata edocete. Beati sunt pauperes affectu, corde ac voluntate. Beati sunt humiles & mites: Beati sunt qui lugent, & qui affliguntur, nominatim propter justitiam, Quoad fructum & remunerationem laborum vestrorum, promitto vobis in hac

vitâ multâs persecutiones & contradictiones: sed patientia vestra omnium victrix futura est: reliquum vobis in alteram vitam reservo, *Ite, ego mitto vos sicut misit me Pater meus.*

Divinum illud os vix clausum erat, cùm Sanctus contemplator qui hæc animo videbat, cæpit intelligentiâ comprehendere quâ institutione ac methodo Salvator animarum confregerat jugum diabolicæ tyrannidis, mortalesque ab durâ illa servitute vindicaverat. Eius animus lætitiâ colliquefactus est, videndo innumerabiles hominum cœtus recipere se sub humilia humilitatis Christi vexilla eosque errore absterso, non amplius tanti facere quod olim adeò æstimabatur inter mortales, immò agnoscere vanitatem divitiarum, nihilum bonorum, vilitatem mundanæ magnitudinis, brevitatem deliciarum, voluptatumque spurcitiam, & demùm opulentas deferere fortunas ad paupertatem amplexandam; Magistratus abjicere munera sua, ad dedendum se obedientiæ aliis navandæ; Magnates mundi abdere se in solitudinem, in Religiosorum cellas, & in pulverem, præferendo contemptum & dedecus crucis, omnibus pompis sæculi, delicatulos mutare mollitiem cum victus acerbitate, convivia cum jejunijs, pretiosos vestitus cum cilicio, collocutiones cum solitudine ac precibus, oblectationes pœnitentiâ, delicias cum afflictationibus, risus cum lacrymis, flores cum spinis, sibique cruces usquequaque conserere. Inde intellexit hæc verba. *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit*: atque uti Filius Dei destruxerat diaboli regnum, viis plane contrariis modo quô illud ipse Dæmon stabilierat; eum exui possessione suâ, dum abrogantur evertunturque ipsius documenta. Postremò illum hæc visio perspicuè docuit, laborem esse inutilem, reique prorsus impossibilis periclitationem, velle partes hasce duas simul conciliare: *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial?* 2. Cor. 6. Nullum est intermedium; oportet aut Iesu Christi, aut diaboli partes tenere: uterque suum erexit vexillum: *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.* Sequimini vexillum superbiæ; vultis elucere in mundo; & tamen vultis credi vos humilitatis Iesu vexilla sectari. Vester divitiarum amor, commodorum vestrorum cura, deliciæ vestræ, oblectationes, ludi, convivia, voluptates, spurcitiæ ac sordes, luculentum satis præferunt testimonium, cujusnam causâ militetis: Tenetis partes mundi, ejus institutæ tuemini, eximitis eum à criminatione, patrocinamini carni, eius culpas extenuatis, eius inminuitis vitia & dedecora: An nescitis mundum & carnem fœderata esse cum diabolo, ac sub ejus signis pugnare? Bellum geritis adversus probos, infesto eos animo persequimini, oblectamini maledicentiâ in Religiosos; & vos profitemini esse de regno Iesu Christi. Impossibile istud est: *Omne regnum in se divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* Nihil amatis nisi dissensionem & discordias; obtrectatores, invidi, virtutis hostes; maledictis contumeliisque: Ad amplificandum Regnum Dæmonis, politica ubique seritis pronunciata, Christi Religioni contraria; immò & mali politici, & rebelles contra Regni statum declamatis: Nam, ut vobis videtur, multiplicitas Religionum salubris est in Regno, & in Republicâ: rebellio subditorum est sanitas Regni, utilitasque multorum: & alia id genus: Eheu, fiditis ne diabolo? ejus ruinaque propositum est exitium vestrum integra: Offert vobis ambitionem, quia vos videt ad eam perniciem propensos: Ipse est qui

vos

vos ad avaritiam inflectit, ab eâque ad omne criminum genus: Ignes quos sentitis in corporibus, eos ille accendit: Vult perdere vos & bonis omnibus evertere: Vult suam in miseriam vos pertrahere, ac reddere socios cruciatus sui: Quin sequimini potius benevolentissima Regis omnium Regum maximè amabilis invitamenta, Iesu, vos ad crucis vexillum, vitæque suæ exemplum incitantis? Fugite, vobis inclamat, superbiam, & humilitatem amate; contemnite divitias; declinate voluptatem; totum illud, nihil est nisi vanitas, nisi fallacia, nisi deceptio: artificia sunt hostis vestri, qui nihil nisi perniciem vestram exquirit. Heus, Christiani, quid statuimus, ac propositum habemus? Cujusnam partes sequi volumus? Sub cujus vexillis certare? cujus regis profitemur nos esse subditos? Fallor, Auditores, qui sic loquar: Mundus partes jã suas elegit, seque adjunxit dæmonibus. Ecce Princeps tuus, tuus ecce Rex ô Munde! *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam. Princeps hujus mundi jam judicatus est.* Dæmones *Mundi rectores, tenebrarum harum*, Eorum Princeps ipse est cui serviunt sæculi Principes, divitiæ ac deliciæ; ipse est qui leges præscripsit injustas atque iniquas quæ mundum regunt; qui pronunciat promulgatque detestabiles illos ritus qui celebrantur, & vigent in mundo, Ipse est pro quo loquimini, quùm dicitis eos qui versantur in mundo debere vitam degere ex usu & legibus mundi: ipse est cujus rationem habetis, quùm habetis mundi, cui studetis placere, ac displicere metuitis: Illius leges vos defendunt, quando suscipitis arma viresque contenditis ad leges mundi tuendas; pro illius gratiâ & authoritate, contemnitis Deum ac religionem, proboque homines deridetis. At quid ajo, illum esse Principem Regemque mundi, cui omnia obediunt; cum ejus sit Deus. Ita loquitur Apostolus 2. Cor. cap. 3. *Deus huius sæculi excæcavit mentes Infidelium.* Nam, ut verè dicamus, agit Deum in mundo, statuit de omnibus, omnia gubernat, attrahit omnia, omnia superat, & subjicit sibi. Mundus quoque pro Deo illum habet; ei reipsâ sacrificatur, statuuntur templa, & aræ inter Infideles, nihilo minus inter cæteros tractatur ut Deus, ab eo sperantur omnia, sanitas, recuperatio rerum amissarum, abditarum, incognitarum hominibus, scientia, fortunarum amplificatio, mortis amotio. Sanè maxima operum quæ fiunt in mundo pars exercetur aut vanitatis causâ aut voluptatis, hoc est, ad amplificandum vel saltem ad firmandum regnum diaboli: maximæ occupationes sæculi nonne ad hunc scopum tendunt? frequentissimi sermones nonne hoc consilium spectant? quidnam enim aliud maledicentia de rebus sanctis & sacris? quare contemptus Religiosorum, nisi ad infirmandum Filii Dei Regnum, corroborandum regnum diaboli? Si concionatores loquuntur cum libertate ac zelo, arguuntur imprudentiæ, & majoris quàm par est audaciæ; at si comœdia exhibet res obscœnas & impudicas, si puellarum pudicitiam, castitatem mulierum, conjugiorum fidelitatem impugnat nemo queritur, idque fit non solùm impunè ac tutò, sed etiam cũ approbatione, immò cum laude: quicquid intemperans dissolutumque admittatur in sumptu mensarum & conviviorum, vestium, supellectilium, comitatus, apparatuum, oblectamentorum; offenditur nemo, neq; improbat; totum illîc est ad satisfaciendum diabolo, Principi unico, Regiq; absoluto mundi. Judicare jam ex conditione capitis, quale possit esse corpus, atque ex naturâ Principis quæ status ipsius conditio existat, præsertim cùm hunc ille secundùm leges suas gubernet cum magna submissione à subditis, & cum absoluto imperio ab dominãte. Hoc est enim quod vulgò iactatur in communi sermone, quisquis est in mundo, et se-

cundum mundi leges vivendum esse. Quod si verum istud est, quin illinc exitis animæ sanctæ ac prædestinatæ ? quin repletis claustra? quin in Monasteria concurritis ? quin Conventus Religiosos augetis? Angeli instigarunt olim justum Loth ut discederet Sodomâ, quò vitam in tuto poneret; illa enim erat ad interitū mergenda: Et Angeli vos urgent ut abeatis è mundo, vel reipsâ & facto, si quidem satis animi habetis, atque ad id vocamini, vel saltem affectu ac voluntate, contrarietate morum, & dissimilitudine vivendi, sensa nimirum opposita habendo, instituta contraria, discrepātem mentis intentionem, fines alios, dissimilemq; agendi viam. Vt enim jam dixi Deus & Dæmon consentire unâ non possunt: Dagon nequit suprà idem altare cum Arcâ Testamenti consistere: Jesus Christus non potest manere cum Belial: nequeunt dies & nox, lumen & tenebræ simul consociari. Aliunde porrò status inter utrumq; medius nobis non licet: neutrâ in partem addicti esse non possumus; ad alterutrum pertinere nos oportet, aut ad Jesum Christum, aut ad Diabolum: cives esse aut Ierusalem; civitatis pacis, aut Babylonis; urbis confusionis: aut destinatos esse Cœlo, aut obstrictos Inferis: æternùm aut fœlices aut miseros; aut prædestinatorum, aut reproborum è numero; aut amicos, aut hostes Dei; fœderatos aut cum Dæmone aut cū ejus adversario; sub uno Rege, aut Tyranno. Ierem. 1. *Obstupescite cœli super hoc & porta ejus desolamini vehementer, dicit Dominus: duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas?* Vide enim quid referas ex Dæmonum gubernatione & dominio, quid ex Dei regimine: quid tibi uterque proponit; quas leges, quę jura: Vide discrimen gubernationis: vide quid uterq; spondeat, vide quid præstet uterque, & quo tandem fine, & exitu utriusque gubernatio concludatur: Dæmonis æternâ damnatione: Dei & Christi æternâ fœlicitate, ad quam nos perducat

IESVS CHRISTVS.

Amen.

DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA.

CONCIO QUARTA.

Regnum Dæmonis à Christo destructum authoritate summâ & supremâ potestate.

Erat Jesus ejiciens Dæmonium. Lucæ 11.

IN superiori Concione dictum à nobis est CHRISTVM eo fine in hunc mundum venisse ut regnum Diaboli everteret, secundùm illud Ioannis in Epistolâ suâ 1. cap. 3. *In hoc apparuit Filius DEI, ut dissolvat opera Diaboli*: Quia verò id multis modis fecit, 1. veræ religionis institutione: in quâ solâ reperitur virtus ordinaria, & potestas

potestas ejiciendi Dæmones à corporibus per exorcismos, uti dixit Christus in nostro Evangelio : *Porrò si in digito Dei ejicio Dæmonia, profectò pervenit in vos regnum Dei* : 2. Morum, ac documentorum contrarietate : Denique, vi factâ, atque inustâ, & virtutis ac potestatis magnitudine, quâ regni alieni invasorem, & crudelissimum tyrannum vicit, prostravit, expoliavit : Et jam de duobus prioribus à nobis dictum est ; de hoc tertio, atque postremo nunc dicendum, adjuvante Divinâ gratiâ, quam nobis impetrabit ea quæ gratia plena est. AVE MARIA.

CUM tribus maximè modis Dæmon hominesit aggressus, & inter eos regnum suum stabiliverit : 1. fraude ; varios errores illis persuadendo, quorum maximus fuit circa divinitatem, & religionē, quâ ratione adorari se fecit in Idolis, & statuis sibi aras, & templa, & sacerdotes per nefarias ceremonias consecrando, quasi ipse esset Deus : 2. multis illecebris ea hominibus proponendo quæ grata essent sensibus, & concupiscentiæ, putâ divitias, voluptates, & honores : 3. potestate & violentiâ quam per se & per suos exercuit, terrendo minis, morbos incutiendo, immissione tēpestatum, horrendis apparitionibus, & corporum tormentis, & per tyrannos severis legibus, exilijs, carceribus, suppliciis atrocissimis, & ipsa morte : Christus qui eo fine venit, ut dissolveret opera Diaboli, tribus etiam modis regnum ejus dissipavit, & usurpatam dominationem abrupit.

1. Quidem, institutione veræ religionis, per quam errores à dæmonibus seminatos, & inductam superstitionem dissipavit : ac ne religio illa esset ignota, præter alia signa satis evidentia eam consignavit notâ quadam externa nempe potestate expellendi dæmones ab hominum corporib⁹, ut constarent in eadem quoque esse potestate eos expellendi ab eorumdem animis :

2. Contrarietate morum, & aliarum illecebrarum propositione, quibus homines retraherentur ab iis, quæ à dæmonibus proponuntur, & ad omnia alia, & contraria invitarentur, scilicet ad divitiarum, & voluptatum fugam, & honorum despectum :

3. Vi majore, & potestate excellentiore, quibus sic Dæmon prosterneretur, ut omnium pedibus eum conculcandum & conterendum subjiceret, secundum illud Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi suprà serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit* quòd autem dæmones intelligat, patet ex sequentibus verbis : *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur, gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis* ; Unde Apostolus Rom. 16. *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Verùm cum de duobus primis egerimus in præcedenti Concione, sequitur ut hodie de tertio tractemus, quomodo scilicet Christus viribus, & authoritate regnum Diaboli dissiparit. *A*clicet dæmon ut est maximè superbus, ac ferox, & ex suo nomine dicatur in *A*pocal. cap. 9. *Exterminans*, in omnibus passim reb⁹, in quibus se imiscet, imperiosè se gerat, & cum violentia, & ubique summam potestatem affectarit, quam cùm legitimam habere non potuerit, vim usurpavit, quod videre est in sacrificijs quæ exegit in Idolo Moloch, in Saturno & alijs item apud omnes ferè gentes, ubi coli voluit : Tamen nunquam sensibilius illam violentiam ostendit, quàm in Energumenorum possessione, & durissima tractatione in quibus summo iure utitur, & tanta violentia ac potestate, ut se gerat pro Domino corporis, & ipsius hominis, cujus potentiis, facultatibus, & membris ad libitum utitur. Ita cùm Christus in destruendo dæmonis imperio supra prædictos modos, usus sit viribus, & pote-

potestate, Id tamen apertissimè fecit, & manifestissimè in ejectione dæmonum à corporibus possessorum. Incipiamus ab hoc ultimo, & deinde aliud, quod est generalius, ostendemus.

Nota itaque, 1. licet in omni verâ religione fuerit aliqua ceremonia ad dæmones expellendos è corporibus, cum aliquâ in eos potestate, uti ostendimus fuisse apud Iudæos juxta Verba Christi in nostro Evangelio, *Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filij vestri in quo ejiciunt? Ideò ipsi iudices vestri erunt*; Nullibi tamem hoc evidêtius fuit quàm in religione Christianâ, in qua est etiam peculiaris gradus in Ecclesiâ qui vocatur Exorcistarum, & à nascente Ecclesiâ semper viguit uti videmus in scriptis SS.PP. Tertull. in Apolog. & ad Scapulam, Iustini Martyris in dialogo cum Tryphone, Arnobij contra Gentes: Cypriani Epistolâ ad Magnum, & alibi sæpe, sicut & apud alios.

Nota 2. Illam authoritatem sic esse concessam Ecclesiæ à Christo, ut habeat quandam dominationem & imperium supra dæmones: de quare sic loquitur Christus eo Lucæ loco mox allato. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem*, quasi adventu Christi deciderit de summâ illa authoritate quam habebat in mundo: unde subdit. *Ecce dedi vobis potestatem*, &c. Atque ut nihil timerent, addit, *Et nihil vobis nocebit.* Et ideò quasi gloriantes eâ de re Apostoli dixerunt: *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*: Vide autem quò pertineat, illa authoriras in dæmones: ut homines fragiles, & adolescentes, immò & pueri dæmonibus imperent; nunc loqui, nunc tacere jubeant; cogant respondere; ita torqueant, flagellent, urant, vexent, ut multa supplicijs fateri cogant, ut exeant in loca arida, & desertat, ne noceant; ut complices suos, & socios criminum, & usurpationis, ut sua nomina, sua officia & suas qualitates fatean tur, ac nisi id faciant puniantur tanquam rei & vilia mancipia: quod quia sponte faciunt nunquam, semper faciunt coacti, omnis autem coactio violentiam, & aliquam potestatem supponit. Quàm verè hæc à me dicta sint, ipsâ experientiâ docemur in Exorcismis, & significavit Christus cùm dedit potestatem calcandi supra hos serpentes. Audisti superiori Concione quid de eâ re dicat S. Cyprian. scribens ad Demetrianum Africæ Proconsulem, & ideo hîc retinemus: Sed audi alios. Tertull. in Apolog. cap. 23. loquens de his spiritibus: Illi, inquit, Christum timentes in Deo, & Deum in Christo, subjiciuntur servis Dei, & Christi: ita de contactu, deque afflatu nostro, contemplatione, & repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus, nostro imperio excedunt, inviti, & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes. Minutius in Octavio. Quidquid dæmonum colitis, victi dolore, quod sunt eloquuntur, &c. adjurati per Deum verum, & solum, inviti miseris corporibus inhorrescunt, & vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat. Iulius Firmicus cap. 29. de errore profanæ religionis. Ecce dæmõ est quẽ colis: cũ Dei, & Christi ejus, nomen audierit, contremiscit, & ut interrogantibꝰ nobis respõdeat trepidantia verba, vix se colligit: adhærens homini, laceratur, uritur, vapulat, & statim de commissis sceleribus confitetur. Lactant. lib. 2. cap. 15. Iustos autem, id est, cùltores Dei, metuunt: cujus nomine adjurati de corporibus excedunt, quorum verbis, tanquam flagris verberati, non modò Dæmones se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt: itaque maximis sæpe ululatibus editis, verberati se, & ardere, & jam jamque exire proclamant: & lib. 5. cap. 21. Cùm corpora hominum occupant, animasque divexant, adjuran-

rantur ab his, & nomine Dei veri fugantur: quo audito, tremunt, exclamant, & uri se verberarique testantur, & interrogati qui sint, quando venerint, quomodo, in hominem irrepserint, confitentur: sic extorti, & excruciati virtute divini numinis, exultant. Ex quibus omnibus & alijs locis innumeris patet Dæmones ejici è corporibus violentiâ & potestate aliquâ communicatâ hominibus in Dæmones quos torquent.

Nota 3. Illam authoritatem in dæmones sic esse communicatam Ecclesiæ, ut major sit in Christo: non solùm quia Ecclesia omnem illam authoritatẽ habet à Christo; unde semper ejus nomen interponit cùm aliquid jubet dæmonibus; sed quia Christi authoritas est altioris ordinis, diversæ rationis ab ea quam habet Ecclesia: quod ut intelligatur.

Nota 4. Ex Aristotele 1. Politic. cap. 3. Aliud esse imperium dominicum seu despoticum, aliud civile, ac regium, vel œconomicum, quod primum in animali animadverti potest: nam animus quidem [ait] in corpus, dominicum habet imperium: mens verò in appetitum, civile, ac regium: 1. potestas agit per imperium, & præceptum; altera per impressionem: primæ repugnari non potest, alteri potest: quia primæ paretur per obedientiam, alteri autem per naturalem subjectionẽ: Ita in homine membra obediunt despotico imperio, nam si volo, statim loquor, ambulo, manum moveo: appetitus autem non paret, nisi civiliter, itaque sæpe reluctatur voluntati: Sic alio modo uteris servo tuo, & alio modo baculo quem manu tenes: una potestas est absoluta, & realis: alia aliquâ ratione est civilis, & moralis, & diminuta. In nostro casu aliter Christus dedit Apostoli, & Ecclesiæ potestatem expellẽdi dæmones, aliter eã ipse habuit, & eâ usus est. Nam Apostoli in dæmones habuerunt potestatem tantum civilem, & œconomicam, unde potuerunt dæmonibus imperare, ac præcipere, qui si obedire detrectarent, eos punire potuerunt, & ut ostendimus ex SS. PP. flagellare, urere, torquere, & aliis pœnis affligere: Quòd si pervicaces dæmones offenderent, non potuerunt nolentes suâ authoritate acceptâ expellere reipsâ, sed tantùm punire, & augere supplicia: Itaque ejusmodi dæmones non expellebant, nisi accedente aliquâ vi majore divinâ scilicet, quã oratione, & jejunijs demerebantur: Sic quoque cùm multos alios sanassent Energumenos, multosque dæmones expulissent, ubi tamen ad eos Pater filium suum lunaticum attulit curandum Matth. 17. non potuerunt curare; cujus causam cùm à Christo quæsivissent: respondit *propter incredulitatem vestram*, & addidit. *Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem & jejunium*: Quia scilicet hoc genꝰ dæmoniorum pervicacissimum est, neque flagellis cedit. Ita Christus cùm ait expulsum dæmonem, quando redit, assumere septem alios spiritus nequiores se, quo nomine illos intelligit, qui obstinati sic sunt ut se pœnis vinci non sinant, ideòque difficilius ejiciuntur, subdit, *& fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*. Christus autem cùm esset Dominus, non tantùm habuit authoritatem civilem, seu regiam, sed etiam Physicam, & naturalem: Itaque ut Dominus loquebatur: Marci 9. *Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi exi ab eo, & amplius ne introeas in eum: & exclamans, ut multum discerpens eum, exiit ab eo*: Vide quid secutum sit Luc. 9. *Et stupebant omnes in magnitudine Dei*: Et Luc. 4. cùm in Synagoga dæmoniacus dixisset Christo, *Quid vobis, & tibi Iesu Nazarene? veniſti perdere nos: scio te qui sis, Sanctus Dei: increpavit illum Iesus dicens, obmutesce, & exi ab eo. Et cùm projecisset illum Dæmonium in medium, exiit ab illo, &c. Et factus est pavor in omnibus & colloquebantur ad invicem dicentes: quod est hoc verbum quia in potestate, & virtute*

imperat immundis spiritibus & exeunt. Christus itaque suo imperio, non tantùm voluntatem suam imdicabat, cui aut pareret dæmon, aut puniretur: sed etiam quod imperabat, reipsâ efficiebat, realiter, & Physicè expellendo. Et hinc rationem habemus cur Apostoli aliquando dæmones non expulerint: cur etiam aliquando Exorcistæ non expellant: cur in Ecclesiâ alij alijs sint potentiores: quod & alibi diximus de S. Antonio, qui cùm plures expulisset non potuit expellere principalem, dicens adversus illum ordinem nondum se donatum gratiâ, sed hanc esse gratiam Pauli Simplicis.

Non tamen inde sequitur Ecclesiam non habere potestatem in dæmones, quibus præcipere potest, & quos, nisi pareant, gravissimè punit, ac torquet, & in quos ut ait Cyprian. Epist. 21. ad Donat. Exercet pœnam talionis, plagâ occultâ, pœnâ manifesta: Sed sequitur non habere potestatem supremam atque despoticam, unde ad exorcismos, preces adjungit, & jeiunia, ut quosdam pervicatiores, & majoris ordinis expellat, non suis viribus, sed majoribus, scilicet Dei. Christus autem, ut Dominus, supremâ suâ authoritate usus dæmones expulit etiam invitos ac reluctantes: quem etiam egredientes deprecabantur.

Verùm quod fecit expellendo eos à corporibus; idem etiam præstitit in abolendo omni eorũ principatu in terris: quo pertinet insignis parabola de forti armato in nostro Evangelio contenta, quæ duas habet partes: quarum 1. significat quanta esset dominatio Satanæ in hoc mundo: 2. ostendit, quâ ratione ab hac dominatione expulsus sit.

Prima declaratur his Verbis. *Cùm fortis armatus custodit atriũ suum, in pace sunt omnia quæ possidet*: in quib⁹ verbis quatuor continentur.

1. Beelzebub Principem dæmoniorum esse eum qui comparatur forti armato & dicitur absolutè fortis od excellentiam naturæ: unde Apostolus Paulus Ephes. 6. *Quoniam nobis non est colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*: Deinde ex S. Irenæo lib. 3. cap. 8. dicitur fortis respectu nostri, quia fortior nobis est: secundùm illud Iobi 41. *Quia non est potestas in terra quæ comparetur ei*: Et Ierem. 31. *Redemit Dominus Iacob, & eripuit eum de manu fortioris eius*: Hanc autem fortitudinem sic exponit August. lib. 1. quæst. Evangel. cap. 4. quia sic tenebat homines sub peccato ut se ab illo liberare suis viribus non possent, nemo enim à peccato, nec à tentatione inimici propria virtute liberatur, sed succumbere necesse est, quare oportuit ut accederet nobis gratia Christi, quæ nos et peccato & tentationibus diaboli superiores faceret.

2. Non tantùm dici fortem sed etiam armatum: habet enim arma & quibus nos aggrediatur, & quibus se à nobis defendat ne ejiciatur, & vincatur. Arma eius sunt peccata nostra: nam ad alia peccata nos trahit per alia peccata: item, quò magis peccatis inficimur, eò minus ei resistere possumus, & eum lædere; & evadimus imbecilliores, & infirmiores. Arma etiam sunt bona hujus sæculi, sub quibus latent & se abscondunt Dæmones: nemo quippè Dæmoni tentanti consentiret, si per se ipsum accederet; appetitus enim hominis refugeret, & abhorreret: sed accedit proponendo delectabilia, utilia, & apparentia bona hujus sæculi, ut ad verè malum, quod est peccatum, attrahat; aut sub specie malorum apparentium retrahat à bono vero: ut accessit ad Christum, proponendo panes, & ostendendo regna mundi & gloriam eorum: aut per aliqua quæ sunt in creaturâ bona, in errorem inducit: ita creaturas persuasit esse Deos, & Solem ado-

adorandum, Astrum videlicet adeò munificum. Hoc sensu dixit Salomon Sap. 14. *Creaturæ Dei, in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominũ, & in muscipulam pedibus insipientium.* Arma quoque sunt dæmonis potentissima pravæ animi affectiones, & appetitiones quas movet contra nos, & exitat, sub ipsis delitescens: cùm enim illas excitet, & illis utatur, videtur esse noster sensus, quasi nos ipsi ageremus, cùm tamen ipse sit harum rebellionum author. Denique membra corporis nostri arma sunt quibus uitur, secundùm illud Apostoli Rom. 6. *Neque exhibeatis mẽbra vestra arma iniquitatis peccato.* Quæ omnia cùm dæmonem adjuvent, dicuntur arma fortis: quòd si solus timendus est, ut fortis, multò magis, timendus est cùm ejusmodi armis cinctus nos impugnat.

3. Quod dicitur, est, eum custodire atrium suum: quibus verbis significatur eum semper invigilare ne excludatur: per atrium autem intelligitur primus aditus, ne quis in ejus possessionem invadat: ille verò aditus est ignoratio Dei, & eorum quæ ad salutem conducunt, vel saltem incogitantia omnium rerum quæ homines ab errore, aut à malitia revocate possunt: de quo statu Isaias. *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos:* Itaque illud maximè providerunt dæmones, ne lux cœlestis in hominum mentes intraret, & ita atrium suum custodierunt.

4. Denique; eo modo in pace esse omnia: quibus verbis significatur hâc ratione dæmonem fuisse securum suæ possessionis, cùm nec ab hominibus in quibus habitabat expelli posse videret, nec Deum in illis habitare posse: cùm enim initium omnis boni sit prima bona cogitatio, sic homines, & mundum tenebris obvolvit, ut nec primum lumini, hoc est primæ gratiæ aditum relinqueret, & sic illis quos in sua plena potestate habebat, ad libitum abuteretur. Hinc videmus in quos errores & falsitates, in quæ peccatorum portenta homines deduxerit, ut pro dijs non creaturas solùm, non ligna, non lapides, non elementa, non extrema naturæ propudia, feles, crocodillos, sed febres, etiam morbos animi & corporis, sed ipsa etiam vitia colerent. Jam quid de hominum moribus dicam, qui fuerunt omnibus vitijs, & portentis inquinatissimi: utrumque complexus est Apostolus in Epistola ad Rom. cap. 2. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentium, propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis:* &c. *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ:* Vide itaque si cùm vitijs homines obvallasset dæmon, non esset eorum ipse securus: Et hæc fuit dominatio dæmonis in hoc mundo: in 1. parte parabolæ contenta.

Secunda Pars parabolæ continet quâ ratione dæmon ab hac dominatione sit expulsus. Certè non potuit nisi à fortiori, unde dicitur: *Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet in quibus confidebat,* &c. In quibus verbis satis intelligitur ab uno tantum dæmonem vinci posse qui non potuit esse merus homo, quoniam hominum ipse dæmon dominabatur; non Angelus, quia ejusdem cum ipso naturæ; non alter dæmon, quia omnes dæmones homini erãt æqualiter infensi, neque diyidi inter se voluerunt, ut securiùs regnarent, quare verè dixit, *Quòd si Satanas in semetipsum divisus est, quomodò stabit regnum ejus?* relinquitur ergo ut ille solus sit qui singulariter illo est fortior, nempe Christus, non tantum ut Deus, sed etiam

ut homo, propter humanitatem divinitati unitam, in quâ & per quam vicit ac superavit omnem inimici potestatem: unde Isaiæ 9. dicitur de Christo per excellentiam *vocabitur nomen ejus fortis*: & Psalm. 23. *Dominus fortis & potens, Dominus fortis in prælio*: Itaque meritò dixit Ioannes Baptista, Matth. 3. *Fortior me est* & Habacuc cap. 3. *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus: ante faciem ejus ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes ejus.* Quoniam igitur dæmon suis viribus usus est, & violenter homines tenuit sub suâ dominatione, Christus quoque suis viribus usus est ut dæmonem à suo regno detruderet. Vide autem ut hoc faceret, quid egerit: collectis omnibus quæ dicuntur de hac re à SS. Matthæo Marco, & Lucâ; quæ ad sex capita reducuntur.

1. Enim fortior supervenit secundùm illud; *Si autem fortior illo superveniens vicerit illum*, quibus verbis significatur 1. Christum supervenisse hoc est majori authoritate venisse, & quasi è cœlo; quod auxilium significat supremum, & quod dæmon, impedire non potuit: 2. vox superveniens significat determinatam voluntatem succurrendi: noluit enim Deus mundum semper manere sub tyrannide diaboli, sed tandem decrevit aliquando salvare: itaque certo tempore venit, secundùm illud quod ait Apostolus Act. 17. *Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubiq; pœnitentiam agant*, & Rom. 5. *Secundum tempus pro impijs mortuus est.* 3. Significatur, quod non opinanti adversario, & de sua præda securo, juxta illud, *in pace sunt omnia quæ possidet*, Christus supervenerit: unde apud Matth. 8. conqueruntur dæmones cùm eos Christus ejiceret. *Quid nobis, & tibi, Iesu Fili Dei? veniſti hûc ante tempus torquere nos?* neq; enim dæmones putarant se unquam ex suâ possessione ejiciendos, nisi in fine mundi, scilicet in die judicii, quod non tàm citò venturum autumabant; sed aliud fuit judicium quo excluſi sunt à suâ dominatione, de quo scilicet dixit Christus Ioan. 12. *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* 4. Significat hęc vox aggressionem dæmonis & invasionem, à Christo, quod facere incœpit in deserto in illo conflictu cum dæmone, unde posteà aperto marte eum ubique persecutus est.

2. Sic eum aggressus est ut eum debellarit, devicerit, ac prostrarit: quod patet in illo triplici conflictu; & fuit dæmoni molestissimum post tot reportatas victorias ab initio mundi: neminem enim aggressus erat quem ipse non vicisset. Ideò semper in Evangelio describuntur dæmones ante Christum aut clamantes, aut fugientes aut deprecantes, ac supplices: ut scias semper victos fuisse; neque id mirum, quoniam cum fortiori rem habebant.

3. Fortem alligavit: & id pluribus modis fecit. 1. Quia ex Augustin. non tantùm dæmonibus permisit, sicut ante Incarnationem, & ita secundùm quod dicit 20. de Civit. cap. 7. & 8. non finitur dæmon nocere quantum potest, neque agere totis suis viribus, &c. Nam neque violenter homines trahere finitur, aut fraudibus decipere, sed uti dicitur apud Iobum ex interpretatione S. Gregorii. *Qui fecit eum, applicat gladium ejus*: alligatio dæmonis est restrictio permissionis; 2. Christus sic dæmonem vicit post absoluta certamina, ut efficaciter dixerit *vade Satana*, quâ voce eum sic repressit, ut dæmonem timore, & horrore compleverit, & audaciam ejus omninò fregerit, adeò ut deinceps ad Christum accedere non sit ausus, nec multa audere contra ipsius sequaces. Dæmon igitur ligatus est cùm ipsius vires virtute CHRISTI timore debilitatæ sunt; 3. quoniam cùm post CHRISTI mortem abundantior gratia concessa sit fidelibus, quò fideles facti sunt robustiores, eò minus contra eos potuerunt dæmo-

dæmones. Denique Christo descendente ad Inferos, cùm Patres è limbo liberavit, Principem dæmonum ligavit in abyssо, solvendum tantum sub finem mundi. Eò pertinet locus cap. 20. Apocalypseos *Angelus descendit de cœlo, habens clavem abyssi, & catenam magnam in manu suâ, & apprehendit Dæmonem, serpentem antiquum, qui est diabolus & Satanas, & ligavit eum* : Qui locus alludit ad caput 24. Isaiæ, uti doctissimè explicat Turrianus lib. de Euchar. cap. 32. *In illa die, visitabit Dominus militiam cœli in excelso, & super reges terræ, qui sunt super terram, & congregabuntur in lacum, & claudentur in carcere, & post multos dies visitabuntur* : Illa visitatio, est solutio : Quia uti dicitur in Apocalypsi. *Post hæc, illum oportet solvi modico tempore*, ultimo enim tempore, quo erit Antichristus solvetur dæmon, plusquam illi permittetur, & graviùs tentabit : Vnde prædicit CHRISTVS futuram tantam deceptionem ob signa, & prodigia, ut in errorem inducendi sint, si fieri posset, etiam electi : Sed nunc dæmon ligatus est secundùm illud *Princeps hujus mundi jam judicatus est*, & ligatus in abyssо, ubi detinetur, & ablata est ab eo omnis potestas nocendi per se, cùm sic ab hoc mundo expulsus, nec jam noceat ac tentet nisi per inferiores dæmones; qui semper id deprecabantur, cùm ejicerentur à corporibus, ne mitterentur in abyssum, quod Christus eis cominabatur uti dicitur Marci. 9.

4. Devicto, & alligato dæmone, facile fuit, quod deinde additur. *Vniversa arma ejus auferet in quibus confidebat.* Christus enim omnia in suum usum convertit : Peccata hominibus remisit, & Sacramenta instituit quibus remitterentur : animas sanctificavit, & cætera dæmoni arma abstulit : illuminavit homines luce doctrinæ & Evangelii : eorum passiones ad se convertit, amorem, gaudium, spem tristitiam timorem, ea objecta proponendo quæ vehementissimè animum percellerent, atq; ab his visibilibus abstraherent, horum varietatem ostendendo, vilitatem, brevitatem, & contemptum : membra ipsa subjiciendo justitiæ, & mortificationi : conversis rebus omnibus in contrarios usus : & eâ ratione exarmato dæmone.

5. Subditur ex Matth. 12. *Vasa ejus* ipsum *diripere* : Vasorum nomine, vel intelliguntur ij quibus dæmon usus est ad alios perdendos, vel ipsius domus supellex : expilat autem CHRISTVS domum ipsius, abripit ejus instrumenta machinasque bellicas, armamentarium occupat, commeatum, milites, præsidia intercipit, foràs extrudens quod inutile est, minusve firmum ; reliquum ad commodum suum reservans. Itaque passim cùm homines pessimi nonnulli inserviant dæmoni ad ejus regnum promovendum, dicuntur ejus vasa, seu instrumenta : ut qui propositis falsis dogmatibus alios deceperunt : Tales fuerunt veteres plerique Philosophi seminatis variis erroribus : Tales iniqui & impij Principes, per quos prorogata Idololatria : Hi vasa dæmonis, & vasa iniquitatis dicuntur : Instrumenta vasaque improbitatis & nequitiæ : quales etiam fuere hæresiarchæ, & similes homines : Eodem sensu Genes. 29. dicuntur Levi, & Simeon *vasa iniquitatis* : quoniam authores fuerunt cædis Sichimitarum : Ita Paulus dicitur *vas electionis*, quia innumeri per ipsum erant convertendi : Ita sol dicitur *opus excelsi, vas admirabile* : Eodem modo Chrysostom. hæc vasa interpretatur inferiores dæmones qui principi dæmoniorum inserviunt, nocendo hominibus : Hæc porrò vasa Christus non tantum modo diripit, sed & diripuit, quia & dæmones inferiores expulit à corporibus, & ab animis, & homines impios ad se suasque partes traduxit : Ita Idolorum Sacerdotes conversi, & errorum magistri : Ita ad fidem

adducti sunt. Principes, atque Reges, per quos deinde fidem auxit in populis, quos eorum exemplo, atque authoritate permovit: Ita libris Philosophorum usi sunt viri Apostolici, ut veritatem Evangelicam stabilirent, & errores patefacerent, quod magno successu præstiterunt.

6. Ac denique, spolia ejus partitus est, secundùm illud, *Et spolia ejus distribuet*: Per hæc spolia ipsi homines intelliguntur qui prius sub Dæmonum potestate fuerant, qui transeunt in possessionem DEI, atque à Dæmone auferuntur: sicut etiam innumera templa, loca, divitiæ, ornamenta, provinciæ, à quibus Dæmon expellitur. Ita enim multa regna integra facta sunt provinciæ, & partes minimæ Ecclesiæ, & Regni Christi: Ita montes, fontes, flumina, luci, quæ olim Dæmonibus erant consecrata, vero Deo sanctis & melioribus ceremoniis dedicata sunt, & ubique erectum est Crucis trophæum, & omnia loca Christi nomine personaverunt: Ita Christus in mundi conversione, divisit spolia, cùm homines variis donis Spiritus sancti exornavit; eosque in diversa elegit munera, atque officia: ex illis quosdam constituit Apostolos, quosdam Prophetas, & Doctores, quosdam Sacerdotes, quosdam Levitas, quosdã solùm fideles, quos omnes eripuit de potestate Diaboli: quod quotidie fieri videmus per omnium nationum conversionem.

Ex his omnibus patet quomodò Christus regnum Diaboli destruxerit maximâ ex parte, quod quotidie facere pergit, & semper faciet usq; ad finem mundi, donec penitùs aboleverit; tunc enim continget quod ait Apostolus 1. Cor. c 15. *Deinde finis; cùm tradiderit regnũ Deo, & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet autẽ illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*; quibus verbis significatur abolitio Dæmonum, unde etiam nomina suæ potestatis amittent.

Quæ cùm ita sint: Collige 1. quibus animis cum universo Dæmonum genere certare debeamus, quandoquidem & Deo duce, & Christo auspice pugnamus, & cum hoste devicto, & prostrato: Psal. 26. *Qui tribulant me, inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt: Si consistant adversum me castra: non timebit cor meum*: Itaq; sic nobis animos addit Christus Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*: Et Rom. ultimo. *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter*: S. Chrysost. ne vult quidem nos certare cum Dæmone, quasi æqualis esset pugna, sed vult nos conculcare devictum, & prostratum. At quid passim fit? Omnes se ei subjiciũt per ignaviam, & ei voluntariè se submittunt. Quid enim non potest inter homines, cùm ei omnia serviant, pompæ, deliciæ, divitiæ, ingenia, linguæ, scripta, & quidquid est eximii. Sed quid queror quòd pauci admodùm utantur Christi victoriâ, ut scilicet proculcatum, ipsi proculcent, quasi ipsis satis sit, cum eo pugnare; licet cùm pugnatur incerta sit victoria; quid, inquam, queror, cùm etiam admodùm pauci sint qui cũ eo, & adversus eum contendant. Quotusquisque enim est qui hoc faciat? Quis ei resistit? Sanè qui certando defendit se, & talem adversarium lædit. Ex his duobus quid à te factum est? Quidquid Dæmon tibi proponit id efficis, nec ei vel minimè repugnas: Id in te quotidie experiris, nec ullâ ratione negare potes: Itaq; non tetãtùm Dæmon ferit, non tantũ dejicit, sed proterit, sed conculcat: nec illi opus est magno certamine, nec majori conatu, non potentioribus armis, sed minimâ solùm aggressione. Verùm neque hoc est malorum postremum; sed multi Dæmonem adjuvant, & cum eo sociantur, & arma ejus fortiora reddunt, nec contenti sunt quòd

magna

magna pars fiant regni Dæmonis, in quibus ille regnat summâ potestate, secundùm illud Iobi cap. 18. *Et calcet super eum, quasi rex interitus*: immò etiam sub eius signis militant, ut eius regnum promoveant: quin & ipsimet fiunt Dæmonis præliantis iacula. Vide hunc nebulonem cum Dæmone arma sua sociantem. Jam plures annos Dæmon huic Virgini bellum indixit, iam sæpe totis viribus conflixit, nec eius constantiam vincere potuit: Et iste nequam Adolescens suis obsequiis, suis illecebris, suis donis, sua assiduitate, sua perseverantia, id consecutus est: Infœlix planè victoria! *Quid gloriaris in malitiâ, qui potens es in iniquitate?* Tu quidem plus Dæmoni conflixisti quàm tibi, plus illi lucratus es, quàm tibi: Tu enim voluptatem fluxam, & propudiosam lucratus: Tu illi corpus & animam puellæ lucratus es pessima victoria, sed fortassis æterna: Tu de illa, de teipso, Dæmoni tropheum erexisti, cuius posteà te pœnitebit Eheu! vos ambo qui peccastis. *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Rom. 6. Pudeat te ô misera post tot victorias à Dæmone reportatas, tot coronas acquisitas, post tot conatus elusos, tot insultus repulsos, unius adolescentis aspectu, blanditiis, verbis, precibus, lacrymis, munusculis esse devictam? Tàm ne vilis visus est tibi virginitatis thesaurus, quem multæ nobiles puellæ, & principum matrimoniis, & supremorum honorum titulis, & ipsis coronis, atque imperiis prætulêre: quem ipsa morte, tot martyres cruenta morte maximis redemêre supplicijs: & quem Virginum Virgo sic æstimavit ut proposita ipsius Dei maternitate, nescia an cum dispendio Virginitatis daretur, hæsitaverit an esset acceptatura: ait enim, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, nec nisi secura de virginitate consensit: *Ne timeas Maria*, &c. ut sciret quàm sit verum quod dixit Sapiens, Eccli. 20. *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.* Qui imitaris heroinas illas fortissimas quæ semper in castris pudicitiæ meruerunt? Eccli. 4. *Pro justitia agonizare pro animâ tuâ, & usque ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit pro te, inimicos tuos.* Resiste visibilibus hostibus, & Deus invisibiles pro te expugnabit. Audi quomodo te ad certandum provocet, Ioan. 16. *Confidite, ego vici mundum*: Item, *Princeps hujus mundi jam judicatus est.* Cogita quo exemplo, quo adiumento, quo hortatore, quo duce, & quo auspice decertes. Cogita etiam quo periculo, & qua mercede pugnes. Agitur de summa. Christum sequere, Deum audi, vide Iesum spectantem te de cœlo. Audi hortantem, expecta succurrentem, time minitantem, sequere vocantem, spera remunerantem, sustine coronantem. Sic ista, ut certes, sic certa ut vincas, sic vince, ut coronaria liquando merearis. Certè *omnis qui in agone contendit*, ait Apostolus 1. Cor. 9. *ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.* Vide quo te exemplo provocet Apostolus, & qua mercede alliciat: ea quidem qua nulla maior esse potest, cùm sit gloria æterna, ad quam nos perducat qui est benedictus in sæcula. Amen.

DOMI-

DOMINICA TERTIA
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO QUINTA

Quæ prima est de relapsu in peccatum.

Et sunt novissima hominis illius pejora prioribus.
Lucæ 11.

OCCASIONE miraculi à Christo facti in liberatione hominis possessi à Dæmone, & sanati à triplici morbo cæcitate, surditate, & linguæ impedimento; uti mos eius fuit instructionem moralem subiecit, exemplo hominis à Dæmone liberati: qui si negligentior fuerit, id efficit otiosâ remissione, ut Dæmon expulsus in loca arida, & inaquosa, hoc est ab hominibus non habitata, nè illis noceat cùm requiem non inveniat, eò quòd nemini nocet; assumptis aliis dæmonibus septem, hoc est pluribus, nequioribus se, & magis perniciosis, & obstinatis, in eundem è quo exierat regrediatur, & ita status illius Energumeni sit longè pejore loco quam fuerit. Addit autem, *Sic erit generationi huic pessimæ.* Id S. Chrysost. in omnes extendit, & nos acceptâ inde occasione, dicemus de re admodùm utili, nempe de relapsu in peccatum, communissimo omnium hominum malo. Quoniam verò occasione hujus doctrinæ, exclamavit quædam mulier. *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti*: verba quæ Ecclesia in B. Virginis laudem assumpsit, æquum est, ut peculiarem Virginis opem in ea explicanda speremus. AVE MARIA.

SIMILEM discursum aggrediens S. Chrysosto. homil. 10. in Epistolam ad Hebr. Ita orditur: Cum timore audiamus Dei eloquia, cum timore inquam, & tremore: si autem & gaudium nostrum, & exultatio nostra, debet esse cum tremore dicente Psal. 1. *Servite Domino cum timore, & exultate ei cum tremore*; quandoetiã quæ dicuntur sunt terribilia, ut

nunc

nunc, quo supplicio non sumus digni, si ea quæ dicuntur, non audiamus cum tremore. Ego verò verò iis verbis mihi initio utendum esse censui, tùm quia intelligo multos eum timorem excutere, àquo salutem conceperant; tùm quia rem maximi momenti habemus præ manibus, in quâ nullus est, qui miro modo affici non debeat: cujus rei magnitudinem ne ullus orationis fuco, & artificio tribuat, eâ planissimè atque ad rudium intelligentiam apertissimè explicare aggredior. Materia autem est de relapsu in peccatum, seu ut vulgariter loquar de peccato recidivæ malo omnium communissimo & luctuosissimo: quid verò illud sit, sic accipe.

In Deuteron. cap. 24. Permittitur Iudæis repudiatio uxoris ex causa aliquâ legitimâ, ut fœditate, sive in moribus, seu in corpore, ut morbo aliquo odioso: hâc tamen conditione, ut si alteri nupsisset, posteáque sui iuris esset facta, vel secundo repudio, vel morte alterius mariti, non posset prior maritus recipere eam in uxorem: *Quia polluta est, & abominabilis facta est, coram Domino.* Id est, ex Abulensi, quia ab ipso priore viro, coram Deo, & toto populo abominabilis iudicata est: *Ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam*: Id est ne sis scandalo contribulibus tuis, ac non videaris priùs non verè existimasse in illâ creaturâ fuisse fœditatem, sed tantùm te variationem conjugii, & vagam optasse libidinem: Vel 2. ne hâc re occasio detur homicidiis, aut lenocinio. Vtramque causam agnovit Philo Iudæus lib. de specialibus legibus, ubi hujus mandati has subdit causas. Quæ repudiatâ alteri nupsit, redire non potest, quia vinculi oblita pristini, novos amores prætulit veteribus: qui autem receperit, virum exuerit; ut cui sit exemptum vitiorum odium, ac duplici notâ sit insignis: adulterii, & lenocinii: hæ enim reconciliationes ferè non sunt sine veneficio. Ita si peccatum tuum odisti, & factâ pœnitentiâ illud deservisti, quia judicasti abominabile; sic enim Ezechiel. cap. 18. motum pœnitentis exprimit: *Considerans enim & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est, vitâ vivet, & non morietur*; non tibi licet posteà ad illud redire, , *Ne peccare facias terram tuam quam Dominus Deus tuus tibi tradiderit possidendam*; id est ne sis aliis scandalo, quasi gustato & peccato, & justitiâ, peccatum meliùs esse ostendas quam justitiam. Quo crimine quoniam plurimos contaminatos esse intelligo, sinite me ut hodiernâ die sensum meum super eâ re uberiùs exponam: Quòd si quibusdam severior atque durior esse videbor, date hoc dolori meo, ac sensui, non ei dissimili quo Sapiens se æstuasse dicit, Eccli. 26. *In duobus contristatum est, cor meum, & in tertio iracundia mihi advenit: vir bellator deficiens per inopiam; & vir sensatus contemptus; & qui transgreditur à justitiâ ad peccatum*: Deus paravit eum ad romphæam: Atque ut ordine ad majorem lucem procedamus.

I. Propositio. Homini recidivo, ac in eadem peccata sæpius relabenti, valdè suspectus esse debet status suus, etiam cùm videtur esse optimus, cùm nimirum plangit præterita, & agit pœnitentiam. Probatur. Quia dubitare meritò potest, an per Sacramenta Confessionis & Communionis gratiam recipiat: quæ non dico, eo consilio, ut conscientias scrupulis implicem, aut novas difficultates moveam, sed quia res explicatu difficilis mihi esse videtur.

1. Ratio est. Quia cùm ea Sacramenta,

ta, ubi benè recipiuntur, præter gratiam sanctificantem, quæ est effectus communis omnium Sacramentorum, dent præterea per gratias actuales robur ad non deinceps peccandum: ille tàm facilis post confessionem lapsus, satis ostendit non esse datam gratiam ejusmodi firmitatis, quæ tamen certus est effectus bene susceptı Sacramenti.

2. Ratio est. Quia ille tam facilis relapsus indicio est, habitam tantum esse simplicem displicentiam, non autem efficacem dolorem, & voluntatem veram abstinendi: si enim habita fuisset efficax voluntas, non tàm facilè iterùm recidisset, ut apparet in rebus aliis humanis, in quibus illud sanè fit quod volumus, si absolutè volumus. At sine dolore, & voluntate efficaci, nemo recipit veniam peccatorum: & proinde qui per plures annos vixit in prolapsionibus repetitis, meritò timere debet, ne in peccato semper fuerit. Quid enim contingit frequentiùs quam ejusmodi homines unicum tantùm diem à quibusdam peccatis abstinere; eo scilicet die quo confitentur; & altero die cadere, præsertim in magna peccata, & magis illecebrosa? Propterea si in morbum incidant, qui tandem timores, quæ animorum anxietates in agonizantibus, dum de præteritis dubitant? Nam ita Ecclesiasticus cap. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum, super peccatum*: ut intelligas qui adjicit peccatum super peccatum, non debere esse sine metu de propitiato, quod nimirum malè existimat esse propitiatum, sive condonatum. Etenim si in morbis corporeis post morbi curationem, aliquem videamus in morbum iteratò recidere, rectè judicamus vere nunquam sanatum esse, nec humorem noxium omnem evacuatum fuisse, unde pronuntiatum Hippocratis Aphorismo 12. li. 2. Quæ relinquuntur in morbis, recidivas facere solent, seu quia magis ac magis corrumpuntur, seu quia laudabili alioqui alimento se adjungunt quod inficiunt: Cur non idem asserimus de eô homine, qui in eadem peccata relabitur?

3. Ratio satis affinis est secundæ, & petitur ex S. Greg. Magno in Pastorali part. 3. admonit. 31. Quia ita plerumque mali inutiliter compunguntur ad justitiam, sicut plerumque boni innoxiè tentantur ad culpam. Fit quippe mira exigentibus meritis dispositionis internæ mensura, ut & illi dùm de bono aliquid agunt quod tamen non perficiunt; superbè inter ipsa quæ etiam plenissimè perpetrant mala confidant: Et isti dum de malo tentatur cui nequaquàm consentiunt, quò per debilitatem ac infirmitatem titubant, eò gressus cordis ad justitiam, per patientiam & humilitatem verius figant, &c. Quid est ergo quod ille compungitur, & tamen justitiæ nõ appropinquat? iste tentatur, & tamen eum culpa non inquinat? nisi hoc quod apertè ostenditur, quod nec malos bona imperfecta adjuvant; nec bonos mala inconsummata condemnant. Hæc ille. In quibus verbis videmus aliquâ ratione bonos tentari, ut mali per gratiam vocantur ad bonum: & sicut in bonis mala suggestiones inchoant malum, quod ipsi voluntate non perficiunt; de quo dicit Apostolus Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio*: ita in malis gratia inchoat omnes sensus bonos, quos tamen ipsi non perficiunt, sed quia in se illos sentiunt motus, putant suos esse: unde sibi frustra blandiuntur, & in hoc, plurimorum est deceptio: *Sed non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, ille intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, ille intrabit in regnum cœlorum*: Advertendum itaque est est, eundem esse sensum in nobis, & voluntatis quæ datur

per

per gratiam excitantem, & inefficacis, & efficacis, si fiat comparatio circa bonum propositum, cum tamen neque motus gratiæ, neque voluntas inefficax, hominem faciant justum, seu ut ipsa justitia, seu ut dispositio ultima ad justificationem, sed sola efficax voluntas, quæ si in aliis rebus semper habet effectum suum, certè etiam in rebus pertinentibus ad justitiam. Unde ergo securitatem habere possum habitæ illius à me voluntatis si suum non habeat effectum? quis est autem effectus propositi efficacis de non aliqua re facienda aut de ipsa facienda, nisi rei ipsius effectio, aut fuga? Cùm itaque ejusmodi voluntas necessaria fuerit ad justificationem, eaque talis sit, ut naturaliter suum habeat effectum; quid aliud relinquitur quàm ut dicamus, eam quæ non habet effectum vere non fuisse efficacem, & consequenter eam quæ sic est habita, non fuisse sufficientem, & demùm ejusmodi homini qui tam facilè relabitur, valde suspectum esse debere statum suum etiam cùm ei optimus esse videtur.

II. Propositio est. Hujusmodi hominis admodùm difficilem esse & quasi impossibilem, tùm emendationem, tùm salutem: quæ cùm à me dicuntur, ne quisquam hinc errandi, aut desperandi occasionem arripiat.

Nota 1. Non me hîc loqui de peccatis quæ ex infirmitate committuntur, quæ Sanctus Augustinus vocat quotidiana peccata, quæ ratione conditionis humanæ vix possunt vitari propter easdem occasiones, & perseverantem in nobis eandem infirmitatem, ut sunt in oratione distractiones, verba otiosa, motus præcipites, leves impatientiæ, &c. quanquam unusquisque teneatur ea vitare quantùm potest, & eorum saltem numerum imminuere, & minùs voluntariè in ea incidere: de iis inquam non loquar, cùm ea sint quæ potiùs videantur nobis elabi, quam ex deliberatione committi: sermo est de peccatis plenè voluntariis, & maximè de lethalibus: & quidem etiam de venialibus plenâ cum advertentiâ voluntatis, respectu emendationis quæ in recidivis fit quasi impossibilis:

Nota 2. Cùm dixi in recidivo emendationem ac salutem admodùm esse difficilem, ac penè impossibilem, me non loqui absolutè. Etenim uti rectè docet S. Athanas. in quæstionibus ad Antiochum quæst. 93. Deus semper ad se revertentem respicit attentâ mutabilitate naturæ humanæ: Qui enim Petro annuntiavit septuagies septies fratri ignoscendum, multo magis ipse, & vel septies millies homini ignoverit resipiscenti. Sed impossibilem eo modo accipio, quo ipse Christus, quando dixit, *impossibile esse hominem divitem salvari*, hoc est ægerrimè id fieri: immò ægriùs id dico accidere recidivo, quàm diviti de quo Christus loquebatur: unde statim subdit ibidem S. Athanasius: Hoc tamen scitote, quòd anima quæ in consuetudinem abit peccandi sæpius, & sæpius, resipiscendi, contempto Deo ad peccatum reversa, difficulter rectè ejusmodi anima desistat à peccato, sicut canis macellarius ad fremitum assuetus. At, inquies, fieri potest ut qui in peccatum relabitur, per Sacramenta gratiam acceperit? Et certè accepit, si verè accepit, si verè pœnitens, & dolens, & cum proposito accessit; licet ob malos habitus, & pravam consuetudinem facilè relabatur, uti passim in multis quotidie fieri videmus: & hoc ipsum est quod vulgo homines putant, & quò plurimi spem suam alentes sibi blandiuntur. Sed hoc alterum dico, in ejusmodi hominibus salutem ferè esse desperatam, & emendationem quasi impossibilem.

Probatur verbis Apostoli Hebr. 6. *Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, &c. gustave unt nihilominus bonum DEI verbum, virtutésque sæculi*

venturi , & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam , rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes: Scio plerosque ex SS. PP. hunc locum interpretari de baptismo: Non repugno: At dico non dicere Apostolum semel baptizatos non posse rebaptizari: sed non posse renovari per pœnitentiam ; hoc est recuperare per pœnitentiam primam illam revocationē acceptam per baptismum, quæ hominem eximat & ab omni culpa , & à pœna. Posset tamen tanta esse pœnitentia ut id faceret, sed ob summam difficultatem, id esse impossibile asserit Apostolus; præterquam quòd rarissimè id fieri hinc facilè colligere possumus, quòd ejusmodi homines cùm per summam ingratitudinem peccarint , tot donis quæ hîc enumerantur abusi , non illis hoc concedere soleat Deus, Jam à paritate rationis: Qui tàm facilè ab accepta gratia recedunt, non facile eos Deus in pristinam gratiam reducit: quod & ostendit idem Apostolus in eadem Epist. cap. 10. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicij, & ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios. Irritum quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit,* &c. In his quippe verbis continetur doctrina quam attulimus, perdifficilem esse ac penè impossibilem salutem relapsorum: nam licet absolutè non sit impossibilis, & propterea multi hunc locum explicent de secundo baptismo; ut tamen ita vocetur sufficit, quòd rarissimè contingat, ut Deus ijs qui in gravia peccata relabuntur, veram pœnitentiam largiatur: quod probat Apostolus ex figura condonationis peccatorū in lege: Licet n. in lege veteri pro quibusdā peccatis instituta esset expiatio per quoddam sacrificium, tamen pro peccato per superbiam & contumaciam commisso, nulla prælcribebatur hostia : sed ut loquitur Apostolus, *Sine ulla miseratione duobus , vel tribus testibus moritur* : uti fusè declaratur Numer. 15. *Tam indigenis, quem advenis, una lex erit omnium , qui peccaverint ignorantes. Anima vero quæ per superbiam aliquid commiserit , sive civis sit ille, sive peregrinus, (quoniam adversus Dominum rebellis fuit) peribit de populo suo: verbum enim Domini contempsit , & præceptum illius fecit irritum, idcirco delebitur & portabit iniquitatem suā*: Et ita significatur quod intendimus ejusmodi peccatorum apud nos raram esse pœnitentiam ac difficilem veniam. Itaque sicut in Angelis ubi peccaverunt, non fuit expectatio ad pœnitentiam , sed irrogatio pœnæ, non quòd non potuerit Deus dare locum pœnitentiæ sed quòd noluerit: & ita statim corripit peccantes : Idem ferè contingere ait Paulus voluntariè peccantibus post agnitam veritatem , *quibus jam non relinquitur hostia pro peccatis* , id est veniæ spes, ac remedium, per alluſionem ad legem veterem: *sed terribilis quædam expectatio judicij , & ignis æmulatio* (id est ignis vindicans ac zelans honorē Dei) *qua consumptura est adversarios.* In quo peccator sanè decipitur graviter: nam cùm primò peccasset, atque ei venia data esset ; ex impunitate concessa , sperat posteà se deinceps impunè peccaturum : sed fallitur: quia dùm quisque peccare incipit, quid peccatum sit, fermè ignorat: discit verò peccando; quid enim peccatum sit, experitur: ac deinde etiam magis agnoscit , dùm in gratiam redeundum est : posteà verò dùm relabitur, id magis voluntariè , atque scienter facit. Itaque voluntariè peccanti , *jam non relinquitur pro peccatis hostia* , sicut in veteri lege nulla erat pro majoribus delictis , sed pœnæ erant luendæ : hoc est, nullum superest remedium: non quòd desit potentia, sed quod ita accedere soleat. Proinde hæc doctrina nō favet

Novatia-

Novatianis; quasi lapsis, aut etiam relapsis neganda sit pœnitentia: id enim falsum est : sed tantum dicit Apostolus quid fiat, & quid soleat. Etenim licet aliqui tales convertantur; & absolutè loquendo omnes possint; tamen, ut iterùm & iterùm idem repetamus id rarò contingit, ut Deus salutarem pœnitentiam inspiret efficaciter ijs, qui in gravia relabuntur peccata; unde oritur quædam moralis impossibilitas, quæ duo significat, & id ægrè fieri, & valdè rarò: de quâ impossibilitate Apostolum intelligo, non autem de absolutâ, quod erat dogma Novatianum.

Oritur autem hæc moralis impossibilitas seu maxima difficultas. I. Ex parte DEI qui licet veniam ut oporter deposcenti nunquam deneget, non semper tamen efficaciter vocat in infinitum, sed ejusmodi gratiis terminum ponit. Audi quid dicat Amos 1. *Hæc dicit Dominus : super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor*, id est, ex phrasi Scripturæ super quarto scelere, *non convertam eum*, & multa, alia similia in eodem capite : quæ ita exponit Hieron. Ego hactenus tuli peccata, & crudelitatem Damascenorum, iterùm, & tertiò : sed quia quartum peccatum addiderunt, non convertam illos, itaq; extremo afficiam supplicio. Vnde & ex aliis pluribus locis, inferunt Theologi, Deum certam parcendi mensuram destinasse respectu singulorum, quâ impletâ, nulla sit amplius expectanda conversio, ob negationem gratiæ efficacis, licet dentur gratiæ sufficientes, cum quibus, etsi quivis possit operari, nemo tamen operatur: Et ita ex Augustino Pharao induratus est, post primum relapsum, neque enim omnibus eandem mensuram posuit Deus. Tu verò qui tam facilè relaberis, quid scis an mésuratua vel sit expleta, an verò illi explẽdę multùm aut parũ supersit? Dicitur Io. 3. *Spiritus ubi vult spirat & nescis unde veniat, aut quò vadat*. quem locũ sic exponit Alfredus. *Nescis unde veniat*, cũ nescias utrũ amore, an odio, dignus sis; & utrũ misericordiã præroget, an mercedem restituat, an exerceat judicium, scire non possis; *aut quo vadat*; utrũ videlicet è vicino subsistat, postmodùm reversurus; an longius eat, post multum temporis rediturus; an offensus recedat, nunquam denuò reversurus. Eôdem pertinet quod Christus nullum à mortuis bis excitavit : Lazaro quidem post primam mortem, jam ferè putrefacto vitam restituit; sed Nazian. orat. in S. Baptisma, suscitatum Lazarum sapienter monet: Cave ne rursus emoriaris, funibusque peccatorum constringaris, incertum est enim an rursus ad vitam excitandus sis. Facit in hanc rem aptissimè exemplum Samsonis Judic. 16. qui cùm ligatus variis modis, Dalilæ dolo, sese ad Philistinorum appellationem excussisset, tandem cùm ei crines essent abrasi, ac putaret, uti aliàs fecerat, se omnia vincula disruptum, sensit se sine viribus esse, atque à Domino derelictum: *Qui de somno consurgens, dixit in animo suo : Egrediar, sicut ante feci, & me excutiam, nesciens quod recessisset ab eo Dominus* vide duo : nesciebat Dominum à se recessisse: deinde id nesciens, ajebat intra se, *egrediar sicut ante feci*. Ambros. epist. 70. Ex somno experrectus, faciam (inquit) sicut soleo, & excutiam me super adversarios: sed neque animi sui alacritatem, nec virtutem agnovit, nec vigor erat, nec gratia manebat.

Atque ut intelligas relapsum in singula peccata mortalia non abesse à periculo, idcirco Deus de variis populis meminit in Prophetâ Amos, ut videre est c. 1. & 2. de Damascenis, de Gazæis, de Idumæis, de Ammonitis, de Moabitis, & demum de ipsis Iudæis & Israëlitis : quæ si ego in singula quæ ibi reprehenduntur peccata retulero, nemo est qui multum timere non debeat.

II. Oritur hæc maxima difficultas ex parte hominis in peccatum relabentis. 1. quidem quod ejusmodi hominem Christus judicet

parùm idoneum regno Dei. Luc. 9 *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei* : quod S. Greg. ita explicat homil. 3. in Ezech. Hic retrò post aratrum respicit, qui post exordium boni operis, ad mala revertitur, quæ reliquit. Hoc autem Christus expressit mirabili exemplo Lucæ 17. *Memores estote uxoris Loth*, quæ scilicet retrò conversa, mutata est in statuam salis, opinor ut fatuos saliret.

2. Propter implicatum difficultatibus animum ob pravam consuetudinem, quæ ferè transit in necessitatem: nam consuetudinem egregiè Chrysostomus appellavit vim tyrannicam: Augustinus catenam ferream. Atque hinc fermè oritur desperatio: cùm enim peccator videt se relapsum, & obfirmari consuetudinem, diffidit posse resurgere; & ita, quod sibi difficile experitur, putat impossibile. Ut enim inter mortales, si quis alium offendit post reconciliationem, quia de veniâ desperat, pergit esse inimicus: sic ubi peccatum est post condonationem, desperatur de veniâ; & ex desperatione oritur projecta illa ad peccandum audacia: juxta illud Ephes. 4. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ omnis, in avaritiam*: Id est, sine satietate, per inexplebilem voluptatum cupiditatem. Quàm verò sæpè id inter homines accidat, vos ego testor, Auditores, ac vestras convenio conscientias. Si quis jurare assueverit, si detrahere: si inebriari, si fornicari, quis speret se posse linguam cohibere, se continere, abstinere, temperantiam, & castitatem servare?

3. Quia ferè est absque remediis: Non hîc loquor de satisfactione, seu de pœnis quæ infliguntur relapsis: licet satis intelligam duram, ac difficilem pœnitentiæ actionem à relapsis exigi à severitate Christianæ disciplinæ, usque eò ut apud antiquos publica pœnitentia semel tantum concederetur, ut interalios docet Tertull. lib. de Pœnit. cap. 7. & Augustinus Epistola 54. qui hanc rationem affert, ne medicina vilis, minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minùs contemptibilis fuerit. Sed loquor de remediis peccati per quæ in gratiam DEI venitur; ex quorum parte dico, fieri relapsis veniam maximè difficilem. 1. Quia relabentes illis abutuntur: unde Gregor. 3. Pastor. admon. 31. ait eos qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, flendo se inaniter mundare, cùm idcircò se lacrymis lavent, ut mundi ad sordes redeant: & hinc scriptum sit, *Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti*, quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos, sordidas etiam ipsas lacrymas facit. 2. Quia faciunt inutilia remedia: unde scriptum Eccli. 7. ex S. Gregorii explicatione: *Ne iteres verbum in oratione tuâ*: verbum namque in oratione iterare, est post fletum committere, quod rursùm necesse sit flere: hinc per Isaiam c. 1. dicitur *Lavamini mundi estote*, Lavantur enim & nequaquam mundi sunt, qui commissa flere non desinunt, sed rursum flenda committunt: hinc per Sapientem dicitur Eccli 34. *Quid prodest si quis baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum? quid profecit lavatio ejus?* Baptizatur quippe à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato, sed post baptisma mortuum tangit, qui culpam post lacrymas repetit. Eôdem pertinent verba Eccli. ibid. *Vnus ædificans, & unus destruens: quid prodest illu, nisi labor?* uti intellexit Petrus Blesensis, qui addit, vulnus iteratum sanari tardius.

3. Quia cùm inutilem faciant orationem suam, sibi aditum obstruunt misericordiæ; quod ex eo textu Ecclesiastici patet, & præsertim ex sequentibus verbis: *Sic homo qui jejunat in peccatis suis & iterùm eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?*

4. Quia cùm nihil profecerint ex remediis,

diis, jam nihil supereſt unde juvari poſſint; quare eorum ſalus eſt deſperatiſſima : ſiquidem vel ægrè tantùm, vel moraliter loquendo nullo modo, revocari poſſunt ad pœnitentiam, ut jam ex Apoſtolo dictum eſt. Si enim *donum cœleſte quod guſtaverunt, Dei verbum, virtutes ſæculi venturi*, illos, retinere non potuerunt, quid jam illis objici, quid offerri poteſt? Etenim fac aliquem, poſt carnis lapſum, reſipuiſſe; da ei cogitationes congruas; fac cœlitùs illuminatum, ut ſtatum ſuum agnoſceret; turpitudinem peccati, fœdatam mentem, & corpus; injuriam illatam DEO, propudium, ac dedecus; cùm facile ei fuiſſet vincere, ſi voluiſſet, primas tantùm flammas extinguendo; fac guſtaſſe donum cœleſte, id eſt, vel Euchariſtiam, vel delicias ſpiritales, vel affectus: Item inhabitantem ſenſiſſe Spiritum ſanctum, qui carnis averſiones dederit, & ſenſus omnes reddiderit ſpiritales, docendo ex rebus omnibus atrolli in amorem non creaturarum, ſed Creatoris; ad hæc guſtaſſe bonum Dei Verbum, hoc eſt intellexiſſe, idque cum pietatis ſenſu; immò etiam expertum quæ dicuntur in Scripturis; vel bonorum rerum promiſſiones: (Nam Zach. 1. verba bona, verba conſolatoria ſunt) hoc eſt percepiſſe doctrinam, bona cœleſtia promittentem, idque cum gaudio, & ſuavitate; *virtuteſque ſæculi venturi*, hoc eſt cogitaſſe, ac cognoviſſe æternitatem, & magnitudinem ſuppliciorum ad hæc immortalitatem, & gloriam electis promiſſam in regno Chriſti, cum perfecta adverſariorum ſubjectione: His poſitis ſi jam relabatur, ac in flagitium turpiter recidat, quod ſignificatur his verbis (*& prolapſi ſunt*) quænam majora proponi poſſunt, quæ remedia efficaciora, quæ lumina ardentiora, quæ cogitationes potentiores, quod corpus ſanctius, quâ Chriſti? Num ſpiritum caſtiorem, num Verbum divinius, num majorem æternitatem, aut longiorem, num graviora ſupplicia, num meliorem gloriam alicunde recuperare poteſt? *Impoſſibile*, itaque, *eſt eos qui ſemel ſunt illuminati*, &c. Id verò quotidie experientia comprobat, cùm rebus divinis aſſueti, tot luminibus, tot motibus, tot exemplis, tot veritatibus, tot ſacramentis; ſi ea omnia ſemel neglexerimus, planè in omnia remedia obdurati, immedicabiles relinquimur, ſecundùm illud Ierem. 30. *Quia hæc dicit Dominus: Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua. Non eſt qui judicet judicium tuum ad alligandum: curationum utilitas non eſt tibi*, &c. *Quid clamas ſuper contritione tua? inſanabilis eſt dolor tuus, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua, feci hæc tibi*, &c.

5. Ac denique. Quia acrius ejuſmodi homines percelluntur à Dæmone: Cùm enim iſte per priorem pœnitentiam expulſus, nihil non agit in prius domicilium redeat, quod cùm factum eſt, obſtinatiſſimè remanet: ſiquidem ut nuper diximus ex Tertullian. de Pœnit. cap. 7. pervicaciſſimus ille hoſtis, nunquam malitiæ ſuæ otium facit: atquin tunc maximè ſævit, cum hominem plenè ſentit liberatum: tunc plurimùm accenditur dum extinguitur: doleat, & ingemiſcat, neceſſe eſt, veniâ peccatorum permiſsâ, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retrò ſuæ eraſos: dolet, quod ipſum, & Angelos ejus, Chriſti ſervus ille peccator judicaturos eſt, &c. Non ſcandalis, non tentationibus deficiat: Itaque ubi advertit quâ parte potuit expelli, iſtam magis cuſtodit: verbi gratia, ſi per Conciones, aut lectionem, &c. reſipuiſti: ab eis te avertit, &c.

III. Oritur hæc maxima difficultas ex parte peccati recidivæ: quod tria continet quæ peculiarem habent cum reconciliatione oppoſitionem, etiam inter ipſos homines.

1. Qui-

1. Quidem habet ingentem ingratitudinem, quæ, ut ait Bernardus exsiccat fontem gratiæ: hinc enim gravius existit secundum peccatum, quàm primum: quantum nempe est in gratiam fuisse receptum, & participem fuisse bonorum Dei? Idcirco ea bona enumerat Apostolus, ut ostendat, post ea recepta admissum crimen, veniam non mereri: *Impossibile est*, &c. Atque ut cætera taceam, quantum illud est, post primum peccatum, admissum esse in gratiam? Tertull. lib. de Pœnitentia, c. 7. majus est restituere quàm dare, quoniam miserius est perdidisse, quàm omnia non accepisse. Rem ita exponit Chrysost. Homil. 9. in Epist. Hebr. Is qui sedebat in tenebris, qui inimicus, qui hostis, qui abalienatus, qui invisus, qui perditus, is repente illuminatus, & Spiritu dignatus, dono cœlesti, adoptione in filium, regno æterno, aliis bonis, arcanis mysteriis, & nec sic quidem melior effectus, sed cũ sit quidem dignus qui pereat, salutem tamen assecutus & honorem tanquàm qui præclarè se ex virtute gessisset: quomodò rursus admitteretur? &c. Hinc fit etiam ut præterita peccata, jamque condonata redeant, non eadem quidem numero; quoniam *sine pœnitentiâ sunt dona Dei*, sed eadem specie, & similia, quandoquidem Deus permittit, ut peccator in eadem relabatur propter ingratitudinem acceptæ veniæ: Ad hæc, quia virtute quasi destruitur prior pœnitentia, quæ priora peccata deleverat: ut enim ait Paulus ad Galat. 2. *Si quæ destruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me constituo*: id est, ostendo: ut enim per pœnitentiam revoco præterita, sic per relapsum revoco pœnitentiam: quod Tertull. libr. de Pœnitentiâ, c. 5. appellat pœnitentiam pœnitentiæ: Porrò ingratitudinem, potissimum venię, peculiarem habere cum reconciliatione oppositionem, communis hominum sensus testatur. Verum ne misericordiam Dei quam David in Ps. 50. Magnam appellat, videar comparare cum nostrâ, ipse Apostolus tanta enumerat beneficia, ut ostendat sequentem ingratitudinem præcludere omnem aditum misericordiæ.

2. Relapsus in peccatum, continet insignem perfidiam, quia per eum frangitur data Deo fides: Cum enim peccator post primum lapsum, in Dei amicitiam recipitur, quantis usus est lacrymis, quot preces adhibuit, quot protestationes, quantam fidem pollicitus est, quantam constantiam? si igitur relapsus fuerit, quomodo redeunti credetur? Dic enim (inquit Chrysost. homil. 9. in Epist. ad Hæbr.) Si in Regiam esses introductus, & quæ sunt illic omnia tibi essent credita, deinde prodidisses omnia, eá ne rursus tibi crederentur? Addo ego ad Chrysostomum: Si tamen multis lacrymis, multisque sponsionibus perfeciśes, ut admittereris; an si secundò prodidisses, unquam recipereris, aut tuis lacrymis, ac juramentis quisquam crederet? Eôque trahi potest, quod dicitur Joan. 2. *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eò quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.* Porrò illud omnes interpretantur levitatem, atque inconstantiam: non igitur se iterùm credit perfidis: uti enim de impio dixit David Psal. 77. *Non est creditus cum Deo spiritus eius*; ita vicissim neque Deus se credit peccatori: nam spiritus peccatoris dicitur non creditus cum Deo, quoniam non firmiter adhæret Deo; ita neque Deus peccatori se credit, quia novit quid sit in homine.

3. Idem relapsus continet contemptum, eumque duplicem, & personæ quæ tam facilè offenditur, & veniæ acceptæ. Itaque ex eâ parte negat Apostolus possibilem esse reconciliationem: & rationem reddit in sequentibus, *Rursum crucifigentes in semetipsis Filium Dei, & ostentui habentes*: & ubi negavit ullam superesse hostiam ejusmodi peccatoribus, subdit;

Quanto

Quantò magis deteriora putatis mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinẽ testamenti pollutum duxerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? quibus verbis exprimitur, summus Dei contemptus in peccatore relabente: quis enim major est quàm Deum pedibus conculcari? conteritur autem & contemnitur, quia qui redemptus est Christi sanguine, iterùm se redigit in servitutem: Vide autem illum in multis capitibus contemptum.

1. Quidem quoniam ipsâ Dei bonitate abutitur ad peccandum. Tu certè ex Divina bonitate melior esse debueras: quid enim bonus, nisi bonitatẽ docet? Tu verò malitiã ex bonitate addiscis: quod dehortatur Tertull. lib. de Pœn. cap. Nemo idcircò deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur: cæterùm finem utique evadendi habebit, cùm ostendendi non habebit, Evasimus semel, hactenus periculis nosmetipsos inferemus, etsi iterùm evasuri videmur.

2. Quia parùm æstimat veniam, ac salutẽ, quam tam facilè perdit. Idem Tertullianus ibid. Plerique naufragio liberati, exinde repudium & navi, & mari dicũt, & Dei benficium, salutem suam scilicet, memoriâ periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam: nolunt iterùm Divinæ misericordiæ oneri esse; formidabãt videri inculcare, quod cõsecuti sũt: bonâ certè sollicitudine iterùm experiri vitant, quod semel didicerunt timere: &c. Hæc ille. Et verò ô peccator si præteritorum peccatorum grave periculum, si pœnitentiæ difficultatem, si veniæ magnitudinẽ prout decet, æstimares, non te iterùm in eandem necessitatem, & in idem periculum dares, ac conjiceres.

3. Quoniam quædam est Dei irrisio, atq; illusio, veniam ab eo de peccato petere, ac statim post, idem admittere, quod antea lugebas. Itaque S. Gregor. in 3. p. Pastoralis admonitione 31. Recidivi similes sunt ante Deum ijs qui venientes ad faciem quorundã hominum, magnâ eis submissione blandiuntur, recedentes autem inimicitias ac damna, quæ valent, atrociter inferunt.

4. Quia nulla jam alia causa fingi potest relapsus, quàm contemptus, neque enim post peccati, pœnitentiæ, atque veniæ, experimentum, excusatio sumi potest ab ignorantia. Id præclarè advertit Tertullianus libr. de pœnitent. cap. 5. Jam quidem nullum ignorantiæ prætextũ tibi patrocinatur, quòd Domino agnito, præceptisque ejus admissis, denique pœnitentiâ delictorum functus, rursus te in delicta restituis: ita quantùm ignorantiâ segregaris, in tantùm contumaciæ adglutinaris: Nam si idcirco te peccasse pœnituerat, quia Dominum cœperas timere; cur quod metus gratiâ gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desiisti? Neque enim timorem alia res, quàm contumacia subvertit. Cùm etiam ignorantes Dominum, nulla exceptio tueatur à pœna (quia Deum in aperto constitutum & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet) quantò cognitum despici, periculosum est? Despicit porrò, qui bonorum ac malorum intellectum ab ipso consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fudit, resumens, intellectui suo, id est Dei dono contumeliam facit: respuit datorem, cùm datum deserit; negat beneficium, cum beneficum non honorat. Hæc ille.

5. Quia alternante inter Deum, & Diabolum victoriâ, qui relabitur palmã Dæmoni donat, & factâ utriusque comparatione, præelegit Dæmoni potius, quàm Deo servire, ac si id melius esse experientiâ didicisset. Vtrumque tetigit idem Tertullianus & ibidem: Cæterum, inquit, non leviter in Dominum peccat, qui cum æmulo ejus Diabolo pœnitentiâ renuntiasset, & hoc nomine

illum Domino subjeciſſet, rurſus eundem regreſſu ſuo erigit, & exultationem ejus, ſeipſum facit; ut denuò Malus, recuperatâ præda ſua, adverſus Dominum gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculoſum eſt, ſed ad ædificationem proferendum eſt, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit; & judicato pronuntiaſſe eum meliorem cujus ſe rurſus eſſe maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfaciet; eritque tantò magis perosùs Deo, quanto æmulo ejus acceptus. Ita ille. Ex quibus omnibus patet, quàm verè dixerim hominis recidivi emendationem, & ſalutem non modò eſſe perdifficilem ſed ferè impoſſibilem. Verùm quid rationibus & variis probationibus illud magis urgeo, cùm noſtra nos in dies experientia convincat? Quos tibi notos vidiſti, ad relabundum faciles, ad veram pœnitentiam eſſe reductos? Eadem ſunt peccata, iidem mores, eadem vita, & cùm mors advenit, eos in iiſdem peccatis occupat. Sed de illis confitentur? Ita ſanè. At id non ſufficit: requiritur enim verus dolor & verum propoſitum, quod in huiuſmodi hominibus eſſe denego, uti à me initio probatum eſt.

Quid inde, inquies, concludis? Ego verò plurima.

1. Ut ſcias maximam hominum partem damnari, contra comunem hominum ſenſum, qui ſibi de Sacramentis blandiuntur; licet Chriſtus monuerit, non eos omnes qui dicunt *Domine, Domine, intrare in Regnum cœlorum*: licet Apoſtolus monuerit multos judicium ſuum, id eſt, condemnationem ſuam manducare & bibere.

2. Vt tu non inde ſecurus exiſtas, ſed aliorum exemplo ſapias; te ſeriò examines, unde contingat ut tam ſæpe relabaris in eadem; an verus ſit dolor tuus de peccatis, an verum propoſitum. Quid enim eſt quod in aliis omnibus rebus, quando aliquid abſolutè vis, id ſemper efficis, neque ulla te difficultas terret, neque ulla occaſio impedit; & quòd in hoc ſolo propoſito non peccandi, tua voluntas non eſt efficax? Tu tamen non ignoras ad valorem Sacramenti non ſufficere voluntatem inefficacem: Quàm vereor ut te hactenus latuerit quæ ſit illa voluntas efficax; illa nimirum quæ effectum habet; illa quæ nullâ conditione reſtringitur, ſed quæ abſoluta eſt, licet res ſit difficilis & ardua, licet oppoſitiones habeat, & impedimenda; nam cùm Deum reſpiciat, illimitata eſt; illa quæ non hæret in ſimplici diſplicentiâ quaſi in objecto tantùm ſpeculativè cognito, ſed quæ ratione efficaciæ reſpicit ipſam affectionẽ & praxim.

2. Vt omni ope contendas evitare relapſum, quando quidem ut ex præcedentibus didiciſti, admodùm difficilis eſt reditus ex multis capitibus, ſed maxime ex parte Dei, qui ejuſmodi hominibus ſolet gratias efficaces denegare. Vide itaque ne exemplum ſumas à primâ condonatione: altera enim longe eſt difficilior: nec te decipiat idem ſenſus & eadem opinio quæ Samſonem decepit, cùm diceret intrà ſe, *excutiam me, ſicut prius, neſciens quod receſſiſſet ab eo Dominus*; ſed ex Ambroſio, nec vigor erat, nec gratia manebat.

4. Vt ſi te malus caſus eò deduxit, intelligas tibi ad gratiam reditum eſſe difficiliorem, & conſequenter majori conamine tibi eſſe redeundum: non parcendum lacrymis, jejuniis, orationibus, eleemoſynis. Neque putes adhuc hæc ſufficere, nam in primo reditu fuêre neceſſaria; ſed quantùm ſtatus tuus permittit, multa eſſe in tua vita, & in tuis negotiis, & occupationibus mutanda, & tibi quædam facienda quæ veram tuam reconciliationem, Deo, immò & ti-

& tibi, persuadeant. Hîc me nimis rigidum ac severum vocabis: Sed quorsum? Quia te securum reddere volo de tuâ salute? quia tecum non dissimulo pessimum statum tuum? quia te perditum esse nolo? quia non aliam scio tuæ salvationis viam? Sed si ita se res habet dices, quàm paucorum salus est certa? Equidem longè pauciorum quàm putetur, & quam dicatur. Verùm si ita est, multò facilius est desperare quàm ita se torquere. Hoc ipsum est, mi auditor, quod prius dixi, ex hoc frequenti relapsu oriri desperationem; *qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in avaritiam*: & ex fructu colligе arborem: & causam ab effectu. Verùm hic sensus est hominis fracti & abjecti, qui ut loquitur Scriptura, *fœdus iniit cum morte, & inferno*. At generosus Christianus hinc occasionem accipit non despondendi animum, sed se se erigendi, & magna etiam, & supra suas vires aggrediendi. *Quis scit si convertatur Dominus, & relinquat post se benedictionem*. Sed difficilis est reditus? At non impossibilis. Impossibilem dixisti? Sed quod est impossibile hominibus, possibile est Deo. Sed Deus deserit & gratiam denegat? sed non tollit orationem. Pete, quære, pulsa, age, lachrymis, & Deo etiam nolenti vim facito. Hæc vis, Deo grata est: *Magna est fides tua: fiat tibi sicut vis*. Amen.

DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA.

CONCIO SEXTA.

Quæ est secunda de relapsu in peccatum.

Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Lucæ 11.

EA est natura rerum infinitarum in quocunque genere sint, ut nunquam exhauriri possint. Deus quia infinitus est secundùm essentiam, pelagus inexhaustum essentiæ vocatur à Nazianzeno, quod animo, & cogitatione comprehendi non potest. Æterna beatitudo, in suo genere S. Thomæ est infinita, acquiri quidem potest. Multitudo infinita nullo numero exhauriri potest, itaque omnem numerum includit, & nullum habet ultimum, quoniam quocunque major est. Quantitas infinita si

tamen aliqua possibilis sit, superat omnem mensuram, itaque definiri non potest, unde nec habet æqualitatem, aut inæqualitatem, quia comparationem non admittit. Ita peccatum quoniam aliquâ ratione infinitum est, propter malitiam, deformitatem, & oppositionem cum Deo; nunquam satis puniri potest, & ideò pœnam meretur æternam: neque etiam propterea oratione satis exprimi possunt aut ejus turpitudo, aut damna, & exitium. Non igitur mirum si cùm nobis sermo de una aliqua ejus circumstantia, nempe de relapsu, licet jam multa de ejus gravitate à nobis dicta sint, nobis adhuc plura superfint dicenda. Certè, ut dicam omnia non id mihi sumo: Sed unum quod Evangelio nostro tàm expressè continetur, præterire nolui: quod tertia ea de re propositione complectar, postquam Beatissimam Dei Matrem pro more salutaverimus. AVE MARIA.

TERTIA propositio. Homo relabens in peccata non solùm habere debet suum statum suspectum, etiam cùm ei videtur optimus, cùm nimirum plangit præterita, & agit pœnitentiã; uti in 1. propositione probatũ est: Nec solum perdifficilem habet ac ferè impossibilem & emendationem suam, & salutem; quod in secundæ propositionis probationibus manifestè ostendimus: Sed etiam fermè semper accidit ipsius in pejus prolapsio; ita ut optabilius longè illi fuisset semper in peccato permansisse, quam iterum ex gratia in peccatum relabi: quo nescio an aliquid majus aut funestius dici possit, *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.*

Dixi 1. In pejus semper ruere secundum illud Bern. ser. 3. in Cantica: Erit sine dubio recidenti, quàm jacenti deterius: Probatur ex Scripturis, Proverb. 26. *Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam*: 70. Interpretes sic vertunt: *Sicut canis cum revertitur ad vomitum suum, odibilis efficitur: sic imprudens suâ malitiâ revertens ad peccatum suum.* Bernardus ser. 3. de Assumptione: Reversus ad vomitum canis, odibilis erit multò plus quàm ante: & fit filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in easdem denuò sordes inciderit. Ex re naturaliter fœda, vult Scriptura nos intelligere rem moraliter fœdissimam: unde August. in Psal. 83. Si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei? Ideò pungit nos exemplo animalium in re maximè odibili: Unde Chrysost. homil. de Militia Christiana in to. 5. Ne contraria humanitati, irrationalium natura re ducat. Vere dixit hanc turpitudinem contrariam esse humanitati, nam licet Josephus dixerit lib. 2. de bello Judaico cap. 7. tantam fuisse Hierosolymis famem, ut fœdissima quæque manducarint; immò aliquos eo fuisse redactos ut alienum vomitum exhauserint; advertit tamen neminem ad suum redijsse, ne in summa quidem fame: rem adeò exhorret natura: ut intelligas quantum sit in moribus flagitium. S. Petrus rem auget Epist. 2. cap. 2. *contigit enim eis illud veri proverbij: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti*: quod à S. Gregor. in Pastor. ad 31. part. explicatum attulimus superiori concione. Jeremias cap. 2. *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas!* Israelem alloquitur repentem Ægyptum, ubi cum crudelem olim servisset servitutem, ostendit se vilissimum omnium populorum esse, qui post acceptam tantis signis, & portentis, & tantâ victoriâ libertatem, iterum se dedat Ægyptijs, qui eum crudelius habebunt, quàm tempore primæ servitutis: unde Israëlitis semper obstitit Deus ne in Ægyptum redirent, malens etiam ut Babylonijs servirent & Assyrijs, quàm Ægyptijs: ut videre est apud Jeremiam.

Ex

Ea propter Christus Dominus Paralyticum sanatum sic admonuit Ioan. 5 *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*: in quibus verbis subindicat illum hominem propter aliquod peccatum incidisse in paralysim, & propter perseverantiam in peccato, tandiu in infirmitate perseveràsse, scilicet spatio triginta octo annorum: denique, si repeteret peccatum, gravius illum esse puniendum, quod graviori peccato gravior pœna debeatur: cæterùm peccatum recidivi primo semper esse majus, præcise ex relapsu.

Sed nihil expressius, nihilque fortius dici potest, quàm quòd Christus de Iudæis dixit sub figura hominis Dæmoniaci; primò quidem liberati, sed iterum peius à Dæmone vexati ob negligentiam. Ita enim loquitur Mat. 12. & Lucæ 11. *Cum autem spiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit, Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam: tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus: sic erit & generationi huic pessimæ*: Sensus est: Si quis Energumenus à Dæmone liberatus sit, qui ut fieri solet, expulsus sit in loca deserta ubi nulli homines sunt, qualia esse solent quæ sine aquis sunt, ut scilicet nulli possit nocere: Si qui liberatus est non se custodiat, sed iterum peccet, ac Dæmon expulsus videat se nemini in locis desertis nocere posse: Si videat priorem domum vacantem, id est, liberam & paratam ad habitandum: nam his verbis significatur ex more hominum cõmoda, & opportuna habitatio; quæ respectu Dæmonum est anima otio dedita, vitiis cooperata, ac spoliata virtutibus: Tunc verò sibi plures aggregat Dæmones, seipso nequiores ac potentiores ad nocendum, quippe per *septem*, intelliguntur plures: atque iterùm corpus ingrediens Energumeni, eos omnes secum in illud adducit: unde fit, ut Energumenus peius tractetur quàm priùs; nec sane immeritò, qui, ut advertit Sanct. Chrysost. duplici re non sit emendatus, & prioribus calamitatibus, & liberatione secuta. *Sic erit & generationi huic pessimæ*: Etenim Judæi cùm adhuc essent idololatræ, antequam Abraham vocaretur à Deo, erant in statu tolerabiliore, quàm cum Christum Dominum reiecere: tàm ex parte intellectus, quia pauciores habebant errores, ob maiorem ignorantiam, quàm ex parte voluntatis, quia pluribus, & maioribus vitiis implicati fuerunt. Addo etiam rarione pœnæ: Nam ut advertit S. Chrysost. cum è captivitate Babylonica revocati essent, quoniam se se non emendarunt, id circò gravissime omnium puniti sunt in excidio Hierosolymitano. Quæ omnia (inquit Chrysost.) non ad illos solum, verum etiam ad nos ipsos dicta esse credamus: Nam divina luce illuminati, & à prima delictorum miseria erepti, si rursus ad eandē malignitatem revertimur, gravior profectò punitio nos expectabit: neque verò tantum punitio, sed etiam pejor conditio; nunquam enim nisi in peius incidemus.

Cur verò peccatum recidivæ semper sit gravius & peius curetur; Oritur 1. ex natura rei: Nam in rebus omnibus lapsus est minor, quàm relapsus; ut in morbis iste est periculosior; & in vulneribus, quod iteratum est ægrius curatur; & in offensis quæ iterata est, vix condonatur. 2. Ex punitione Dei, uti diximus de Energumeno: eò enim pertinet tota Christi Parabola: 3. Ob novas hujus peccati circumstantias, ingratitudinis, perfidiæ, & contemptus, ex quibus gravius fit peccatū: 4. Quia virtute redeunt præterita peccata,

& novum additur, uti dictum est suprà : sicut septem Dæmones veniunt, & redit ille qui fuerat expulsus. 5. Attenditur potiùs status, quàm peccatum : nam etiamsi peccata essent pauciora, deterior tamen est status : Quia & ipsis gratiis, & cognitione, & sensis pietatis quæ habuit, abutitur in malum qui relabitur : unde ornamenta domus, id est ingenium mysteriorum cognitione excultum & rerum divinarum scientiâ, convertit in Dæmonis obsequium : ex quo fit ut illi sint pessimi hæretici qui olim Catholici fuerunt: & in sæculo depravatissimi, qui aliàs in Religionibus vixerunt : quod & dicit Augustinus, Epistol. 137. scilicet, se nunquam; meliores inveniisse quàm qui in Monasteriis profecerunt ; neque expertum pejores quàm qui in Monasteriis ceciderunt : ut hinc arbitrer (inquit) in Apocalypsi scriptum: *Et qui in sordibus est sordescat adhuc : & qui justus est justificetur adhuc* : Et ideò videmus relapsos ferè esse incorrigibiles, ut sunt Apostatæ à fide & à Religionibus: quæ res & fidem Catholicam & Religiosum statum maximè commendat. Sed ad aliud.

Dixi 2. Optabilius fuisse in eodem peccato semper permansisse quàm in idem relabi. Heu ! quid hoc est ? Quemadmodùm ex pœnis nulla est major quàm peccatum, quando DEVS sinit aliquem in illud labi, quia nullum est malum majus illo: Ita nullus est status illo miserabilior quàm cùm ipsum peccatum optabilius est. Sic Sanctus Augustinus optavit superbæ Virgini ut caderet : audeo dicere, inquit, expedit Virgini superbæ cadere. Quid enim prodest Virgini sua Virginitas, si per superbiam damnetur ? Fatuæ siquidem Virgines ab ipso Sponso exclusæ sunt : *Amen dico vobis nescio vos.* Jam vide qualis sit ejus status, cui fuerit optabilius semper in peccato remansisse ? quod dicitur non tantum ratione demeriti, quia continuatio actus mali, non tantùm valet ad demeritum, sicut boni actus ad meritum, quantùm ipsius aut prima, aut iterata productio : sed etiam ratione aliarum considerationum, quas in præcedentibus tetigimus. Id significavit S. Petrus in secundâ suâ Epistolâ cap. 2. *Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini nostri, & Salvatoris IESV CHRISTI, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum conversa ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud veri Proverbij: Canis reversus ad suum vomitum ; & sus lota in volutabro luti:* Triplicem hîc rationem reddit Apostolus Petrus.

1. Est, ob majorem cognitionem : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ*: quia Iac. 4. *scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi*, & Lucæ 12. *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui*, &c. *& non fecit*, &c. *vapulabit multis* : quia ubi major est cognitio, plus est libertatis, & malitiæ: 2. Ob contemptum & ingratitudinem : *ab eo quod traditum est illis sancto mundato* ; abjiciens enim dona à DEO accepta, majorem voluntatis DEI notitiam, justitiam, & cætera Spiritus Sancti bona, verè ingratus est, immò & impius. 3. Quia relabens ferè semper incidit in majora peccata : quod significat vox illa, *retrorsum converti* plerumque enim vel fidem deserit, vel suam possessionem, insigni aliquâ in moribus mutatione. Vide autem ex allatis similitudinibus turpitudinem relapsus, & ejus malitiam, præ quâ sit optabilius in peccato perseverasse.

Ex quibus omnibus fit ut ejusmodi homo sit sub maledicto, hoc est, reprobus censeatur; Hebr. 6 *Terra enim sæpè venientem super se, bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis*

illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: (quia ejus fructus ad maturitatem perducitur, nam uti dicitur Marci 4.) *Terra ultrò fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spicâ*:) Pergit Apostolus, *Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledictio proxima: cuius consummatio in combustionem*: nam deseritur eiusmodi terra, & infelices herbæ ab agricolis comburuntur: quibus verbis significatur dissimilis justorum, & impiorum exitus, ac miserandus hominis relapsi status: ut in præsenti sit reprobus, hoc est à Deo derelictus, & privatus omni gratiâ efficaci pertinēte ad justificationem, & *proximus maledicto*, hoc est illi pœnæ quâ improbi in æternum à Deo rejiciuntur. *Ite maledicti in ignem æternum*: Vnde additur, *cujus consummatio, in combustionem*: id est cujus finis & exitus est amandari in ignem æternum, quâ re nihil gravius dici potest: Præsertim quoniam ut addit Chrysost. non sunt hæ minæ Pauli, non sunt verba hominis, sunt Spiritus Sancti, sunt Christi qui in ipso loquitur, id est, in Paulo. Cùm verò audis maledictum, cogita grave admodùm ac durum Vrbis Ierichuntinæ anathema factum à Iosue his verbis, quibus illam iræ Divinæ ac justitiæ per supplicium quasi hostiam dedicavit, ac consecravit libr. Iosue cap. 6: *Sit civitas hæc anathema; & omnia quæ in eâ sunt Domino*: Et postea destructâ civitate, quasi abolito per justificationem peccato: audi quæ Iosue contra recidivos imprecetur: *In tempore ille imprecatus est Iosue, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Iericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus*: Imprecatur ei qui ausus fuerit ædificare Iericho, omnis posteritatis abolitionem, ita ut dùm ædificium inchoarit, primogenitus ejus moriatur: si pergat ædificare, alios amittat liberos: sic perficiat, eâdem ratione, mors auferat eiultimum liberorum. Ne autem sine effectu putes fuisse eiusmodi imprecationem, audi quid secutum sit, uti scriptum est 3. Reg. cap. 16. Nam cùm post annos 700. sub Rege Achab, quidam nomine Hiel urbem Iericho reædificare conatus esset, cùm eius jaceret fundamenta ei mortuus est primogenitus ipsius, Abiram, & cùm opus finiret, ac portas poneret, extulit Segub, novissimum liberorum suorum: neque verò hi tantùm duo liberi mortui sunt, sed inter ædificandum, quotquot medii erant inter primum & ultimum, ut annotavit Rupertus cap. 20. in Iosue; ut ambiendo conditoris nomen, totum cum affectu perderet genitoris honorem: ut scilicet hinc intelligat recidivus se sub maledicto, ac reprobationis contineri, vixque sperari posse salutem, sed omnium meritorum, quasi filiorum, & virtutum interitum: Certè videmus in Scripturâ homines nequissimos, & post magna scelera esse conversos, etiamsi diutissimè in peccatis perseverassent; ita Rex Nabuchodonosor, quem Augustinus opponit Pharaoni: Sed hic postremus factus pœnitens, cùm esset relapsus induratus est. Quàm magna sunt Manassis peccata; invenit tamen pœnitentiæ locum: Salomon pluribus annis infatuatus, & Idololatra, tandem resipuit, & à nonnullis inter Sanctos numeratur: Quàm graviter parens peccavit David, reus adulterii & homicidii; sed semel correctus perseveravit: At Roboam filium Salomonis non prima peccata perdiderunt, sed relapsus: At si prima Saülis inobedientia ejus reprobationem inchoavit, ejus relapsus in secundam eum in reprobum sensum dedit. Non quòd non plurimi per primum peccatum mortale damnentur; plures quoque, si in peccato perseveraverint: sed quòd paucis admodùm relapsis gratia concedatur, & quòd passim relapsi in gravissima deinde peccata labantur, & demùm in ultimam ruinam.

Consi-

Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, & viciniora salvti, tametsi ita loquimur. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius qui ministrastis Sanctis & ministratis. Cupimus autem unumquemque vestrûm eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei, usque in finem.

Liceat enim apud vos iisdem prorsus uti verbis, quibus Paulus apud Hebr. cap. 6. eundem finiens discursum: Nam quamvis duriora vobis sæpe dicere cogor, tamen ut cum Chrysost. loquar, melius est vos verbis terrere, ne re ipsâ doleatis. Quin & aliunde nihil veritati addimus, sed semper minora rebus ipsis loquimur: *Confidimus autem de vobis*, &c. Illud verò quod in eam spem erigit, est quod Deus rationem habebit multorum bonorum operum præteritorum: *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri*, &c. Sed præcipuè vestrarum eleemosynarum, à quarum studio, neque nunc cessatis, *qui ministratis Sanctis, & ministrastis*: Ego enim scio quanta sit vis eleemosynæ, quanta virtus: scio dixisse Christum, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*: Item dictum Tob. 4. *Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*: Item, Sapientis in Eccli. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*: Non quòd sola eleemosyna sufficiat, sed quia qui facit misericordiam, ille quoque misericordiam consequetur: Hinc illud consilium peccatoribus do, ut nunquam omittant eleemosynas, quod consilium dedit Daniel Regi Nabuchodonosori, cap. 4. *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis*: Quod si *non est injustus Deus ut obliviscatur operis tui, & dilectionis quam ostendisti in nomine ipsius*: Tu quoque ô peccator, noli obliviscì laboris tui, cùm pœnitentiam de primo peccato egisti. Cogita enim tuum timorem, tuum pudorem, tuas lachrymas, cùm ageres pœnitentiam, si tamen eam unquam egisti. Quid quæris iterum dolore, quid flere, quid te affligere? Quid faciebas, cùm te pœniteret? quàm tibi fœda, quam levis, quám indigna videbatur misera illa delectatio, quàm nunc ita perditè insequeris? Cogita quantum tibi steterit recuperata innocentia & conscientiæ emundatio? Cur tantos labores vis tam facilè disperdere? Cantic. 5. *Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cur iterùm vis subire laborem pœnitentiæ? An non faciliùs carere voluptate peccati, quàm pœnitentiæ labores sustinere? Certè pœnitentia, teste Tertulliano lib. de ipsâ cap. 9. in peccatorem pronuntians, pro Dei indignatione fungitur? ut intelligas eam in peccatorem desævire. Quid igitur te illi iterùm obligas? Quid in peccatum relaberis? Quia (inquis) iterùm parcet Deus, si me iterùm pœniteat. Sed 1. Quid tibi tam facilem relapsus veniam polliceris? cùm Apostolus dicat, *Impossibile esse ejusmodi homines renovari ad pœnitentiam* & ut mollissimè explicem hanc impossibilitatem, significatur maxima difficultas & quod in paucissimis accidat. Quid igitur sperare potes, te unum fore ex illis?

2. Quàm illud divinâ veniâ indignum, ideò Deum offendere, quòd se præbeat facilem ad veniam? Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est; toties delinquendo, quoties ignoscitur: ait Tertul. Nonne ad contrarium te ejus bonitas vocat?

3. An illud rectè intelligis quod dixisti, si me iterùm pœniteat? An facilem credis pœnitentiam? Certè Chrysost. homil. 9. in Epist. ad Hebr. ex his omnibus pœnitentiam quasi medicamentum componit: Primum est (inquit) ex suorum peccatorum condemna-

natione,& ex confessione:*delictum* ait David, *cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi*: Et alius: *dic peccata tua prior, ut justificeris*. 2. Ex multâ humilitate: est enim veluti catena quædam aurea, & si initium acceperit, sequuntur omnia: nam si peccatum fueris confessus, ut oportet confiteri, sit humilis anima: eam quippe versans & agitans conscientia, efficit ut sit contracta: oportet autem alia quoq; addere humilitati, si talis sit, qualem beatus David habebat, dicens, *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*: Nam quod est contritum, non exurgit, non ferit, sed est paratum ad malè patiendum: Post humilitatem verò opus est intensis precibus, & multis lacrymis, & interdiu & noctu: *Lavabo* enim, inquit, *per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo*: & post orationem adeò intensam, multâ opus est eleemosynâ: hoc enim est quod reddit admodùm validum medicamentum pœnitentiæ: & quomodò in Medicorum adjumentis est medicamentum, quòd multas quidem capit herbas, sed unam quæ obtinet principatum; ita etiam in pœnitentiâ, ipsa est herba quæ principatum maximè obtinet: Deinde non irasci, neque injuriæ acceptæ meminisse & omnibus peccata remittere: *Remittite* (inquit) *ut remittatur vobis*: Et fratres ab errore convertere, & se in Sacerdotes, ut convenit, gerere: *Et si fecerit*, (inquit) *quispiam peccata, remittentur ei*: Eos tueri ac protegere quibus fit injuria, iram non habere, omnia placidè & moderatè ferre. Hæc Chrysost. Vide an hæc tibi facilia ac levia videantur: ad hæc, veniant in memoriam quæ cùm esses in luctu sensisti, quæ cogitasti, quæ judicasti: Veniat in mentem tuus ille pudor, tuus timor, tua verecundia: *Quem enim fructum habuisti tunc in illis, in quibus nunc erubescis*? Rom. 6.

4. Illud cogita quod agens de simili argumento, monet Athanas. in qq. ad Antiochum q. 93. si frequenter cadis, ac resurgis, periculum esse, ne mors in casu te occupet, nec spatium habeas resurgendi: nam (inquit) quis sit finis noster futurus, incertum est; oportet igitur nos certiores fieri, ne quando in peccatis antevertamur, & inveniamur impœnitentes, & abjiciamur in cruciatum sempiternum Proverb. 27. *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies*: memento dicti S. Augustini. Qui pœnitentibus veniam promisit, non semper peccantibus pœnitentiam promittit: immò ne leviter speres, impossibile dixit Apostolus, *eos qui post veritatem agnitam prolapsi sunt, renovari ad pœnitentiam*: Quia scilicet ei qui tam facilè relabitur vix datur pœnitere. Quæ omnia non eo consilio à me dicta sunt ut vos in desperationem inducerem, ac peccatores summoverem à pœnitentiâ. Novi enim 1. quod ait Tertul. lib. de pœn. c. 8. Non statim, inquit, succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterùm periclitari, sed non iterùm liberari. Iteratæ valetudinis, iteranda medicina est. Gratus in Dominum extiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, & quidem volentem. Novi 2. quandiu in hac vitâ sumus, nunquam occlusam esse januâ misericordiæ: atque uti loquitur S. Athanasius q. 93. ad Antiochum, Deum semper ad se revertentem respicere, attentâ mutabilitate naturæ humanæ. Sed monere volui ne DEI bonitate in ipsius offensam abutamur, ne perfidâ securitate nos decipiamus. Quàm enim certum est Deum, ad se revertentem repellere neminem; tàm etiam certum est Deum paucis admodùm relapsis uberem illam ac præstantem gratiam largiri, sine quâ licet reverti possunt, si habeant ordinariam, quæ nunquam negatur; nunquam tamen revertentur.

Unum hîc superesset ut causas attexerem,

unde oriatur ut tàm facilis sit in nobis ad priora relapsus: Cùm sint innumeræ causæ illæ mihi nunc occurrunt.

1. Quòd graviores soleant esse tentationes: uti docuit Christus exemplo Energumeni, *assumit enim damon septem alios spiritus nequiores se*: unde major esse debet & nostra diligentia, & nostri diffidentia. Ne dicas, potui redire, igitur redibo iterùm, *Nunquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?* Dicas potiùs recedi, igitur cadere possum. Vide fiat in urbibus, quæ deprehensæ sunt ab hostibus: nam si recipiantur istæ urbes, quàm studiosè custodiuntur: omnia timentur, omnia suspecta sunt: Hoc est quod tam sæpè Christus inculcat Apostolis, *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.*

2. Causa, Quia natura nostra semper est prona in malum Genes. 8. *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ*: & quanquam ad tempus obnitatur, tamen ut ait Ambrosius, nemo diu fortis est. Itaque nos semper oportet esse in protinctu Proverb. 28. *Beatus homo qui semper est pavidus.* Adeò ut ad minimum odorem mali resilire oporteat: semper enim timendæ sunt insidiæ.

3. Causa quia non satis fugiuntur occasiones. Idem manens idem, natum est semper idem facere. Cur putas Moysem, cùm esset eductus Israëlem ab Ægypto, noluisse ut aliquid ibidem relinqueret, non uxores, non parvulos, non greges? *Non remanebit ex eis ungula.* Ne occasionem haberent Israëlitæ redeundi. Et certè unusquisque interroget conscientiam suam, cur redierit ad crimen, nisi quia occasio remansit. Vnde Christus præcipit eruendum oculum, manum præscindendam, & pedem; ne putes sufficere ut oculum claudas, aut manum retrahas & pedem.

4. Causa est, Quia semper in nobis manet radix, scilicet habitus & inclinatio. Vti igitur non sufficit arborem excindere aut herbam, si radix manet, quia semper pullulat, ita non sufficit per pœnitentiam tollere & exscindere peccatum. Nam si radix manet, hoc est habitus, facilis erit recursus. Et hinc origo est cur pauci emendentur: quia non laborant, ut habitus pravi eradicentur: quòd non fit nisi per actus contrarios.

5. Causa est. Quia etiamsi pœnitentia sufficiat, ut peccatum deleatur, non tamen ipsa sola sufficit, ut illud non redeat, nisi fiat vitæ mutatio; quæ tamen est in paucis. Quotus quisque enim est qui mores mutet, & agendi consuetudinem? Nunquid idem est luxus est vestitus, eædem mensarum deliciæ, ludi, occupationes, & cõversationes, & similia? Non ergò mirum si eadem peccata redeãt. Et hoc est quod à suis petebat S. Benedictus, cùm in ejus disciplinam venirent qui sæculo renuntiabant; cùm scilicet ab illis depoceret mutationem morum.

6. Et communissima causa est. Quia vix est syncera pœnitentia. Semper enim aliquis remanet affectus animi ad peccatũ, & prior pœnitentia ideò sæpè facta est, quia peccati admissi conscientia torquebat, sed ubi prior ille remorsus sublatus est, statim redit amor ad peccatum: Ita gemit S. Ephrem in lib. qui inscribitur Reprehensio sui. Inflammatum est cor meũ (nempe à primâ peccati titillatione) immutata est pia cogitatio mea, quia gratia præterita cùm sit actus & intellectus & voluntatis non semper durat, obscurata mens mea, scilicet à passione, & tentatione; velut canis revertar ad vomitũ; significatur relapsus: Non est pœnitentia mea pura; id est syncera, & integra; quæ est germanissima & communissima causa relapsuum. Hinc oculos ad te retorque, mî Auditor, & dignas tuo sensu, & tua cognitione cogitationes concipe, & certo proposito tuam fac certam salutem. Hîc agitur de æternitate, quam tibi felicem precor. Amen.

FERIA

FERIA TERTIA
DOMINICÆ TERTIÆ
IN QVADRAGESIMA.

CONCIO.

DE CORRECTIONE FRATERNA.

Quanta sit necessitas hujus præcepti, & quàm malè servetur.

Si peccaverit in te, frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Matth. 18.

DEVS cùm hominem formaret initio, in eo excitavit (ut ait Nazianzen. orat. 26. de plaga grandinis) Conscientiæ domesticum & verum tribunal, ut hominem à peccando removeret adjutore pudore: sed amor proprius, paulatim conscientiæ tribunal corrupit, & pudorem non ad criminis confessionem, sed ad excusationem convertit. Uti n. quando cor timore percutitur, sanguis ad cor ipsũ cõfluit, quasi adjuturus, unde pallor in vultu: ita cũ fama ex crimine vacillat, laborãti famæ, sanguis in vultum refluens succurrit. Itaque ad hujus tribunalis defectum Deus aliud tribunal excitavit, nempe fraternæ correctionis, ad quod publicè peccantes sisti voluit, ut emendarentur. Et quoniam nemo est aut qui non egeat correctione, aut qui non possit esse judex in hoc tribunali; idcircò nemo est, ad quem non pertineat hic discursus. Proinde cùm omnium interfit, omnes etiam auxiliũ deposcere debent à cœlo. AVE MARIA.

DIcturus hodie de Fraternâ correctione, rẽ vobis affero, Auditores, planè necessariam, sed uti valdè metuo, plurimum inutilẽ, ut sunt hodiernâ die hominum mores.

Ac necessitas quidem oritur I. ex virtute charitatis quæ nos obligat ad commune vinculum societatis, & ad procurandum bonum spiritale animarum, ita ut ejus damna sentiamus: sicut in corpore, propter membrorum connexionem, unum membrum alteri compatitur; immò Medici plurimos morbos fieri agnoscunt per partium consensum. Ita Apostolus Roman. 12. jussit nos *gaudere, cum gaudentibus; & flere cum flentibus*: ipse autem de se

dicere solitus erat 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Hinc videmus in parentibus, ob amorem præcipuum, existere eam curam, ut liberos moneant, & corrigant. Jurgantur in vico, aut foro pueri, alicujus eorum Pater fit obvius, illum unum increpat, atque castigat: nemo est qui agnoscat esse Patrem, licet anteà non nosset: ex quo tandem facto? certè ex correptione, quæ oritur ex charitate: Vnde Heb. 12. *Si extra disciplinam estis, ergo adulteri, & nõ filij estis.* Porrò quam curam de filijs naturâ dedit Patribus, hanc Deus nobis dedit de proximo, uti dicitur Eccli. 7. *Et mandavit illi unicuique de proximo suo:* quæ commendatio respicit correptionem fraternam, quæ non est, uti à multis creditur, odij filia, sed amoris. Augustinus serm. 15. de verbis Domini. Quid tam pium, quàm medicus ferens ferramentum? sævit in vulnus, ut humo sanetur, quia si vulnus palpetur, homo perditur. Et serm. 16. Tua patientia illius mors est. Eodem sensu Clem. Alexandr. lib. 2. Pædag. cap. 8. eam curam quâ Deus corripit delinquentes vocat θείας φιλανθρωπίας φάρμακον. divinæ benignitatis medicamentum: hinc dicitur Proverb. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula obedientis*: vel ut habent 70. fideliora sunt vulnera amici, quam spontanea oscula obedientis, aut inimici: Apud Medicos quædam vulnera dicuntur ἄπισα quæ penetrantia vulgò vocantur, & pervadunt interiora, & ejusmodi, sunt immedicabilia: ut si quis secans venam, attingat arteriam. Quòd si in rebus pertinentibus ad sanitatem, vel res temporales, amici non dissimulant, quantò magis in alijs, quæ pertinent ad vitam æternam? Rationem subdit S. Chrysostomus serm. de Diversis: Sanè inimicum ne laudantem quidem probo, amicum verò, & reprehendentem amplexor: Illa etsi me osculetur, insuavis est: hic etsi vulneret, amabilis: illius osculum, suspicione plenum est: hujus vulnus, medicamenti vim habet: Id verò (inquit) in Deo, & in Diabolo locum habet: ille enim amicus: hic inimicus: ille salvator, & nostri curam gerens: hic inimicus, & deceptor: & hic quidem aliquando dedit osculum: illa verò vulnus inflixit: & quomodò osculatus est, & ille vulneravit? hic quidem dixit, *Eritis sicut Dij*: ille autem *terra es, & in terram abibis*: uter igitur magis profuit? hicne qui dixit, *eritis sicut Dij*: an ille qui dixit, *Terra es, & in terram abibis*? ille mortem interminatus est, hic immortalitatem promisit: atqui hic immortalitatam pollicitus est, è paradiso ejecit: ille verò qui mortem comminatus est in cœlum invexit. Hæc ille.

Rationem fundamentalem hujus rei suggerit S. Thomas 2. 2. q. 33. art. 1. in Corpore, uti hæc habet. Correptio delinquentis est quoddam remedium quod debet adhiberi contra peccatum alicujus: peccatum autem alterius dupliciter spectari potest: 1. ut noxium ei qui peccat: 2. ut vergit in nocumentum aliorum, qui ex ejus peccato læduntur, vel scandalizantur, & quatenus violatur bonum commune, cujus justitia, per peccatum hominis violatur: Hinc duplex est correctio delinquentis. Vna quæ medetur peccato, ut est malum ipsius delinquentis, & est correctio fraterna, quæ tantùm respicit bonum delinquentis, ad cujus emendationem ordinatur: Removere autem malum alicuius ad eandem pertinet virtutem, ad quam spectat procurare bonum eius: hoc autem pertinet ad charitatem per quam volumus, & operamur bonũ proximo: quare correctio fraterna est opus charitatis, quia per eam repellimus malum fratris, scilicet peccatum; cuius remotio magis pertinet ad charitatem, quàm remotio exterioris damni, vel etiam corporalis nocumenti, quantò virtutis bonum magis affine est charitati, quã bonũ corporis vel rerum

tum exteriorũ: unde correctio fraterna, magis est actus charitatis, quàm curatio infirmitatis corporalis, vel subventio quâ excluditur exterior egestas. Alia verò correctio est quæ adhibet remedium peccato delinquentis, quatenus est in malum aliorum, & præcipuè in nocumentum commune: & talis correctio, est actus justitiæ, cujus est conservare rectitudinem justitiæ unius ad alterum: de quâ dixit Ennodius, vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit: Et Cyrillus Alexandr. lib. 3. in Ioan. cap. 27. opportuna reprehensio cursum peccandi facilè detinet: unde illius omissionem sic damnat Agapetus. Peccare: & non cohibere peccantes in pari gradu ponuntur.

II. Necessitas correctionis oritur ex virtute Misericordiæ, cujus est actus proprius correctio, respicit enim indigentiam spiritalem proximi. Circa quod Nota quibusdam vitium esse, actionem Correctionis fraternæ pertinere ad quamlibet virtutem, quia adversatur cuilibet peccato: Sed hoc refellitur: quia aliquando ejus defectus esset injustitia, ex quâ oriretur obligatio ad restitutionem, quod nemo dixerit. Alii eam referunt ad charitatem DEI, alii ad charitatem proximi, quia ex motivo utriusque virtutis fieri potest. Nihilominus tamen si propriè loqui velimus, pertinet propriè ad virtutem misericordiæ, quæ est virtus distincta à charitate quæ est erga DEVM, & à benevolentiâ quæ respicit proximum: nam per charitatem, volumus proximo bonum ex complacentiâ DEI; per benevolentiam ex complacentiâ ipsius proximi; per misericordiam volumus bonum proximo, ex complacentiâ nostri, siquidem sublevare illius miseriam, nobis honestum putamus. Sicut igitur Eleemosyna tribui potest, ex motivo charitatis DEI, aut benevolentiæ proximi, quia fieri potest ex illarum virtutum motivis; & propriè tamen pertinet ad misericordiam, quia nobis honestum est subvenire indigentiæ proximi: ita Correctio fraterna fieri potest ex motivo virtutum charitatis Dei, & proximi; sed propriissimè fit ex motivo Misericordiæ. Cæterum proximi necessitas spiritalis, quæ est objectum hujus actus misericordiæ petitur primò à peccato: deinde à cupiditate, & quâdam quasi ebrietate, in quâ est unusquisque dum peccat; unde fit ut in suis negotiis cæcutiat, & ideo monitore probo indigeat.

III. Hæc eadem necessitas oritur ex præcepto, quod est quidem juris naturalis sed explicatur à Christo Domino in nostro Evangelio dùm dicit. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe illum inter te, & ipsum solum.* Vt autem intelligatur, quando sit illa necessitas seu obligatio:

Nota 1. Illud obligare sub mortali ex suo genere; itaque cum materia erit gravis, culpa erit mortalis si omittatur; tunc autem materia erit gravis, si sit gravis necessitas proximi; spiritalis autem gravis necessitas proximi est cũ agitur de peccato mortali. Nam si est veniale peccatum levis est vel etiam nulla necessitas.

Nota 2. Illud præceptum esse affirmativum; itaque non semper obligare, in quo differt à negativo: & ideò ut obliget certas requirere conditiones, extra quas non obligat. Illæ autem conditiones, sunt sequentes 1. &c.

1. Vt adsit certa materia. Non igitur materiam correctionis oriri ex peccato præterito non retractato: Probatur ex verbis CHRISTI. *Si peccaverit in te frater tuus*: Igitur necesse est peccatum fuisse admissum: quod autẽ dicitur. *In te*: variè explicatur: Quidam enim censent, Christum tantùm loqui de peccato coram nobis commisso: unde Augustinus Serm. 16. de verbis Apostoli. Quid est, in te peccavit? & respondet. Tu scis, quia

peccavit. Existimo Christi doctrinam esse de omni peccato : nam ex contextu patet agi de misericordiâ in proximum : Ponitur autem exemplum peccati admissi in corripientem, quia de illo poterat esse aliqua difficultas. Dixi etiam peccatum non retractatum, Quia objectum correctionis est miseria proximi, quod si peccatum fuerit retractatum, sublata est miseria, itaque deest objectum misericordiæ : sicut in corporalibus, si miseria corporalis proximi sit sublata, nulla remanet obligatio illius juvandi. In quo differt correctio fraterna à judiciali : hæc enim procedere potest etiam peccato retractato, propter bonum commune, & evitandum scandalum : præterquàm quod relinquitur obligatio ad pœnam, etiam culpâ retractatâ, quia manet reatus.

Difficultas tamen remanet circa peccatum commissum, quia non semper videtur esse obligatio correctionis admisso peccato. Ratio est, quia non obligat correctio, nisi quando obligat remedij adhibitio, sed non semper nec statim obligat remedij adhibitio, igitur nec correctio. Est enim differentia inter subventionem temporalem, & spiritalem, quia per illam proximè tollitur indigentia ; nam si quis fame enervetur ob inopiam, proximè tollitur indigentia per eleemosynam, sed spiritalis egestas, non tollitur proximè per subventionem : nam qui corrigit, tantum admonet peccantem, ad ipsum autem pertinet, ut sibi immediatè ipse medeatur : Quoniam igitur qui peccavit, non statim obligatur pœnitere, sed tantum cùm tempus advenit pœnitentiæ, ideò neque qui corrigit, tenetur corrigere, nisi cùm obligat pœnitentiæ, Quare tempus correctionis definio per indigentiam corrigendi, quam ego ex triplici capite oriri existimo. 1. Ex certo, vel ex probabili periculo relabendi in peccatum simile præcedenti. 2. Ex periculo impœnitentiæ, cùm urget præceptum pœnitentiæ, & ita qui non monent existentes in articulo mortis, graviter delinquunt. 3. Ex periculo incurrendi pœnam æternam etiam absque novo peccato : ut si peccator periculi imminentis ignarus, ante actam pœnitentiam ex improviso ab inimicis occideretur. Atque hæc necessitas specialis inducit obligationem succurrendi proximè per correctionem fraternam. Quod etiam dico si peccatum non sit retractatum, nisi ex signis probabilibus habeatur notitia emendationis : unde ut quis obligetur ad correctionem fraternam, non satis est ut noverit peccatum alterius, ac nesciat an egerit pœnitentiam, nec ne ; sed oportet etiam ut ex signis quibusdam, aliquo modo norit eum esse adhuc in eâ miseriâ, ratione præteriti peccati : neque verò tenetur ea de re inquirere, ut certior fiat : hoc enim pertinet ad Superiores.

2. Est ut sit peccati admissi aliqua notitia, non certa, & infallibilis, alioqui, vix ulla esse posset correctio, sed sufficit probabilis, & prudens, quia talis cognitio sufficit ad prudenter agendum. Ibi autem necessaria non est inquisitiò, quia non licet privatæ personæ, alterius vitam indagare, secundùm illud Proverb. 24. *Ne quæras impietatem in domo justi :* & illud S. Augustini Serm. 16. de verbis Domini. Admonet nos Dominus non negligere invicem peccata nostra, non quærendo quod reprehendas, sed vivendo quæ corrigas, &c. alioqui multa orirentur incommoda.

3. Est ut præter notitiam specialis miseriæ proximi, sit etiam aliqua spes eam sublevandi : ita ut si nulla prorsus spes affulgeat, nulla sit obligatio correctionis fraternæ, cùm ea ex suâ naturâ ordinetur ad sublevandam specialem alterius miseriam. Hinc patet ut plurimùm, neminem obligari ad correctionem de venialibus, cum levissima sit spes sublevandi miseriam, quæ ex illis peccatis relinquitur

quitur: Item quando per correctiònem deterior fieret is quem admonemus; immò prudentia suadet ne tunc fiat: secundum illud Eccli 32, *Vbi auditus non est ne effundas sermonem.* Porro hæc spes sublevandæ miseriæ proximi, non est una & eadem respectu cujuscunque indigentiæ specialis, sed est diversa pro diversitate specialis indigentiæ proximi, vel incomòdi nostri secuturi ex actu succurrendi: ac proinde conditio.

4. Est ut non inde grave nocumentum nobis non proveniat; nam simpliciter loquendo non teneor alteri prodesse mihi nocendo. Sed hæ duæ ultimæ conditiones sic sunt inter se rẽ perandæ, ut comparetur damnum proximi, cum damno nostro secuturo; nam si sit grave detrimentum proximi, idque certum; debemus succurrere cum certo nostro incommodo etiam gravi: Quòd si bi dubium sit, & grave, debemus succurrere: cum dubio gravi detrimento: Quòd si dubium sit detrimentum proximi, & aliunde certum sit periculum monitoris de vita, cessat obligatio. Ex dictis patet in tribus allatis casib⁹ nos obligari ad correctionem fraternam, scilicet existente in nobis duplici notitiâ, & peccati præteriti, & specialis indigentiæ: ad hæc existente in nobis spe fructus correctionis.

5. Conditio, ut non sit alius qui fecerit correctionẽ aut ad eã faciẽdam nullus præter nos paratus sit: nam si alius fecerit, nulla erit obligatio: Sicut si alius subvenit necessitate corporali, nullus alius tenetur ad subveniendum. Ratio est, quia alioqui, tunc proximus est in speciali indigentiâ, igitur indiget correptione nostrâ igitur tenemur illi subvenire, concurrentibus ijs quæ diximus.

Atque ut IV. intelligas quanta sit correctionis fraternæ obligatio. & quàm universalis; nullus ab eâ eximitur: ita ut non solum Prælati, sed etiam & pares, & inferiores ad eam obligentur. Ita Paulus Petrum coarguit superiorem suum: Nathan Davidem: Elias Achabum: Ioannes Baptista, Herodem: Stephanus Concilium: Basilius Valentem, Ambrosius Theodosium: Chrysostomus Eudoxiam: Gregorius Mauritium: unde Augustinus Epistola 19. à minore quolibet non est refugienda & dedignanda correctio: & ubi dedit exemplum Petri reprehensi à Paulo subdit: Est laus utique justæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro: Et ratio est, quia licet ea quæ corrigit per punitionem, & quæ intendit bonum commune, & est actus justitiæ, ad solos Prælatos pertineat, ea tamen quæ intendit emendationem fratris, per simplicem admonitionem pertinet ad omnes. Ita sanè: Nam omnes obligantur ad succurrendũ necessitati proximi si possunt, ut constat in necessitate corporali: igitur si occurrerent circũstantiæ suprà relatæ, obligatio erit succurrendi in necessitate spirituali, quæ majoris est momenti.

Non tamen hoc impedit, quin Prælati majori obligatione teneantur ad correctionem fraternam quàm alij: Quâ in re, ait August. 1. de civit. cap. 9. non utique parem, sed longè gravioré habent causam, quibus per Prophetam dicitur, *ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* 1. Ratio est. Quia ex D. Thom. art. 3. in respons. ad 1. Qui temporalem habet curam aliquorum, illis potius debet exhibere temporalia beneficia, quàm ullus alius: Ita spiritualia beneficia, si opus habeant, multò magis impendere illis debet. 2. Ratio. Quia ratione officii magis obligantur: quæ obligatio oritur ex alio fonte quam ex misericordiâ; alioqui remoto officio non esset major obligatio. Est igitur obligatio major, non justitiæ quidem propriè dictæ, quia nec est distributivæ, nec commutativæ, hæc enim circa res pretio æstimabiles versatur: igitur alterius nempe potestativæ justitiæ,

justitiæ, id est fidelitatis debitæ, ratione officij: tenentur enim exercere fideliter suum officium cui se suppossuerunt. Vnde fieri posset, ut aliquis Prælatus, omittendo correptionem fraternam, si debita esset, tùm ex virtute misericordiæ, tùm ratione officii, duplex peccatum mortale committeret. Porrò hæc major obligatio, præter novum titulum, in eo consistit, ut Prælatus obligetur ad corrigendum, cum majori incommodo, & proprio detrimento: ad hæc plura remedia apponere, ac tempus correctioni opportunum quærere. Ex his omnibus facile patet, me rem vobis efferre necessariam, cùm ex tam multis capitibus necessaria sit correctio fraterna.

Sed addidi habitâ ratione horum temporum inutilem quoque esse: quod oritur ex duplici capite: 1. ex parte eorum, qui corrigunt: 2. ex parte eorum qui peccant, & qui indigent correctione.

1. Quidem ex parte eorum qui corrigunt: Et diversis ex causis: Oritur enim 1. ex eo quòd vix ullus obligationem illam agnoscit, cùm tamen ea sit maxima & gravissima uti dictum est, quippe quæ sit omnis sub mortali. Quod si aliquem indecenter vestitum viderimus, statim admonemus; item si aliquem per imprudentiam ruere in foveam, aut ad lapidem offendere viderimus, nostri officii putamus esse eum ad monere, immò etiam, si necesse sit, interpellare: cur non potiùs in iis quæ pertinent ad animam, quoniam periculosa valde sunt, & damnum ingens afferunt? Quod si Deus eam legem scripsit Judæis Deuteron. 22. *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, neo nosti eum: Duces in domum tuam, & erunt apud te, quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui quæ perierit: si inveneris eam, ne negligas quasi alienam. Si videris asinum fratris tui, aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo*: Si (inquam) hæc Deus Iudæis præcipit; cur tu fratrem tuum errantem, vel cadentem despicies? Chrysost. serm. 13. de Diversis. Quomodò non est summa inhumanitas, & ferina crudelitas, nos non tantùm curæ hominibus impendere, quantùm alii Iumentis? Sed nihil gravius dici potest, quàm quod Scriptura contigisse docet Heli, summo Sacerdoti 1. Reg. cap. 2. & 3. Cùm audisset, gravia filiorum crimina, impuritatis cum mulieribus existentibus in Templo, aut illud adeuntibus, & violentiæ in sacrificiis, dum carnes tollerent incoctas, lenibus eos verbis admonuit, cum debuisset acerrimis, ac nisi resipiscerent, eos ab ipso Templo excludere, & pœnâ etiam corporali castigare: propterea gravissimè punitus est: audi quid dicat Deus Samuëli in eam rem: *Ecce ego facio verbum in Israël, quod quicunque audierit tinnient ambæ aures ejus. In die illa suscitabo adversum Heli omnia, quæ locutus sum super domum ejus: incipiam, & complebo. Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eò quòd noverat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis & muneribus usque in æternum.* Id rectè exponit Chrysost. lib. 2. adversus vituperatores vitæ Monasticæ: postquàm enim reprehensionem ab Heli factam filiis exposuit, subdit: Verum quia non omnia quæ fuerant agenda, ut ea resecarentur vitia, molitus est; & ipse cum filiis unà periit. Namque & minas ille addere debuerat, & à suo eos conspectu amovere, atque abdicare, etiam & verberibus afficere, multòque illis gravius, & durius instare. Quia igitur nihil horum egit, verborumque tantum monitis contentus fuit, & illis, & si-

bi

bi ipsi, Deum adversum, infestumque constituit. Sed singula supplicia narrat textus Scripturæ, quæ horrorem incutiunt, *& quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus.*

2. Ex timiditate hominum. Nolunt enim offendere, nec odium incurrere. Quibus ego respondeo. 1. quod docet B. Aug. lib. 1. de Civ. Dei c. 9. nimirum inter alias causas cur boni affligantur communibus calamitatibus, ut peste, diluvijs, incendijs, bellis, terræ motibus, hanc esse, quod licet ea peccata non committant, quæ tantis supplicijs puniuntur in malis; malè cum illis dissimulent, nec admoneant, nec corrigant: vel (inquit) cùm laboris piget, vel cùm eorum os coràm verecundamur offendere, vel cùm inimicitias devitamus, ne impediant, & noceant in istis temporalibus rebus, sive quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, sive quas amittere formidat infirmitas: ita ut (quamvis bonis vita malorum displiceat, & ideo cum eis non incidant in damnationem, tamen quia peccatis eorum damnabilibus parcunt dùm eos in suis licet lenibus & venialibus metuunt) jure cum eis temporaliter flagellentur, quamvis in æternum minimè puniantur: Jure istam vitam, quando divinitùs affliguntur cum eis, amaram sentiunt, cujus amando dulcedinem, peccantibus eis amari esse noluerũt. Hæc ille, & sanè egregiè. Addit deinde alios omittere correctionẽ, non propter metum amittendi bona temporalia, sed ne inimicos habeant linguâ, vecfacto: Nam [inquit] reformidatur vulgi judiciũ, & carnis excrúciatio: vel peremptio: hoc est propter quædã cupiditatis vincula, non propter officia charitatis. Nec mihi (pergit) videtur hæc parva esse causa quare cum malis flagellentur & boni: flagellantur enim simul, nõ quia simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam: non quidem æqualiter, sed tamen simul; quam boni contemnere deberent, ut illi correpti, atque correcti, consequerentur æternam, ad quam consequendam, si nollent esse socij, & dilgerentur inimici. Sed satis: Et tantùm ex ea doctrina illud traho eos homines timidos in pejora incidere, quàm ea quæ suâ timiditate vitare conabatur.

Respondeo 2. cum Chrysost. hom. 44. in 1. Cor. Nos omninò perperàm agere, qui sine causa alios criminamur, & accusamus, nec eorum odium, & offensionem veremur, nec proposita supplicia, nec odium Dei, & proximi: quando verò salutis fraternæ curam gerere oportet, tunc nolumus esse curiosi, nec graves, nec molesti. Atqui ex maledicentia quidem nascitur odium, & apud Deum, & apud homines, & hoc non est tibi curæ: ex eo autem consilio quod das seorsùm, & ex ejusmodi reprehensionibus, & apud Deum erit tibi amicitia. Quòd si etiam ipse te oderit, propterea Deus manet te magis diligens. Immò verò nec ipse te sic oderit, ut quando odio habebat maledicentem: Sed tũc quidem tanquam inimicum aversabatur, nunc autem existimabis te quovis patre magis reverendum. Quòd si etiam apertè animo ægrè ferat, seorsùm apud se magnas tibi habebit gratias.

3. Ex defectu zeli: Si enim intelligerent quantùm sit illud, *lucratus eris fratrem tuum*; quid tandem omittere? Sed pauci pretium animæ sciunt: quod Christùs sanguine suo docuit: Quantum autem illud est, ut tibi in cœlis aliquis profiteatur, se tibi suam salutem debere? Quod verò dicitur *Lucratus eris*, signum est, te per culpam fratrem tuum amisisse, quem si correptione emendes, recuperaveris. Et meminisse unusquisque potest illius dicti apud Ezechiel. capite 33. *Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram*: ille autem speculator est qui novit fratrem suum peccasse, secundùm illud, *si peccaverit in te frater tuus.*

4. Ex varijs excusationibus quas prætexunt: 1. enim timent, ne nihil proficiant: Sed unde id norunt? An experti sunt? Verùm quoties illud tentarunt? an bis? an tertiò? an pluries? Nonne Deus quotidie nos admonet? Ad hæc cur ita loquuntur? An de suis fratribus malè judicant? Sed esto nihil proficias, nonne ipse Deus, licet ante sciat se non profuturum admonitione, nunquam tamen monere cessat? Quantò magis tu cessare non debes, qui id ignoras? Sed velim, nihil proficias, attamen tu officio functus es, & apud Deum, tantumdem fecisti. Non tibi præcipit Deus, ut frater tuus emendaretur, sed ut corriperetur ac moneretur: hoc si feceris, officium impleviſti. Ad hæc, quam sæpè remedia corporibus iterantur, majora quidem, si minora nihil profuerunt? Ita & tu idem effice. Denique, non statim fit curatio, sed paulatim. 2. verentur ne alij sint ingrati: Sed quid quæris nisi proximi utilitatem? Prætereà si ille ingratus est, Deus non erit ingratus. 3. Ne non habeant authoritatem: Sed ea non requiritur: Nam si oportet majorem te corrigere, id observa quod monet Apostolus 1. ad Timoth. capite 3. *Seniorem ne increpaveris: sed obsecra ut Patrem.* 4. Ne irrideatur: Ita sanè, ubi nulla planè spes est emendationis. Alioqui verò idem Sapiens qui monet Proverb. 10. *Noli arguere derisorem, ne oderit te*: addit *argue sapientem, & diliget te*: Et quidem facilè non debes de fratribus judicare eos te derisuros: alioqui extremum malorum est esse incorrigibilem. 5. Dices cum alij, quid ad me attinet, unusquisque rem suam, procurat: Sed ut ait Sanctus Chrysostomus, Homilia ult. in 1. Cor. Time eum qui primus dixit hoc verbum: nam illud quod dicebat Caïn. *Numquid sum custos fratris mei*, eodem, quò hoc recidit: Hinc mala nascuntur omnia quod quæ sunt nostri corporis, aliena esse ducimus. At, inquies, cur ego alienas inimicitias in me suscipiam? Chrysosto. Hæc sunt verba delira bestiarum, vel potius Dæmonum. Si autem dicas: quid verò non ipse sapit; audies à nobis, ipsum non sapere, quoniam est animi perturbatione ebrius, itaque non esse negligendum.

Oritur 5. ex eo quòd multi errores committantur in correctione, unde aut fit odiosa, aut contemptibilis, & propterea rejicitur & non prodest.

1. Quòd fiat sine charitate, & sine mansuetudine; immò potius fiat cum iracundia, quod absurdum est: Quis enim iratus misericordiam faciat? Ipsa autem uti dixi pertinet ad misericordiam: Et rectè dixit Seneca lib. 1. de Ira: Quis ei, cui medetur, irascitur? Quod autem sic fiat, hinc probatur: quia sæpe fit exprobrando: unde potiùs quæritur confusio reprehensi, quàm correctio. Augustin. Serm. 16. de Verbis Domini: Studens correctioni, parcens pudori.

2. Quod nimiùm fiat imperiosè. Idem August. Epist. 64. ad Aurel. Episcopum: Non modo imperioso ista tolluntur, sed magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando.

3. Quod fiat durius: & tamen ex Seneca lib. 1. de Clement. capit. 24. remissiùs imperanti, meliùs paretur: idem omne pœnæ genus remedij loco admoveo. Hâc similitudine utitur etiam Chrysost. Homil. 30. in Epist. ad Hebr. Non videtis medicos, quando urunt vel secant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent: multò magis corripientem oportet hoc agere, ut mansuetus, ac lenis sit.

4. Quod nimis importuna, ac de omnibus: Multa enim dissimulanda sunt. Ac rectè monuit Sopater Philosophus apud Stobæum Serm. 44. peccare esse homini σύμφυτον, congenitum, itaque errare qui punit, ut impeccabiles.

5. Quod

5. Quod nimis acriter, & severè: Etenim nimia severitas plus nocet, ut purgationes nimiæ, quas Galenus appellat ὑπερκαθάρσεις, & in Iure D. ad Legem Aquiliam lib. 6. præceptoris nimia sævitia culpæ assignatur.

6. Quod è contrario, aliquando nimis molliter, ac sine aculeo: Virtutem enim Sanctorum ait Cyrill. Alex. non esse ἀκεντρον, sine aculeo. Et certè Scripturarum lectio acuit: & Scriptura divina, ait Isidorus Pelus. scribens ad Synesium, hominem mansuetum, reddit bellicosum, & pugnacem. Quare duabus rebus opus esse ait ad corrigendum S. Chrysost. Homil. 5. de verbis Isaiæ παῤῥησίᾳ καὶ πραότητι libertate, & mansuetudine. Nec sine causâ, naturæ speculatores, Elephantem esse animalium prudentissimum, quod duplex cor habeat, unum quo irascatur; alterum, quo mansuescat.

7. Quod non fiat cum methodo, & arte: Certè Seneca lib. 1. de Irâ cap. 5. tres ponit gradus correctionis: Vt mollior primùm adhibeatur oratio; tum gravior tristiorque, deinde pœna: Eum autem qui præest, sic debere noxios emendare, ut pariat vitiorum odiú, pretium virtutum. Vide quâ arte Nathan Davidem reprehendit: Vsque eò ut ipse David seipsum nesciens damnarit. Simile correctionis exemplum proponit S. Chrysost. Homil. 44. in 1. Cor. factâ hypothesi honesti alicujus juvenis morantis cum virgine qui ab alio moneatur de scandalo: Accede (inquit) ad illum, & parvum dic fratris encomium ex alijs quæ habet commodis, & dotibus, id componens; & tanquam aquâ calidâ fovens laudibus, ita deprime tumorem ejus vulneris: Te quoque ipsum pronuntia miserum, accusa commune genus hominum: ostende omnes nos esse in peccatis: Pete veniam, dicens te majora aggredi, quam quæ vires tuæ ferre possunt: sed charitatem persuadere omnia audere: Deinde consulens hoc fac, non imperans, sed ut frater: & cum lenieris dolorem quia accidit ex sectione futuræ reprehensionis, & sæpe usus fueris excusatione, & rogaveris ne irascatur; cùm eum his ligaveris, tunc plagam inflige, nec vulnus alligans, nec dissolvens, ut neque illinc resiliat, neq; hinc despiciat: Nam si certum non dederis vulnus, nihil amplius efficies; sin autem vehementiùs percusseris, efficies ut resiliat: propterea & post hæc omnia reprehensurus misce rursus encomium cum reprehensione: Vide reliqua.

8. Quòd sæpe non servetur ordo Correctionis fraternæ qui à Christo institutus est: ille autem is est, ut qui corripitur. 1. secretò corripiatur, & si non se emendet, adhibeantur duo vel tres testes: in primis ut convincatur de peccato, quia *in ore duorum vel trium testium, stabit omne verbum*: deinde ut sit efficacior multorum reprehensio: denique ut sit impœnitens denuntietur, habeat is qui accusat, quo se tueatur, si diceretur ordinem non servasse: quòd si plures illi non proficiant, *Dic Ecclesiæ*, hoc est Prælato, ut scilicet coërceatur juridicè. Fundatur autem hic ordo in duobus: 1. quia præceptum de corrigendo est positivum, itaque exigit certas conditiones. 2. Quia aliud etiam est præceptum de non infamando proximo: Itaque peccatum alterius, vel est ignotum pluribus, vel notum: Si ignotum est, non licet arguere coram aliis, ne contra justitiam reveletur ejus peccatum: nisi forte illius peccatum lædat bonum commune, ut peccatum hæresis, quod immediatè deferendum est: alioqui si privatum est, tentanda prima correctio, deinde secunda, posteà tertia: Quod si nulla spes esset corrigendi solum, adhibendi sunt testes: cùm enim præceptum sit positivum, nulla est obligatio ejus ordinis servandi, nisi positis quibusdam & inter alia, spe fructus; nam alioqui omitti potest ille ordo: Nec refert infamari proximum, quia ejus bonum spiritale, præferri debet

bono famæ : Non licet autem ordinem pervertere, si sit spes emendandi : alioqui quæ est obligatio admonendi peccantem, ea est admonendi Prælatum, ut provideat, nimirum ut pater : nam ut admoneatur ut Judex, præmittenda est admonitio per plures testes. Quòd si notum est crimen, non tamen propterea monendus est publicè, vel coram pluribus, si spes sit emedationis per privatam admonitionem : non quidem ex justitiâ, quia notum est peccatum, sed ex misericordiâ. Rationem affert S. Thomas primam ex S. Hieronymo : Ne si semel pudorem, vel verecũdiam amiserit, permaneat in peccato : 2. ne manifestato unius peccato, alii provocentur ad peccandum : Hinc pro praxi dico eum ordinem servari, secundùm majorem, vel minorẽ spem profectus : itaque sæpe licere, atque utilius esse ad Prælatum recurrere, qui majori authoritate remedium adhibebit : nec incurretur odium, aut inimicitiæ exorientur.

II. Difficultas petitur ex iis qui corriguntur ; 1. enim multi non patiuntur sibi medicinam adhiberi, sed similes sunt ægris phreneticis : in quo maximus est furor, & insania. Nam si Morales Philosophi judicant nobis necessarios esse inimicos, à quibus multa discamus quæ ignoramus, quantò magis optandi sunt amici, qui blandè admoneant ? Hinc scilicet nobis accidit, ut nemo nobis succurrat : Cùm enim alij vident, nos non libenter audire monitores, hoc officium deserunt, & ad officium adulatoris se accingunt, unde omnibus risui existimus, & contingit, ut de quibus nobiscum non loquuntur, de iisdem cum omnibus colloquantur. Cogita hominem fœdum ore & turpem, ab alio laudari uti Narcissum : quanta hinc existet materia risus : idem planè nobis contingit. Quòd si ubi nos indecenter ambit vestis, volumus admoneri, & graviter domesticis succensemus, si non admoneant ; quantò magis idem in moribus velle debemus ? Fit inde plerumque, ut qui minima levi labore corrigere potuissemus, in iis perpetuo hæreamus. Ac vide miserum tuum statum, qui sic habearis desperatus, ut credaris incorrigibilis, & ipsis remediis pejor existas. Illud feres quod ait Salomon, Proverb. 29. *Viro qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus superveniet interitus, & eum sanitas non sequetur.* Id est, cadet in turpe aliquod factum, ac tandem desperatus existet, & incorrigibilis.

2. Sibi injuriam fieri credunt, ex superbiâ, unde ab aliis corrigi dedignantur, ne si corrigantur, minores putentur.

Refelluntur 1. Quia si cùm se non videant, dum se vestiunt, aliis se committunt ut capillus & vestis benè ordinetur, nec eos qui se admonent, putant injuriosos ; cur non idem faciunt in moribus ?

2. Quia si Inferiores monere etiam debent suos Superiores, signum est hinc non minui authoritatem.

3. Uti Medici, cùm ægrotant, ipsi non sibi medentur, sed aliorum utuntur & consilio & manu ; idem multò magis fieri debet in moribus in quibus faciliùs nobis blandimur, & erramus : peccatum enim ebrios facit. Vide Davidem : quantus vir fuit, quàm sanctus, quàm illuminatus : & tamen in suo peccato annum integrum perseveravit.

4. Exemplo Mosis, qui non dedignatus est moneri ab homine Idololatrâ Jethro, cùm ipse tantus esset, tantæ eruditionis, & tantæ sanctitatis : idq ; in omnium subditorũ conspectu : ac ne illud ignoraretur, etiam ipse literis conscripsit, ut omnibus innotesceret : quod factum tam insigniter prædicat S. Chrysost. homil. 13. de Diversis. Notat enim (inquit) quòd sæpè abiectus quispiam & vilis invenit, quod magnus & sapiens vir præterit : item quòd reprehensionem benè ferre non vulgaris, sed summæ Philosophiæ præconium, & laus est. Non adeò laudamus & admiramur hodie Jethro

qui

qui Moysem correxit, sicut Sanctum illum qui non erubuit tot præsentibus corrigi, & factum hoc memoriæ cõmendare, declarans in omnibus Sapientiam suam, quòd gloriam in tantâ eminentiâ, quæ sibi à Pluribus impensa fuisset, contempsit.

5. Propter odium & maledicentiam, quam prætexunt: Sic enim hoc officium interpretantur, cùm correctio sit amoris effectus, & à charitate originem habeat, uti suprà ostendimus.

6. Propter obstinatam in peccatis voluntatem: Cùm enim ab illis avelli nolint, non patiuntur quemquam sibi adversari, itaq; aut monitores respuunt, aut eos audire nolunt, aut parere detrectant. Jerem. 5. *Percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos & renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti.*

Hæ sunt causæ præcipuæ cur ferè sit inutilis correctio: Sed an putas te inde sufficienter excusatum? *Et in fide tuâ peribit frater tuus pro quo Christus mortuus est?* Tu videris. Sed scito te Christo rationem redditurum de ejus perditione. *Veruntamen de manu speculatoris animam ejus requiram: Erit* itaque *anima tua pro animâ illius.*

Verùm ne in id incidam quod in aliis damno, permittite, Auditores, ut quoniam cum singulis tractare non possum, multos simul unâ correctione admoneam: De multis pauca seligo, si me patienter audire vultis.

Ac 1. quidem circa doctrinam, & opiniones; vobiscum expostulo quod in multis nimia sit facilitas in sequendis novitatibus. Hinc Græcia periit, & quæ vulgò putantur ingenia optima: cùm tamen omnis novitas suspecta esse debeat, & caveri omnis mutatio, & diversitas ab ijs quæ in Ecclesiâ credita sunt, & in usu communi jam recepto apud omnes. Neque illud audiendum, nos per hæc quæ proponuntur, reduci ad pristinos Ecclesiæ mores. Nam quod diu fuit abolitum, & esse desiit in usu, quando restituitur, non jam vetus & antiquum est, sed novum. Audiamus monitum Apostoli in Epist. ad Ephes. c. 4. *Ut jam non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ, ad circumventionem erroris.* Quibus verbis idem dicit Apostolus quod proposui: Nimirum prius dixerat, Deum posuisse in Ecclesiâ, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores ut scilicet haberent à quibus regerentur, & non quoslibet prout se offerrent sequerentur; ut non fluctuarent, sicut naves quæ non habent gubernatorem, & fiunt ludibrium ventorum: ventos vocat quamlibet doctrinam quæ quotidie variet, ut solent venti: ejusmodi autem novarum doctrinarum Doctores suis coloribus depingit, dum ait, *In nequitia hominum.* Hieronymus vertit fallaciam: Augustinus illusionem: hoc enim unum moliuntur, ut simpliciores decipiant, unde non vera, sed verisimilia, & quæ tantùm habent speciem proponunt. Deinde *in astutia.* Itaque non simpliciter dogmata proponunt, sed in multis verborum involucris. Denique ut scias quo tendant subdit, *ad circumventionem erroris*, Augustinus vertit ad machinationem erroris: nam sunt eorum innumera artificia, & substructiones errorum. Licet igitur ad vos uti verbis Apostoli ad Galat. 3. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?* & c. 5. *Currebatis bene: quis vos impedivit veritati non obedire?* Vbi autem illa veritas, nisi in Ecclesiæ definitione? Cujus autem Ecclesiæ, nisi Romanæ, quam in omnibus sequi debemus ut Matrem, sive in doctrinâ, sive in usu seu in consuetudinibus? Qui *Qui autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Audi si mihi credis, immò si credis Christo, &c. *Hoc fac & vives.* Amen.

FERIA QVARTA.

DOMINICÆ TERTIÆ IN QUADRAGESIMA.

CONCIO PRIMA

DE SCANDALO.

Explicatur ejus natura & gravitas per analogiam ad contagionem.

Scis, quia Phariſæi audito hoc verbo Scandalizati ſunt. Matthæi 15.

QUIS unquam credidiſſet Chriſtum, qui eo fine in mundum venerat ut tolleret Scandala, & qui in fine mundi Angelos mittet ut ſi quæ ſuperſint ſcandala, illa tollant, ſecundùm illud Matth. 13. *Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala*, ex eventu tamen contrario, omnium maximum attuliſſe ſcandalum. Nam uti dicitur Lucæ 2. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël.* Et Iſaiæ 8. *Erit in lapidem offenſionis, & in petram ſcãdali, duabus domibus Iſraël: in laqueum, & in ruinam habitantibus Ieruſalẽ. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* Itaque paſſim Phariſæi impegerunt in lapidem illum: & mors illius vocatur apud Paulum, *Iudæis ſcandalum*: non mirum igitur eſt ſi ejus doctrina facta ſit hodie iiſdem ſcandalum. Sed aliud eſt ſcandalum datum, aliud acceptum: Chriſtus autem non ſuo vitio nec ſuâ culpâ fuit ſcandalum, ſed ſuâ virtute, & efficaciâ: Nos autem hodie de ſcandalo propriè dicto agemus, ut hic ſermo cohæreat cum priori, ubi egimus de correctione fraternâ. Porrò hic diſcurſus ad omnes ſpectat quia pauci ſunt admodum, qui vel ſcandalum non dederint aut non acceperint, aut cum culpâ, aut ſine culpâ ſuâ: Itaq; omnes egent auxilio Dei, quod ope Virginis habere poſſumus. AVE MARIA.

SI homo viveret in ſolitudine à communi hominum uſu & conſuetudine ſe motus, & mul-

& multis virtutibus opus non habere, & multa peccata vitare non deberet, quæ idcircò vitanda sunt, quia vitam agit inter multos. Ita quid homini solitario opus esset operibus justitiæ, quæ semper est ad alterum: quid opera charitatis haberet necessaria, quid opera misericordiæ, & consequenter, quid ei opus fraternâ correctione: cujus oppositum vitium cùm sit scandalum, nihil necesse esset, illud timere vel ne daret homo, vel ne acciperet, si solitarius esset. Sed quia in commune vivimus, ideò & quædam necessaria sunt ut habeantur, quædam verò ut fugiantur. Immò quò illæ virtutes sunt communiores, & quò vitia contraria plures lædunt, eò quoque major eorum ratio habenda est. Hic itaque discursus necessitatis est, ut cùm de correctione fraterna dixerimus, de ejus contrario, quod S. Thom. 2. 2. q. 43. art. 3. ait esse scandalum, in consequentibus tractemus. Nam sicut in correctione fraterna attenditur specialis nocumenti remotio à proximo; ita in scandalo intenditur aut incurritur speciale proximi nocumentum. Verùm ut hæc tractatio minus habeat fastidii ex similitudine aliquâ petita à naturâ illustrabitur.

Non itaque 1. Id quod in morbis est contagio, id in peccatis & in moribus esse. Quod ad contagionem attinet, eius natura universè loquendo, parum nota fuit ad nostrum usque tempus, adeò ut maximi Antiquitatis viri de illâ locuti sint vel admodùm obscurè vel parcissimè. Hippocrates, qui potest appellari genius naturæ nunquam de eâ sermonem fecit. Gallenus magnæ eruditionis & eloquentiæ vir, ait tantùm lib. de different. febr. minimè tutum esse conversari cum iis qui peste correpti sunt, paulòque inferiùs, metuendum esse, ne qui cum iis agunt, eâ consuetudine inficiantur. Ideòque urbe Româ discessit, tempore vehementis pestilentiæ quæ civitatem illam afflixit. Avicenna, maximus medicorum quos habuere Arabes, & qui tam egregiè de peste scripsit ne unum quidem verbum de contagio habet. Contagii tamen vocabulum, & prima maximéque propria notio quæ de illo nobis venit in mentem, inducit nos ad repræsentandam nobis luem quæ ab uno corpore ad aliud migrat, quia contagio nunquam minus quam inter duas res existit, sive sint omnimò sejunctæ, sive duæ tantum partes sint, ad idem corpus pertinentes, tametsi prima species magis propria est quàm secunda, quæ appellari contagio nequit nisi similitudine. 2. At insuper oportet ut lues similis sit in utroque corpore, atque ut utriusque vitium par idemque sit: neque enim dicimus eos qui veneno pereunt, affectos fuisse contagio, sicut neque id quod in aëre corrumpitur, nisi aër infectus pariter fuisset. 3. Accedere etiam debet, ut eâ corruptio, fiat in subsistantiâ rei: si enim solùm in accidentibus fieret, corpusque unum ab altero incaluerit; nemo si velit propriè loqui, nominet illud speciem contagii. 4. Attamen, quia domus cuiuspiam conflagratio ex alterius viciniâ, continet universas conditiones suprà notatas, ita ut tamen nequeat dici periisse contagio, sicut neque id quod secundum se totum perit, adeò ut nihil ex eo reliquum maneat, ad Fracastorii insignis Medici sententiam accedo; omnem scilicet contagionem incipere primò, ipsoque ingressu per minutas insensibilesque partes, quæ venenum quò imbutæ sunt, in corpus reliquum insinuent: quod quidem nomen ipsum vulgare infectionis nobis significat: minimè enim appellamus infectum corpus quod corruptio redegit in nihilum, sed illud potius quod aliquibus sui partibus inquinatum, depravat quod integrum est, quodque residuum est corrumpit: quia partes simul

simul infectæ, inchoatam jam totius corruptionem absolvunt, extinguuntque totum corpus. Quibus ex omnibus, quæ dicta sunt, collectis concludi potest, contagione nihil esse aliud nisi corruptionem cum similitudine corporis mixti & compositi, quæ ab uno in aliud transit; incipiens à depravatione partium tenuiorum & insensibilium, & ab iis ad omne reliquum permeans. Quibus ita positis,

Aio id quod in morbis & infectionibus, appellamus contagionem, idem in vitiis moribusque nostris nominari scandalum. Nam peccatum in suâ origine sumptum, spectatumque in suo tantum subjecto, quamvis magnum ac enorme sit, minimè scandalum est, nisi alteri nocet atq; ab uno ad aliud trasi illud duntaxat quod accersit ruinã alteri⁹, pernicioſumq; fit suo exemplo. Quamobrẽ Scholæ magister S. Thomas 2.2. qu. 45. & cum eo Theologi illud definiunt, actionem suâpte naturâ talem, quæ spectatà hominum ignorantia aut fragilitate, nata est eos in peccatum inducere, hoc est, ut paucis dicam, quæ de se accersit aliorum culpam funestà imitatione, eô pernicioſior magisque infamis, quòd plures corrumpit: Vnde sequitur plurimas actiones ea solum ratione maximè esse detestabiles, quòd aliis noceant; neque sufficere si in se non sit malæ, sit sunt aliis pernicioſæ. Quod autem addidit S. Thom. spectata hominum ignoratione, aut infirmitate, duo docet. Primum, plurima esse nociva, non ex sua natura, sed ex hominum ignoratione, & infirmitate: unde videmus sæpius scandalum incidere in ignaros, & homines imperfectos: quâ de causâ David: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*: sed quia pauci sunt, & sapienes, & fortes, hinc fit ut homines passim scandalum patiantur. 2. Docet his verbis non ex cusari homines à scandalo, quod oriatur ex aliorum aut ignoratione, aut infirmitate: nam si illis suppositis, actio quam facis, nata est eos in peccatum inducere; scandalum facis, & reus es ruinæ proximi, quam, ob charitatem, teneris evitare quantùm potest: unde multa, quæ alioqui licent, non licent, propter aliorum periculum: *Et mandavit illis unicuique*, Deus *de proximo suo*. Eccli. 17. Id olim in lege expressum in leprosis quibus sic imperatur in Levitico cap. 13 *Quicunque maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum: contaminatum, ac sordidum se clamabit. Omni tempore quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra*: quorum plurima fidebant, ne alii inficerentur à leproso.

Nota 2. Morbos alios esse contagioſos, alios minimè: Ita quædam peccata scandalum pariunt: alia minimè. Quod de morbis dixi, patet experientiâ? Etenim multi sunt morbi, vel nullo modo, vel non admodùm contagioſi, ut hydrops, apoplexia, paralysis, & multæ febres ait Aristoteles 4. problematum Sect. 5. num. 4. Vnde cum multis ægrotis passim innoxiè versamur. Id autem accidit, quia aut exigua est putrefactio, aut si quæ est, in partibus admodùm humidis & aqueis existit, quæ statim dissolvuntur. Sed quosdam morbos esse contagioſos, & in alios transire quotidiana docet experientia: nam qui ophtalmia laborant, qui pthisi, qui morbo icterico, qui variis febribus, morbos suos communicant. Sic S. Gregor. Nyss. (orat. 2. quòd benignè excipiendi sunt pauperes) in ea Christi verba, *quod uni ex minimis meis feciſtis*, &c. contrà omninò sentire, ac arbitrari nullum esse contagioſum morbum: quoniam (inquit) sicut ægroti non possunt sani evadere, eorum congressu qui rectè valent; ita sani nequeunt eva-

dere, eorum congressu qui rectè valent; ita sani nequeunt evadere ægroti frequentando eos qui malè habent: siquidem contraria eodem progrediuntur passu, secundùm Philosophi verba, eadem est natura contrariorum. Verùm eandem hanc rationem ad probationem nostræ veritatis detorquendo, quandoquidem proprietates rerũ contrariarum oppositæ sunt, oportet, si morbi sunt contagiosi, sanitatem quæ ipsis contraria est, non esse contagiosam. Nihil dico de ratione quam affert Aristoteles in Problematis Sect. 7. n. 1. Morbus motio est, sanitas quies, ergo ille movere potest, hæc non potest: nam quod est secundùm naturam, nullam mutationem inducit; sed quod illi contrarium est, cujusmodi est morbus. In hac igitur veritate persisto, morbos esse aliquos contagiosos, quamvis omnes non istiusmodi sint. Ita peccata omnia minimè scandalosa sunt, ut quæ sunt interiora: Immò ne exteriora quidem quæ universis abdita sunt, sicut alter ille dicebat, si non castè, cautè: Sed ea tantùm, quæ alienum exitium accersunt, ac perniciosa sunt exemplo. Ita peccata magnorum Magna sunt: exemplo enim nocent quibus non magis latere licet, quàm Soli. Uti Solis Eclypses quæ toti terræ innotescunt, aliter ac defectiones stellarum, quæ vix animadvertunt. Ita culpæ Magistratuum, Principum, Prælatorum, Superiorum, Ecclesiasticorum, Religiosorum, eorum qui aliquam adepti sunt existimationem virtutis vel sanctitatis: quoniam eorum munera & actiones magni ponderis sunt; unde fit ut quod veniâ dignum est in sæculari, intolerandum sit in Religioso, aut in Ecclesiastico, cujus exemplum instar legis est cæteris. Sic adulterium Davidis, punitũ fuit à Deo severiùs propter scandalum, quàm propter culpam, quâ ipsi condonatâ ob pœnitentiam, Deus remittere ei noluit pœnam scandali 2. Reg. cap. 12. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum non morieris. Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.*

Nota 3. Ex omnibus contagij differentijs, tres esse præcipuas: sicut inter corpora, lue infecta, principiaque contagij, quædam non contaminant nisi contactu; alia præter hunc nocendi modum, habent etiam fomites qui exitiosa illa efficiant etsi absentia; postrema verò præterquàm quod possunt idem ac duo priora, id insuper potestatis habent ut è longinquo attingant, idque persequantur etiam quod remotum est, neque impediantur distantiâ locorum: In quo hunc actionis ordinem tenent, ut quod inficit longè dissitum, inficere etiam fomite possit atque attactu; & quod in fomitem se insinuat, noceat si tetigerit; at nullum reperiatur, quod ubi tactum fuerit non corrumpat: unde fit, ut genus hoc contagij, simplicius & ordinarium existat. Quamobrem ab eo exordior; facilius quippe est, notiusque: quod quidem experimur quotidie inter fruges, racemos, poma, mala citea, aliaque hujusmodi; quod meâ sententiâ, venit hoc modo. Tabes infectioque semper prodit ab aliquo, quod primum omnium marcescit, & corrumpitur; quoniam verò quod cæteris contagionem infert, putrefactum & corruptum est, oportet id quo contagio depravatur, pariter computrescere, quandoquidem, uti diximus, contagio nihil est nisi quædam per similitudinem infectio quæ ab uno corpore ad aliud pervadit. Est autem putrefactio mixti dissolutio, evaporante calido, & humido innato: ea autem evaporatio fit à calore externo, vel in aëre, vel in alio humido: utriusque igitur putrefactionis principiũ, & consequenter contagij est calor externus. Sed ea quæ in primo corpore contingit ab aëre, aut ab alio corpore, non est contagio: Quæ verò à partibus insensibilibus primi corporis per putrefactionem vapo-

ratis contingit in ſecundo, eſt propriè dicta contagio, quoniam in utroque eſt ſimilis infectio: Illas autem particulas id poſſe efficere in ſecundo, quod calor externus in primo, patet, immo multò magis propter analogiam: Quia igitur quæ particulæ evaporarunt, aliæ ſunt ſiccæ, & calidæ; & illæ aptæ ſunt exurere: aliæ ſunt calidæ & humidæ; & illæ aptæ ſunt putrefacere: humidum enim laxat, emollit, partesque ſeparabiles reddit, calidum autem educit, atque ſeparat: colligitur principium putrefactionis eſſe partes illas inſẽſibiles quæ evaporant, calidas quidem & acres, ſed humidas commiſtione, & deinceps proinde eſſe ſeminaria contagionum.

Sequitur 2. ſpecies, quæ ſe inſinuat abditq; in fomitẽ, ſicut videmus accidere quotidie, ut quod uſui fuit Phtiſicis, peſte afflatis, alijſque contagiosè morbidis, uti lintea, veſtes, lecti, reſque iſtiuſmodi, tangi non poſſint ab ijs qui ſani ſunt, abſq; evidenti periculo morbi ejuſdem contrahendi: quod quidem evenit eôdẽ modô, quô differimus de prima contagij ſpecie: Nonnunquam, enim contingit ut minutæ ac tenues illæ particulæ, quæ ab corpore infecto evaporant, nanciſcantur corpus quod lædi non poſſit, quia non ejuſdem eſt naturæ, ad quod nihilominus adhæreſcunt, ac ſe tuentur ſicut ignis in fomite, ut datâ occaſione ictum infligât, reperto que aliquo corpore quod lædi queat, tam vehementer noceant, ac ſi immediatè ab infecto corpore prodirent. In hũc finem natura duas illis qualitates largita eſt, magnam ſcilicet ſubtilitatem; arctamq; in ſuis partibus connexionem, pertinacẽ compoſitionem, & firmum quaſi rextum. Priot conditio illas exacuit, ut ſe in minimas quaſq; rimas ingerant, abdantq; in exigua foramina, ubi ſe ab aëre alijſq; corporibus tutentur: compoſitionis verò ipſorũ & temperaturæ bonitas, eas conſervat diu ſine ulla deceſſione: Duplex autem eſt compoſitionis mixtioniſq; validiſſimum genus: Unũ eſt in duritie, qualis eſt metallorum: Alterũ eſt tractabilis quædã materia, ſed accuratè ſubacta, diuq; elaborata, quæ fit ex minutis partibus ſimul permiſtis, multiplici verſatis modo, implicatiſq; aſſiduo motu, donec partes induſtriè ſimul colligatæ ſint, miſtione confusâ, & pertinaci complexu: quod faciliùs evenit, cùm vapor coarctus eſt, coactæq; partes, ſe mille collidunt modis, & variè conſociant; quibus ſi fœtidus mador advenit, tàm firmus arctuſq; fit contextus, ut ſe tutari poſſint infinitis in corporibus extraneis, quæ fomitem illis ſuppeditent. Undeaccidit ut ex univerſis rebus nihil adhæreſcat ad fomitẽ, niſiquòd lentoris eſt capax, viſcoſumq; & glutinoſũ, contrà verò res duræ ſiccæq;, aut admodùm aquoſæ, aut præter modũ dilutæ, aut eæ demùm quæ facilè alterantur, ſi ijs accidit ut putrefiant, contagioſæ attactue vadunt; ſed fomitem nunquam relinqũt, ſive quia adnecti nequeunt, ſeu quia ci:ò pereunt, neque ſe poſſunt tueri, quemadmodùm videmꝰ in frugibꝰ, quæ contagioſæ nõ ſũt alijs niſi ab iis tangãtur, propterea quòd humoris ſint aquoſi, nihilq; glutinoſũ habentis. Quòd autẽ madorẽ fœtidũ concipit, ſecum infert glutinum ſuum, & id quodcunque nanciſcitur, adhæreſcit, diuq; perſiſtit ob compoſitionis ſuæ bonitatem; Vnde fit, ut ſi attingit corpus ejuſdem temperaturæ cum quo proportionẽ habeat, hoc ſtatim inficiat, ſi autem diſcrepans eſt, ac minimè læſionem admittens, intromittat ſemina contagij, illoq; tanquam fomite utatur. Vbi animadvertendũ eſt, corpora quælibet minimè apta eſſe ad fomitem contagio miniſtrandum: 1. enim, perforata eſſe debent, aperta & ſpongioſa, ut admittant & contegant vaporem qui contagium parit. 2. Præter modum calida frigida-ve eſſe non debent, ac proindè nihil metuendũ eſt à marmoribus, à potitis lapidibus, & à metallis; à ferro, auro, argento, alijsq; tum quia ſunt denſa, neque ullas

rimas

rimas habent, tùm ob ipsorum frigiditatem satis aptam ad semina contagii extinguenda. Unde Mercurialis doctrinâ præcellens Medicus, nonnullos irridet qui timebants peste affectorum pecuniam attrectare. Nolim omittere quod ait, Illa eadem oportere aliquo numero esse, sine quo validissima venena nocere non possunt: Idipsum significavit Galenus libr. 3. de simplic. medicam ajens, centesimam partem drachmæ cantharidarum nihil efficere posse: Ex quo infertur solos tantùm ignaros contagium metuere, vel ex solo tactu filiâ pestifero afflati. Sed, uti aliquo loco Plinius dixit, Insatiabilis vivendi cupiditas hominibus monstrosas ridiculasque cogitationes tradidit. Reliquum igitur est, ut secundùm Levitici c. 13. pro suspectis habeamus lintea, pannos, pelles, quodlibet vestium genus, mensas aliaque lignea, ipsos adeò parietes, quos Deus jubet ibidem abradi, novoque tectorio induci, quod usuvenit, si vetustate jam detriti sunt. Hocin genere duo mirabilia reperio.

Primum est, quòd vapores illi tam parvâ exilique copiâ, perdurant tandiu ut complures anni nihil securitatis nobis afferant: ita videmus odorem diu servari in rebus suffitis, nigredinem permanere in parietibus, nonnulla venena custodiri in corporibus, quamvis sine intermissione ab naturali calore impugnentur. Hippocrates in libro de affectionibus internis, asserit nonnunquam nobis oriri nescio quem morbum in venâ sinistrâ, qui per annos, ampliùs duodecim fovetur, resolviturque in hydropisim: Theophr. libr. 4. de Histor. Plant. cap. 6. affirmat, Venena quædam hausta, præparari disponique nostris in corporibus, arcanis actionibus, plusquam tribus quatuor-ve mensibus, antequàm noceant. Sed quod ajunt de canum rabiosorum morsu admirationem omnem superat. Galenus enim nobis asserit cum Avicennâ, venenum per plagam inductum, sex mensibus, annoque interdum integro conquiescere. Albertus Magnus ad annos usque duodecim progreditur. Sed Alpharabius insignis Medicus ac Philosophus adjicit usque ad annum quadragesimum, quod oculis suis vidisse testatur.

Mirabile alterum est quod accidere potest, ut aliquis secum luem deferat, aut in vestibus, aut in corporis partibus inanimatis, ut in capillis, aliove àliquo fomite, ita ut non inficiatur ipse, alios tamen qui propiùs accesserint contagione lædat. Hoc ipsum dicit Evagrius lib. 4 Hist. Eccles. c. 28. accidisse in vehementi illa infamique pestilentia quam describit: scilicet sanctissimos deserentes patriam peste infectam, abstulisse secum contagii semina, quo externas regiones oppleverunt, quamvis eodem isti minimè affecti essent.

Nihil supereſt ampliùs nisi ut de tertio contagionis genere loquamur, quæ se è longinquo transfundit, nec ullum securitatis locum remotis corporibus relinquit. Ita videmus lippos, aspectu suo nobis nocere, Phtisicos, & pestilentia correptos inficere eos quibuscum versantur, eò usque ut malum amplificetur in Urbibus Provinciisque integris. Qui non satis habent recurrere ad causas incognitas atque abstrusas, ii principium hujus contagionis idem ac duarum superiorum agnoscunt. Itaque bono sensu admitto definitionem Mercurialis cap. 12. de Peste: sic enim ait. Est itaque contagium, communicatio morbi facta è corpore in corpus. Vbi nomine morbi intelligendum est, quod contrarium est naturæ, aut ipse scilicet morbus, qui vocatur affectio malaque dispositio, aut morbi symptoma & causa. Quod ille habet pro vero, quandoquidem symptoma pravam affectionem sequitur, sicut umbra corpus. nec mala dispositio communicare se aëri potest, indidemque corporibus nostris

quæ sola ipsius capacia sunt. Causa potest esse duplex, aut illigata corpori, aut à corpore disjuncta, simplexque qualitas, quæ sola non sufficit ad affligenda, multò minùs ad destruenda corpora nostra: Reliquum ergo est, ut substãtia sit. At ejusmodi esse debet, ut transferri facilè queat & loco mutari, quod convenire non potest substantiis solidis crassisque, quãdoquidem difficulter possunt moveri: Restat igitur ut sit vapor valdè accensus cùm urat, subtilis admodùm, cùm penetret, viscosus cùm adhæresçat, maximè venenatus, totâque substantiâ suâ, naturæ nostræ contrarius cùm interimat, idque sine ullâ cunctatione. Veritatem illam stabilio hacce communi experientiâ; ab corporibus quamplurimis leves aliquas exhalationes produci: Et quemadmodum, ut ajebat Empedocles, quicquid existit, fluxiones suas habet (sic oculus & cœpe nobis eliciunt lacrymas etiam eminùs; piper & Iris nobis sternutamentum excitant; crocus somnum inducit, multique in Apoplexiam decidunt ob metallicos vapores exceptos) Ita è corporibus infectis, putrefactisque prodeunt nocuæ exhalationes quæ in contagii semina mutantur. Alæ quibus vehuntur peraëra sunt duplex principium motus ipsarum: sublime enim appetunt cùm vapores sint, ut plurimùm calidi, sed ut res humidæ se in minutas particulas dividunt ad se invicem simul jungendas, ut singulæ sese conservent, recedendo quam minimè possunt ab iis quæ naturæ ejusdem ac suæ sunt: Accidit ut aër similiter se in minutas partes dividat, seque ita cum iis exhalationibus immiscеat, ut ambo ubique simul existant, quemadmodùm fumo contingere videmus, qui se ita cum aëre confundit, ut utrumque simul hauriamus: Cæterùm tenues illi vapores se se tutantur in aëre, cùm ob durabilem ipsorum compositionem, firmamque ministram, tùm propterea quod acres sunt & validi: Aliunde autem quando recepti sunt in corpore animalis, statim ac ob calorem accensi sunt, se corroborant, vim suã excitando; spiritus lacessunt, quos partim amovent naturali quâdam repugnantiâ; suffocant nonnullos; alios occupant qui ad cor diffugiunt, importantes venenum; corrumpunt humores, nobilissimasque partes invadunt, confuso vel extincto naturali calore; totumque animal calori extraneo, corruptionis principio, dantes in prædam. Introeunt sæpiùs per cutis meatus porosque, aut per minores venas, tùm per arterias, demùm ad cor perveniunt; modò penetrant ingrediuntur-que pedetentim, lentè propagando se usque ad corruptionem integræ massæ humorum; modò attrahuntur respiratione, atque unà cum flatu; aut dilatione venarum; aut quia vapor omnis angustus initio, secundùm figuram principii unde prodit, continenter se se prolatat, atque amplificat, & ita quoniam venæ cuti proximæ multo angustiores sunt iis quæ ad interitus ducunt, vapor ille admissus sensim influit, repertoq; spatio, plus licentiæ assumit, seq; diffundit per omnia, re nullâ interiùs relictâ quæ non inficiatur.

Quod de morbis diximus, de vitiis quoque dicere possumus: ac triplicem vitiorum contagionem ratione Scandali distinguere.

I. Enim vitiorum contagio fit per contubernium, consuetudinem, & societatem, quæ instar cujusdam tactus est. Hoc enim habet malitia, ait Democritus apud Stobæum serm. 1. ut res sit, quæ facilè capitur. Et ex Nazian. orat. 1. ad imitandum prona, atque expedita improbitas est, nec quicquam tàm facile, quàm malum fieri: quare comparat stipulæ quæ facilè ignem concipit ex scintilla. Ambrosius libr. de fuga sæculi cap. ultimo. Citò malis ducibus erratur. Porrò id potissimum fit consortio & consuetudine, unde dictum à Christo, *Et inimici hominis domestici*

stici ejus. Eodem refero amicitias ob frequentem societatē, unde monitum Sapientis Proverb. 22. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum homine furioso: ne forte discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ:* quo in loco jubet Salomon, ne in amicum sumatur homo iracundus.

Ratio est imitatio: Cum enim inter amicos multum peccetur, homo iracundus in irā excandescet, & eum cui irascitur, ad similem iram provocabit, quia nihil magis iram movet, quàm hostis ira. Quâ de re S. Basil. homil. de irâ. Noli adversario pro magistro uti, nec fieri veluti speculum irati velis illius formam in teipso ostendens. Hæc ille. Sic enim, comparatum est, ut qui in se videt alium iratum, omnes ejus motus, & verba in se concipiat: & hoc est illud scandalum quod vitandum monet Sapiens; præter ruinam quæ oritur ex alterius adversùm nos irā: *Ne fortè discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ.* Hinc originem habet, omnium Sapientum documentum illud, ut nemo se in malā induat consuetudinem, vel amicitiam, nisi perire velit. Rationem affert Nyssen. homilia 8. in Eccles. asst, exponens illa verba: *Tempus belli, & tempus pacis*: Quia qui nobiscum conversantur ii sunt inimicissimi, & hostes, quippe qui tres adversum nos turmas ducunt quib⁹ constantissimos expugnent, 1. Voluptatis laudatorum: 2. ad inania, & obscœna spectacula trahentium: 3. Eorum denique qui mali indicant facilitatem; & iis turmis quemlibet impugnant: Et hinc passim videmus magnam labē fieri morib⁹. hinc perditas athenas scripsit Naz. or. 2. quas, & pestiferas appellat aitque miraculo quodam se, & Basilium ibi servatos, ut Alphæum in mari; ut inter ignes memorata quædam animalia. Et certē non est tutius cū peste affectis quos tangere, quàm sit periculosum, quotidie videmus. Quis itaque speret, ut Paulini verbis Epist. 2. ad Severum, utar, quis speret, inter ignes non uri, inter laqueos non capi, picem tangere, nec inquinari? Unde non mirum si quotidie, iuuenum, & puellarum audiantur casus, quia passim cum omnibus sine delectu habent consuetudinem. Nec ferre possum quorumdā iactationē qui aiunt se eiusmodi consuetudine non tangi: quibus respondeo quod scripsit S. Hieron. epist. 47. Quid tibi necesse est in eâ versari domo, in quâ, necesse habeas quotidie aut vincere? Quis unquam mortalium iuxta viperā securos somnos capit? quæ etsi non percutiat, certè sollicitat. Hoc verò præcipuè locum habet in adolescentioribus, in quibus ex Ambrosio, ætas magis ad vitiū lubrica; & ex Augustino, flos ætatis periculum mentis. Sanè de iuuenū moribus disputans Aristot. 2. Rhe. c. 12. amicorum studiosi sunt (inquit) atq; sodaliū multò magis quàm cæteræ ætates: Itaq; ubi habemus in Psal. *Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum*: Theodotio vertit νεώτερος. Beat⁹ adolescens: Hinc enim fermè existunt, quæ frequentissimè videmus Adolescentum naufragia, quippe qui dum irretiuntur amicitiis, vitiis, constringuntur. Propterea malos socios, appellat Ioël ex interpretatione Theoreti *torrentem funium*: Eheu quàm multi irretiuntur illis vocibus, quas refert August. lib. 2 Confess. cap. 9. Eamus & faciamus. Tunc scilicet, pudet non esse impudentem. Unum etiam præterire nolo, quoniam primam speciem contagionis periculosissimam dixi esse per contactum, & universalissimam, hoc quoque in moribus esse observandum, ut supra cæteros sensus vitetur tactus, quem Aristoteles servilem, & belluinum sensum appellavit; S. Greg. Nyss. servilem, & cæcum, quem forte (inquit) propter cæcos natura fecit quò ait S. Climacus Gradu 15. Nihil gravius, nihil periculosius, ita ut (inquit) solo tactu sæpe corpus inquinetur: quod confirmat Basil. lib. de virginitate cùm docet

solo tactu florē pudoris amitti: ut enim (ait) si quis ignem tangit, subito bullæ, & ulcera nascuntur; sic bullæ in corde, & inflammationes è contactu generantur. Et in eam sententiam Theodorus Studita, solo attactu scelus contrahi dixit: Et S. Hieron. in vitâ S. Hilarionis, ait, tactum & jocos, esse morituræ virginitatis principia: Unde forte apud Hebræos, idem est tangere, quod pollui, & maculis aspergi: nam vox Neggah quæ lepram sonat, & legis immunditiam, & factum significat, ut ex voce rem ipsam intelligas.

II. Speciem contagionis diximus eam esse quæ per fomitē nocet; in quo manserint mali semina: Ita in vitiis & moribus ea omnia nocent, quæ mali semina conservant etsi mortua & insensibilia. An non semina contagionis vitiorum & errorum hærent in libris hæreticis; & pravæ doctrinæ in codicibus obscœnis, & amatoriis, in quibus tot annorum pestes conservantur? Cur enim amatorios libros, & obscœnos damnavit Tridentinum, nisi quia præsentem mortem in aureo poculo propinant? Vide quot populorum millia unus libellus enecavit; una fax immissa in templum Hierosolymitanum, tantum opus combussit, ac licet Titus voce & clamore juberet extingui non obtinuit à milite: Ita, &c.

2. In picturis & Tabellis turpibus & obscœnis, quas rectè Tatianus appellat Vitiorum monumenta: Nempe jampridem extincta, sæpe etiam multis deleta lacrymis, demùm picturâ reviviscunt: Vide autem quid efficiant: certè quod ait S. Cyprian. Epist ad Donatum, Adulterium discitur, dùm videtur: unde Clemens *Alexandr.* in protrept. eas vocat, mollis & effœminatæ vitæ archetypa. Sicut itaque pestis in fomite se communicat, ita obscœnitas facti è tabellâ: Nyssenus enim homil. 3. in Ecclesiastem damnans hominum potentium luxum in Tabellis, ait eos τοῖς ὀφθαλμοῖς πορνεύειν, oculis fornicari. Ratio est, quia ejusmodi picturæ titillationem provocant. Propterea cùm apud Isaïam, cap. 20. Deus minatur *terribilem diem Domini super omnem superbum & super omne quod visu pulchrum est*: Oleaster vertit ex Hebræo, & super omnes picturas desiderii, quia picturæ desideria inflammant: Iam quid de illis dicam ipsis artificibus, nisi quod Sidonius *Apollinaris* lib. 2. Epist. 2. Sicut ornant artem, sic eas devenustare artificem: ad hæc ostendere pictorem infamem. Nam uti *Apelles* dum *Aspasiam* pinxit, ejus pulchritudine captus est, & ut ille in fabulis, imaginem, quā pinxerat, adoravit; ita fieri non potest, ut pictor non fuerit primus tali repræsentatione inquinatus. *Ad* eos sermone convertendus, qui ejusmodi habent imagines, ut vel mutent eas, vel damnent igni. Quàm melius haberentur picturæ sacræ, quas veriùs vocarem incitamenta animi, quàm Seneca sic appellavit Philosophorum vultus.

3. In monumentis, in donis, & muneribus, quæ passim ab amantibus dantur in fomenta libidinum. *Audi* quid dicat Sapiens Eccli 42. *De vestimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri*: Quidquid habes ab amicâ, si vitta solum sit, vel hirotheca, si vel solum tetigeris, non tineam videbis prodeuntem, sed iniquitatem. Monet Hieron. ne quis à Virgine, aut à muliere gustatos cibos attingat: narrant (ait idem Doctor lib. 1. in Iovinianum) fabulæ, Mithram, ac Erichthonium, vel in lapide, vel in terrâ de solo æstu libidinis esse generatos: Unde & noster Ioseph, quia tangere illum volebat Ægyptia, fugit è manib⁹ ejus, & quasi ad mor-

morsum rabidissimæ canis, ne paulatim virus serperes, pallium quod tetigerat, abjecit: Hæc ille. Quid ab eâ accepisset, qui noluit etiam suo pallio uti, quod ipsa tetigisset? Hinc videmus sæpe ejusmodi munusculis ignem foveri. Quid igitur virginum crines, & alia defers munuscula? quid tu data à juvenibus munera servas? de quibus omnibus dixit Iacobus cap. 5. *In luxuriâ enutrire corda.*

3. Species contagionis lædit per aërem, ita ut nemo sit securus: hoc si in morbis verum est, multò magis in vitijs, per quæ videmus passim homines feriri rebus minimis & exiguis. Ille perit alterius sermone, hic eloquentiâ, ille cantu, hic solâ facti narratione; ille visu, & solâ imagine. Vidit David mulierem ex adverso se lavantam: ut vidit, ut periit. Viderunt senes pulchritudinem Susannæ, & *exarserunt in concupiscentiam eius*: Vidit Samson mulierem alienigenam, & adamavit eam: & hinc periit. Quâm multi solâ memoriâ. Nam ut ait Nazian ὁ τύπος μέρος ἐστὶ τῆς πορνείας. sola imago impressa in animo, pars magna luxuriæ, & adulterij. Quàm sæpè vestigium externum impressum in pulvere ad casum impulit. Dictum est de Holopherne ad aspectum Iudith cap. 16. *Sandalia ejus rapuerunt oculos eius, pulchritudo eius captivam fecit animam eius.* Sæpe tantum vestitus, sæpe aspectus, sæpe risus, sæpe nutus in crimen induxit. Vide quomodo passim amores conciliantur. Quam sapienter Ursinus Presbyter animam propè agens, vxorem à quâ quadraginta annos abstinuerat, explorantem propiùs an efflasset animam, à se repulit hoc dicto: Recede mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. Itaque præclarè S. Chrysost. in Psal. 50. quosdam exagitat qui quotidie in cœtu mulierum versantes, ajebant, spectamus quidem, sed nihil inde lædimur: Quid audio? David læsus est, & tu non læderis? Ille victus, prostratusque iacuit, & tuæ ego virtuti, & constantiæ fidere queam? Is qui tantam spiritus gratiam habebat, spiculum accepit, & tu in infamium rerum spectaculis lauciari te negas? & paulò post: Omni ex parte feritur mens tua: per aspectum, ob ea quæ vides: per aurem, per olfactum: & cum tot præcipitia sint, tot corruptelæ, quî credere queam te à ferarum morsibus immunem esse? Num tu saxum es? num ferrum? Homo es, communi naturæ imbecillitati obnoxius. Ignem capis, nec uris. Qui fieri id potest? Lucernam in fœnum pone, ac tùm aude negare, quod fœnum exuratur: quod porro fœnum est, hoc vero natura nostra est. Hæc ille.

Nota 4. Inter morbos pestem maximè omnium contagiosam esse: Inde fit ut apud vulgus illi nomen contagionis tribuatur, cæteros omnes morbos qui contrahuntur ex alio, tantùm contagiosos appellando. Id edisco ab Aristotele lib. 1. Problem. Sect. 7. qui ait, pestem maximè contagiosam esse inter morbos qui communicantur. Idem asserit S. Basil. in Psal. 1. dicens naturam pestis esse dispertire se plurimis, ut uno contaminato, vis morbi mox ad alium perveniat. 2. morbi reliqui ut plurimùm unam solùm partem inficiunt, pestis autem totum animal inquinat, spiritus, humores, ipsam partium substantiam, vitæque sedem, quæ quidem cor est. 3. pestis omne personarum genus plerumque invadit, nullo sexui conditionique parcendo, cùm morbi cæteri contagiosi rarò admodùm sint communes: 4. nulla est contagij species quæ pestem non efficiat infamem: 1. per tactum non solùm si ulcera tangantur, sed vel tantùm si sola persona tangatur: 2. per fomitem, unde bene moratæ civitates cuncta peste affectis famulantia in vestibus, & supellectile, flammis damnant: nullus autem fomes tandiu durat in externo, & alieno subjecto, quàm fomes pestis; sicut in vivente nul-

nullus citiùs enecat. Illustre exemplum est apud Mercurial. cap. 7. lib. de Peste : ubi ait, olim in Babyloniâ, in Apollinis Templo, auream miræ vetustatis arcam apertam fuisse, ex quâ pernicioſissimus halitus expiravit, unde graviſſima pestis exorta, quæ usque ad Parthos immaniſſimè grassata est. 5. inter omnia contagia celerrimè pestis inficit & periculoſissimè : unde conficitur pestem esse omnium morborum maxime contagioſam.

Eodem modo ex omnibus animi morbis nullum peccatum magis contagioſum, quam luxuria. 1. Quia propriè contagio fit per infectionem, quod hujus peccati maximè est proprium. 2. quia supra omnia peccata totum hominem inficit; non tantùm quoad animam, sed etiam quoad corpus, juxta illud Apost. 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem : omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, nam reliqua peccata solam animam ferè inquinant, sed peccatum carnis, & animam & carnem inficit. Deinde ex Chryſost. per alia crimina pars una corporis polluitur, manu per cædem, & furtum; sed in fornicatione totum corpus fit sceleratum, & execrandum: tanquàm enim incidens in lebetē immunditiæ, sordib. & inquinamēto tinctū, sic cōtaminatur 3. Quia omnes homines attingit, & vagatur per omnes, ita ut pauci eximantur, sitque peccatum communiſsimum, unde tertia hominum pars obillud perit, uti docet Toletus. 4. Quia modis omnicus inficit de quibus diximus, tactu, fomite, & per aërem. 5. Quia omnium celerrimè inficit hominem, & mactat, uno aspectu, unâ cogitatione, & delectatione. Ierem. 9. *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* Nyſſenus hoc interpretatur de sensib⁹ externis per quos intrat in cor turpes cogitationes & titillationes voluptatum : Inde enim concupiſcimus, & ut ait Iacobus, *Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.*

Nota 5. Nihil esse in peste formidabilius contagione. Ea est quæ depopulatur familias, exinanit urbes, vastat Provincias, regna evertit : Ea est quæ olim Athenis adeò pestilentiam accendit, sicut memorat Thucydides lib. 2. suæ. hist. ut nemo respectus sit quem vel mors è vivis non sustulerit, vel qui non fuerit morbo correptus, vel propinquorum exitium non doluerit. Duæ spectatiſsimæ pestilentiæ urbem Romam afflixerunt, una quo tempore Magnus Camillus interiit, numero mortuorum quotidie ad decem millia progresso, secundum Euſebium in Chronico : altera sub Vespasiano & Commodo Imperatoribus, quæ die quolibet, duo ægrotorum millia perimebat, testibus Dione & Xiphilino. Visi sunt in urbe Constantinopoli singulis diebus mori decies mille, inquit Procopius lib. 2. de bello Persico : Eâdemque in urbe sub Imperio Isauri mortuorum numerus ad trecenta millia pervenit, uti scribit Volaterranus Platina literis mandavit, sub Benedicto VIII. Pontifice, longè plures pestilentiâ sublatos quam superstites fuisse. Si fidem adhibemus Iacobo, cui cognomen de partibus, anno 1345. extitit pestis, quæ annorum quinque spatio dimidiam hominum partem sepulchro intulit : annoque pòst ducentesimo quæ secuta est tertiam mortalium partem absumpsit. Verùm innumeræ illæ strages, cædesq; tā obstupescendæ attribui neque unt, nisi modo quo se cōmunicat extenditq; pestilentia, quæ appellatur à nobis contagio.

Ita in vitijs illud maximè formidabile est, quod ita contagione serpit, ut vel unicus homo universum orbem perdere possit. Hæc est enim natura scandali. Horribilis & detestanda calamitas! quoniam illud est, quod in mundum universum introducit peccatum, quod conventus omnes inquiant, congressus om-

omnes damno afficit, mores profligat, destruit leges, virtutem delet, corrumpit juventutem, status omnes pervertit, civitates depravat, vastat Provincias, perturbat regna, Imperia pessundat, universitatem orbis conjicit in naufragium vitiorum, peccatorum, criminũ, scelerum. Oseæ 4. *Maledictum & mendacium & homicidium & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Peccatum funestum, & execrabile cùm impugnet immediatè, ac extremâ rabie, reginam Virtutum, charitatem. Peccatum, nimis notũ hominibus, sed nimio plus usitatum! nemo de eo cogitat, nihili curatur, non numeratur inter offensas, sed nullus de eo accusat: attamen in materiâ gravis momenti, quomodo plerumque in sæculo committitur, lethale est distinctum ab alijs omnibus, quæ sæpenumerò minora illo futura sunt. Peccatum horribile! quandoquidem cœlum orbauit Angelis, è Paradiso parentes nostros expulit, humanum vastavit genus, idololatriam promovit, perdidit populos integros, salutem quasi impossibilem reddidit in communi hominum cursu, orbemque in summum exitium præcipitavit. Sed ex universis rebus nihil me ita præcellit, ac mirabilis ejus progressio prodigiosaque propagatio. Tenuis exhalatio ex arcula in Apollinis templo expirans, orbẽ mortuis complevit, terrâque ex universa ingens magnæ hominum partis sepulchrum efficit. Sic unũ duntaxat pravum ingeniũ in mundo sufficit, ad regna omnia erroribus, & vitijs, exitio vastanda. Qui non fecit unus Arius in Ecclesia? Orbis penè totus in conventu Ariminensi, Arianum se nec cogitans vidit, ut scribit S. Hieronymus. Vigilantij doctrina, ferè omnem mulierum castitatem perdidit. Vnius Manetis memoria quanquam cute exuti, tot in mundo animas pessũdedit. Quid non præstitit Lutherus unus in Germania? Quid non in Gallia Calvinus? Quot animas pervertit? Et gladius ille quem jactabat à se terris illatam, quantam fudit copiam sanguinis? Quot comisit prælia & certamina? Quot trucidavit Religiosos & Sacerdotes? Quot profanavit altaria? Quot diruit Tẽpla? Quot turbas huic nostro Regno intulit? Improbus detestabilisque Atheus qui vitam in flammis amisit, quot labefactavit ingenia, quot profligavit animas? Sceleratus nebulo unicus satis est ad perniciem urbi, Provinciæ, Regno creandam. Strabo lib. 15. refert de quadam arbore Indica quæ supra 12. cubitos crescit; reliquum sponte flectitur deorsum usque ad solum, & sponte suâ terræ figitur, ibique item radices mittit, novam efficiens arborem, cujus etiam rami eodem ordine reflectuntur, & radicibus emissis nova fit arbor, & ita deinceps, ita ut ex una arbore, tota Sylva possit existere. Idem in progressu scandali contingit, unde quilibet colligere potest, quantorum criminum reus sit ex uno scandalo. Fax una quot thalamos cremat? una puella quot simul adolescentes perdit? unus liber, una vox, quot plerumque perimit? Ea quippe natura est scandali; ne leve crimen putes, nec te parùm noxium credas.

Nota 6. Omne contagium, postulare aliquam analogiam inter corpus infectum, & inficiens, ita ut impressio non sit æqualis in omnibus, sed cum delectu & occasione. Sic quædam pestes in vasere tantum animalia, aliæ quædam plantas: nonnullæ discrimen fecere in animalibus, aliæ gregem duntaxat, modo unum, modo alterum; aliæ solum hominem aggressæ. Pestes quædam pepercerunt uni sexui, aliæ ætati. Dionys. Halicar.

4. Histor. Rom. mentionem facit pestilentiæ, quæ solas puellas, muliereſque gravidas attigit. Joan. Bapt. Boterus lib.

Relat. de novo mundo commemorat pestẽ quæ Juvenibus tantum infrà trigesimum ætatis annum accidit. Aliam vero medicus Gen-

tilis describit quæ invadit solum validissimos & maximè robustos. Videmꝰ quotidie morbos cõtagiosos qui demetũt pueros neq; cæteros attingunt. Sũt qui malũ contrahãt, ob pedem tantummodo illatum in aliquam domum infectam: ubi quidam alij optantes mori, perstitere incolumes sanique in pestiferorum congressu, eorum tangentes ulcera, & furunculos, hautientes eorum aërem, vescentes unà cum ipsis, & eodem utentes cubili; quod induxit Evagrium ut crederet, pestem Constantinopolitanam quam describit non fuisse cõtagiosam. Ampliùs etiam istud est, quòd analogia illa differentiaque reperitur etiam inter membra: Oculi soli corripiuntur lippitudine; Phtisis nil nisi pulmonem exulcerat, parcitque oculis, qui non minus teneri sunt: Alopecia, pilique defluvium, caput solum deformat: Immo aliquot morbi deligunt inter humores eum ad quem analogiam habent, ac fæpè solos spiritus invadunt, aliquando vitæ sedem & cor; unde obtinguntur tam inopinati obitus, & symptomata sic prodigiosa nec expectata, quorum causa nescitur.

Ita cùm à pluribus capitibus timendum sit scandalum, maximè tamen si fuerit.

1. Inter amicos: quia inter illos facilis est imitatio: unde Sapiens Proverb. 22. *Noli esse amicus homini iracundo*, &c. ut diximus suprà. Hinc Christus jubet ut non tantùm dissolvãtur ejusmodi amicitiæ, sed etiam ut discindantur: *Si oculus tuus*, &c. Cujus rationem ita explicat Sanctus Chrysostomus Homi. 60. in Matth. Nam si maneant amici, nec illos lucraberis, & tuipse simul peribis: sin verò procul illos abs te abjeceris, tu saltem salutem consequeris. Idem dico de æqualibus in occupationibus, propter actionũ similitudinẽ.

2. Si ex Patribus in Liberos: Quia contagio maxima esse solet, ubi est analogia: Et est facillima Patrum in filijs imitatio.

3. Si ex Magistratu & ex Principe: Quia hæc imitatio videtur honesta, & facilè speratur impunitas.

4. Si ab ijs qui alios à peccatis debent avertere: ut cùm Sacerdotes, & alij in dignitate positi delinquunt, unde in illis ex dignitate crescit scandalum, ideoque in confessione hæc circunstantia aperienda: Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege*: Sed ut Christus monuit. *Væ mundo à scandalis, necesse est enim ut veniant scandala, veruntamen væ homini illi per quem scandalum venit.* Sed hæc & alia in sequentem Concionem rejiciemus, in qua Scãdalosos insequemur: dùm interim abeorum lue nos immunes servemus, ne per nos tanquam per infecta membra Ecclesia contagiõ laboret, immò ut à peccatis liberi, & *immaculatos nos custodientes ab hoc sæculo*, ad æternam patriam, in qua nullum est scandalum, per Dei gratiam perducamur.

Amen.

FERIA

FERIA QVARTA.

DOMINICÆ TERTIÆ IN QUADRAGESIMA.

CONCIO SECUNDA

DE SCANDALO.

Quoniam peccent hoc genere peccati, & quæ sint illius species.

Scis, quia Pharisæi audito hoc verbo Scandalizati sunt.
Matthæi 15.

NON sine peculiari Providentiâ Dei, cum res sensibiles & corporeæ, nos afficiant magis quàm spirituales, primæ sunt imagines secundarum. Inde fit, ut non solùm Deus res cœlestes, & quod ad legem gratiæ pertinet, expresserit ad figuram ceremoniarum antiquæ legis, secundum S. Pauli verba Hebr. 8. *Exemplari & umbræ deserviunt cœlestium.* Adeò ut, quemadmodùm animadvertit Origenes, universæ naturales creaturæ ad vivum repræsentent supernaturales spiritualesque; unde prodeunt parabolæ ac similitudines. Quod mihi causam dedit ex consequentiâ Sermonis de fraternâ correctione, loquendi vobis de ipsius contrario, scilicet de scandalo, ut id nominat S. Thomas, 2. 2. qu. 43. art. 3. sub imagine contagij quod res eadem est in morbis, atque scandalum inter peccata. Vt autem morbi omnes & qualescunque non sunt contagiosi, sed ij tantùm qui communicantur alteri, eò perniciosiores cæteris, quò malum ad plures personas extenditur; ita peccata omnia minimè

scandalosa sunt, ut quæ sunt interiora abditaque omnibus, sed ea duntaxat quæ alienum exitium accersunt, & damnum inferunt exemplo; in eo magis infamia, quòd plures depravant. Nè verò dicta tam de contagione, quàm de Scandalo, repetamus; hoc unum tantùm in memoriam revocate: Aliam esse contagionem propriè dictam; Aliam verò impropriè dictam. Illa est communicatio morbi à corpore in corpus: Impropria autem, communicatio morbi à parte ejusdem corporis in aliam partem; est enim extensio mali: ita passim priùs spiritus corrumpuntur, tùm humores, tùm partes substantiales in peste. Ita distinguere possumus duplex genus scandali: Aliud est impropriè dictum; Aliud propriè dictum; Ordiamur ab impropriè dicto. Licet enim scandalum dètur propriè alteri, quilibet tamen nostrùm potest in se ipso observare duplex scandali genus, tanquam duo peccati contagia.

1. Est membri ad membrum, potentiæ ad potentiam, facultatis ad facultatem, eô ferme modô quâ in eâdem personâ propagatur pestis, occupans primò spiritus, tùm humores, posteà substantiam solidarum partium, ac demum cor, ipsum. Ita ille suscipit venenum oculis, hic aure, alius alio sensu secundùm quod dixit Ierem. Thren. 3. *Oculus meus depradatus est animam meam.* Et per sensus omnia in animum, & cor delabuntur: Ierem. 9. *Ascendit mors per fenestras nostras*: quas fenestras Patres interpretantur nostros sensus externos: Unde Christus Matth. 18. *Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum & projice abs te*, &c. Et certè cùm nullum sit in corpore nostro membrum, à quo infici non possit anima, præcipuè tamen id contigit oculis, ita ut melius esset, nasci homines cœcos, quam oculatos adeò illud verum est. *Oculus meus depradatus est animam meam.* 1. enim oculi ut ait S. Gregor. lib. 31. Moral cap. 1. Fenestræ sunt animorum: Tùm quia per oculos anima exit, sunt enim sensus ait Gregor. quasi quædam viæ mentis, quibus foras venit; unde Hieron. Epistola 10. Taciti oculi, cordis fatentur arcana; & eos Nonnus Poëta appellat, præcones tacitos: Tum quia per oculos externa in animam ingrediuntur: unde Nyssenus cùm attulisset dictum Ieremiæ, *ascendit mors per fenestras nostras.* Verè (inquit) sæpe oculus τομῶν θανάτων εἴσοδος. Multis mortibus introeundi aditum præbet. Sed parùm est quod dixi per oculos patere ingressum in animam, cum ex Plinio lib. 11. Ipse animus habitet in oculis: Immò Chrysost. oculos appellet animi membrum τὸ ψυχῆς μέλος vel cantum. Sed præcipuè per oculos ingreditur libido & infamia, uritque videndo fœmina. Notum illud dictum vetus. Oculos esse in amore duces. Hinc dictus ἔρως ut ait Plato in Cratylo, quod εἴσω id est, influit in animos: itaque patere non possunt oculi quin statim amor ingrediatur, ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error: Propterea S. Chrysost. oculum appellat μοιχείας πρόξενον. Adulterii conciliatorem; & Tertullianus incitatorem libidinis. Ideòque rectè Zaleucus judicavit dum statuit, ut adulteris oculi eruerentur, ipsam causam libidinis attingens. Testis David, qui ut vidit mulierem ex adverso se lavantem statim ejus formâ captus est, & adulterium perpetravit, Certè nulla unquam fax maiora excitavit incendia, quàm oculi; & nemo adulterium committit, nisi priùs oculos conceperit. Ideo 2. Petri 2. Oculi dicuntur *pleni adulterii & incessabilis delicti.* Et illis datur cogitatio & concupiscentia: nam Ioannes in Epistolâ suâ vocat vilum concupiscentiam oculorum, quòd origo concupiscendi sit in illis. Ac vide velocitatem contagii, & veneni, vel Christo Domino teste Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam.* Id est, qui ita viderit, ut concupiscat, *jam mœchatus eam est in corde*

suo

fuo: quia ut ait S. Gregor. loc. cit. per Moyſem, luxuria perpetrata; per authorem verò munditiæ, luxuria cogitata damnatur. Hinc vide prudentiam Iobi cap. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Ne, ut ait Gregor. prius incautè aſpicere, quod poſtmodùm invitus amaret, &c. Ne ergo, inquit, quædam lubrica in cogitatione verſemus providendum nobis eſt, quia intueri non licet concupiſci. Vt enim munda mens in cogitatione ſervetur, à laſcivâ voluptatis ſuæ deprimendi ſunt oculi, quaſi quidam raptores ad culpam: Neque enim Eva lignum vetitum contigiſſet, niſi hoc priùs incautè conſpiceret. Scriptum quippe eſt: *Vidit mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius & comedit.* Hæc ille: Scio quoſdam eſſe oculos, qui dicuntur à Salvatore ſimplices: à Salomone rectà videntes. In Canticis, oculi columbarū: à S. Nyſ. πνευματικοὶ ſpiritales: & ejuſmodi non vident mulierē ad concupiſcendum, quia ex Baſilio, vel non defigunt obtutum, vel corrupti non ſunt. Ac ſcias non mirum eſſe, ſi oculi animam ipſam inficiant, cùm etiam aliquando inficiant alios intuentes; adeò ſe ſe ex illis prodit libido: unde innoxiè videri non poſſunt, neque ullus ab illis innoxiè videtur. Neſcio enim quomodo fiat, ut aliter qui pii ſunt videantur; aliter qui procaces: Nam qui pii, non lædunt, cùm videntur, ſecundùm illud Pſalmiſtæ: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur*: quod exponens Sanctus Ambroſius ait, aſpectum piorum, & prodeſſe, & corrigere: Et quàm pulchrum, ut videaris, & proſis. Exemplum affert avis illius quæ prodeſt Ictericis ſolo viſu; quantò magis vir iuſtus: Ita Paulus Hieroſolymā profect⁹ ut videret juſtos, & Petrū: Ita Lucian⁹ Martyr ſolâ oculorū modeſtiâ multos barbaros ad fidem convertit. Sed ſemper tutius eſt oculos cohibere, uti dicebat David. *Averte oculos meos ne videant vanitatem*: Pſal. 118. Certè Græci ſapientes Temperantiā vocarunt ὀφθαλμῶν ἡνίοχον, oculorum aurigam & moderatricem: Vnde dixi ex Iobo cap. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis*, &c. Sed de illis ſatis.

Quid dicam quod unica pars hominem totum contaminet, nempe cor: In noſtro Evangelio: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, formicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ; hæc ſunt quæ coinquinant hominem.* Pulchrè id exprimitur apud Iobum cap. 15. *Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium*, quaſi diceret *Ex âbundantiâ cordis os loquitur*: eſt enim os & lingua cordis Diſcipulus: *& imitaris linguam blaſphemantium*; ut enim qui blaſphemant cæteris ſunt malo exemplo, & alios docent blaſphemare, ita cor docuit linguam: unde ab unâ parte in reliqua membra ſerpit vitii contagio, quod Chriſtus exprimit, illâ voce, *hæc ſunt, quæ coinquinant* hæc enim vox pertinet ad infectionem, infectio autem ſonat contagionem, & mali communionem.

II. Genus contagii ſeu ſcandali impropriè dicti fit in dies per inveteratam conſuetudinem quæ continuatione corroboratur: Ita ut qui malus fieri incipit videatur ſibi legem indicere continuandi hunc eundem ſtatum; die unâ inquinando alteram, vitam que totam inficiendo, uti dixit veterum unus diem ſequentem prioris eſſe diſcipulum: unde fit ut ætates ſequentes ſint ferè ſemper pejores, & deteriores, ut in ſtatuâ Nabuchodonoſoris, erat caput aureū, pectus argenteum, femora aurea, pedum una pars ferrea, altera fictilis. In eum ſenſum interpretatur S. Baſilius illud Pſalmi primi. *Et in Cathedrâ peſtilentiæ non ſedit*: nam per Cathedram, diuturnam in peccatis moram, & conſuetudinem intelligit, quæ, inquit animabus ſolet habitum ingigne-

re vix unquam desiturum, & ægerrimè mobilem: animi enim morbus, ubi inveteravit jam, mali item exercitatio simul atq; occalluit diuturnitate vix ullam, admittit medelam, aut certè immedicabilis fit prorsus, cum in his, ut in plerisque aliis, consuetudo, mutetur & abeat in naturam. Huic rei innititur quod dicitur Proverb. 22. *Proverbium est, adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Hinc colligere possumus qualem demum multorum vitam expectare debeamus, & quales viros Reipublicæ nostra ætas promittat.

Sed omisso hoc genere Scandali, ut minus proprii, usurpemus Scandali vocabulum in proprio significatu; Illudque consideremus cum respectu ad cæteros, sicut luem quæ ab homine uno ad alium transit. Quemadmodum autem agnovimus superiori Concione triplex contagii genus, Dico pariter, tria esse genera Scandali, à Davide indicata initio Psalmorum. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in viâ peccatorum non stetit, & in Cathedrâ pestilentiæ non sedit.* Sumam illa non eodem ordine, at prout se se invicem enormitate superant.

1. Genus Scandali propriè sumptum, est omnis actio adhibita ad hunc finem ut aliquis inducatur in peccatum, cum intuitu boni alicujus proprii in alterius lapsu. Peccatum sanè diabolicum, lethale ex genere suo, & unum è gravissimis, ob incredibilem ipsius malitiam Quoniam malum per se amare videtur dum malum alterius spiritale, suum bonum putat; licet malè: Nec enim spiritale ejus bonum est, nec temporale, igitur malum est tantummodò, unde sequitur summam continere malitiam. Porrò ex triplici fonte fermè oritur. Aut ex Invidiâ: Ita pessimi quidam homines, cùm boni esse non possint, nolunt alios recte vivere; instar Diaboli, qui ut, advertit S. Chrysost. homines aggreditur non ut vincat, & vincendo aliquid lucretur, sed ut simul dejiciat, & in eandem trahat ruinam: Aut ex Odio proximi, cui male esse volunt: Aut ex Odio Dei: cui cùm non possint nocere, nocent eius bonis: Ad hanc classe reduco

1. Eos omnes qui magistri sunt impietatis, nimirum Hæresiarchas, errorum, & falsorum Dogmatum authores, Atheos, Impios, pravos consiliarios, homines projectos ad omnem audaciam, improbos impudentes, qui jactant quædam dogmata diabolica, & effata temeraria, ita ut simpliciorum mentes evertant, de quibus David, *aut in Cathedrâ pestilentiæ non sedit.* Talis fuit impius Balaam, qui licèt à Deo per revelationem cognovisset veritatem, tamen perstitit in odio populi Israëlitici, atque impium consilium dedit Regi Balac Num. 24. & 25. ut populum Israël induceret ad Idololatriam & fornicationem, qui deinde rabie accensus, arma sumpsit adversus populum, sed gladio interemptus miserrimè periit: Eiusmodi hodie sunt.

1. Qui impia de Deo pronuntiant; contra ejus bonitatem, & alia attributa: secundùm illud Iobi cap. 15. *docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguas blasphemantium:*

2. Qui de alterâ vitâ detrahunt, & de animorum immortalitate, multa in dubium revocantes: immò vitam præsentem anteponentes futuræ, si modò bona præsentia nos nunquam desererent.

3. Ejusmodi male Doctores qui aggrediuntur quæ pertinent ad fidem, ita ut aut de Deo, aut de Christo, aut de fidei articulis, male sentiant, vel male loquantur: Quâ de re quibusdam verbis sensum meum exprimere debeam sane nescio, Auditores. Præterita tempora, parentumq; nostrorũ ætates, numeraverunt quovis sæculo duos tresve Hæresiarchas, quos flammâ ferroque persecuti sunt: Superiorum tempora calamitas poterat inhiberi duorum

sum aut trium nihili hominum nece, quos mille crimina ad ignem flammasque adjudicarunt. Hodie verò nullum est quamvis exile ingenium, quin vexillum suum efferat, habeatque fautores: Quilibet magistrum agit; Et gravissima quæque fidei nostræ mysteria in disceptationē, dubitationemque ab licentioris vitæ hominibus, ad omnem audaciam projectis vocantur.

4. Alii qui sunt magistri contra bonos mores, contra quos multa jactant, & omnia honestatis principia, vel in universum, vel in particulari evertunt; In universum quidem, ut cùm eorum plures naturam jactant, & secam sequi dicunt, quòd Sapientes atqui tantoperè prædicarunt, cùm dixerunt, nos debere sequi Deum & Naturam: Sed 1. An nesciunt supra naturam esse Gratiam, nos autem ad gratiam esse evectos: 2. Cùm id dicunt, qualem naturam intelligunt, an integram, an corruptam: At natura nostra corrupta est, neque fit integra, nisi per virtutem. An ignorant illud CHRISTI Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus: Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus* Et illud Apostoli ad Galat. 5. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*: Ibid. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis.* 3. Quam naturam? an hominis? an belluæ? Natura autem hominis ratio est, non autem sensus: cujuslibet enim rei natura, est species, non genus: Vide in animantibus, in quibus unaquæque speciem sequitur non genus: species autem hominis est ratio, genus autem sensus; unde sequitur hominem si naturam sequitur eū debere sequi rationem, non autem sensum.

Item cùm alij jactare solent saluti suæ hilariter consulendum esse, licet Christus dixerit Lucæ 6. *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram: Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis: Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis*: licet hæc vox sit Sapientis Ecclesiastis 2. *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis?* licet denique nulla sit utriusque Testamenti pagina, quæ non dicat, Regnum cœlorum vim pati, & violentos illud rapere, semper esse præliandum, oportere sibi renuntiare, perdendam esse animam, tollendam crucem, &c.

Item cùm dicunt audacter licere omnia facere quæ licent: quanquàm clamat Apostolus, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt; omnia mihi licent, sed non omnia ædificant*: Et Clemens Alexandr. Qui facit quidquid licet, sæpe facit quod non licet: & passim dicunt Patres necessariam esse virtutis exercitationem, quæ in eo consistit ut in iis quæ licent, & quæ possumus jure facere, assuescamus nos cohibere & resecare, ut id in illicitis facilè possimus præstare.

Adverte autem hæc principia universalia maximum esse adversus virtutem Scandalum, quia non unam actionem, sed totam vitam aggrediuntur, unde universalissimè nocent.

In particulari autem qualia in medium producant principia, vel ex uno intelligi potest. Quia enim peccatorum communissimum est peccatum luxuriæ; Vide quid sceleratissimè jactent, ut omnia pudoris repagula evertant, & ejus omnem sensum auferant.

1. Ejus peccati malitiam diminuunt quantùm possunt. Sed 1. si minuant, tollere non possunt, nec efficere, ut non sit peccatum mortale: Vide itaque an ea malitia sit exigua, ubi est peccatum mortale: 2. Quàm agunt præposterè: Cùm enim tam multa nos trahunt ad peccatum illud, & tam multa

sint

sint incitamenta; Deus tamen & natura, multis id obstaculis impedivit; humanis & divinis legibus; pudore & verecundiâ; morbis plurimis; sanitatis amissione: Sed ad audaciam omnem projecti homines, ea omnia repagula disijcere conantur: 3. in eo quod asserunt maximè falluntur: Quia ex multis capitibus maximum est peccatorum: Tùm quia ex Apostolo 1. Cor. 6. *Omne peccatum quodcumq; fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*: Tùm quia ferè semper duos inquinat: Tùm ob peccati tyrannidem, & violentiam, ac difficultatem ab eo se se eximendi: Tùm ob ejus effectus consequentes; nam animum pessundat, famam discindit, bonas artes evertit: Tùm quia peccatorum est ignominiosissimum & maximè bestiale, plenum indecentiæ, pudoris, & verecundiæ: Testes sunt tenebræ quas consectaris: testis ille conscientiæ remorsus: testis illa confitendi difficultas, ita ut vix ullus suas turpitudines accuset in integrum, uti oportet: Deniq; ob multiplices species, & quia vix in eo delinquitur nisi mortaliter, & quia innumera peccata committuntur, unde Petrus vocavit, *Oculos plenos adulterij, & incessabilis delicti.*

Mitto dicere aliquos docere fornicationem non esse peccatum mortale, quod dogma hæreticum est, & contra fidem, & si ab aliquo principio, quis non videat, sequi omnium morum perturbationem? Istud est quod ait Salvator Luc. 17. *Impossibile est ut non veniant scandala.* Nam secundùm tam præclara effata, tolerata in honoratis congressibus, recepta cum favore, ac plausu, dissimulata à Magistratibus; Ecqua castitas sperari potest in urbibus, quæ in domibus securitas, quæ in puellis pudicitia, quæ fidelitas in conjugiis, cùm adhiberi innocentia post ejusmodi opinionem non possit? *Væ autem homini illi per quem scandalum venit.* Quibus verbis ait S. Chrysostomus magnum ostendit futurum illis supplicium.

2. Dicunt Deum nihil faciliùs condonare quàm hoc peccatum, cùm tamen in Scripturis nulla ferè habeantur frequêtiora exempla acerbæ vindictæ, quàm luxuriæ. Testis est prima illa Diluvii inundatio: Testis Sodoma, & Gomorrha, Testes filii Judæ quos Dominus percussit ob peccatum ejusmodi: Testis David cujus unicum adulterium post tantam pœnitentiam Deus ita ultus est: Testes Scripturæ, quarū minæ adversum adulteros sunt formidabiles: Jobi 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usq; ad inferos peccatū illius. Obliviscatur ejus misericordia: dulcedo illius vermes: Non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum*, &c.

3. Vocant peccatum infirmitatis, & peccatum necessarium, quod uti sunt hominum mores, vix possit evitari: Infirmitatis appellant, licet tam multa habeant adjumenta, ut vincant. Quippe quot exempla? Quàm enim multi perpetuam servant castitatem, & continentiam, & virginitatem? Cur ergo tu non poteris conjugalem? Dicam tibi, quòd ipsa cōtinentia olim dixit Augustino de suâ dubitanti: Tu non poteris, quòd isti & istæ? Sed nimirùm tibi omnia permittis, aspectus, tactus, discursus: Tu te modis omnibus incendis, ac posteà quereris quod ardeas: Rectè vocas peccatum infirmitatis; tu verè fracti animi, quem una fœmina vincat, unus aspectus, una cogitatio: An non puder, quem acies non terrent, non mors, non gladii, non pericula te posteà ab una fœmina vinci? Verè infirmitatis peccatum est: Nam si fortis esses, an sustineres tot imperia, tot fastidia, tot repulsas? An non te pudet quotidie mori ad unius amicæ vocē, & imperium? An nō te pudet hominem Principem ac Nobilem, puellæ perpetuò assidere, assentiri, colere ut Deam, placere, obedire, mandata accipere: & uti sunt hodierni mores, vulnus appellas inevitabile: Ita quidem àre, qui sponte amas perire: Quàm enim facile declinare

declinare posses, si oculos averteres, & mentem? si cogitatione meliore cogitationem fœdam expelleres? Sed interim adverte quàm grave sit scandalum ex tali doctrinâ: eò enim pertinet, ut per eam non solùm illius peccati malitia minuatur, sed & ad illud admittendum apertè habenæ laxentur. Vide autem quantùm Deus puniat ejusmodi scandalum in exemplo Madianitarum, qui populum Israël ad fornicationem oblatis puellis induxerunt, ex consilio sceleratissimi & improbissimi Ballaam. Nam uti scribitur Exodi 31. Noluit Moysem mori, nisi priùs eam injuriam ultus fuisset: *Locutusque est Dominus ad Moysem, dicens. Vlciscere priùs filios Israël de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum:* Adverte Deum, qui jubet perpetuò, ut inimicis ignoscatur, & quæcunque injuriæ condonentur; hîc tamen jubere Moysi ut talem scandali injuriam ulciscatur: Vide autem quò hæc ultio processerit: Nam quia populus infantibus pepercisset, jussit Moyses omnes interfici: *Iratusque Moyses Principibus exercitus, Tribunis, & Centurionibus qui venerint à bello, præcepit eis dicens: Cunctos interficite, quidquid est generis masculini, etiam in parvulis:* Vide quod non jussiit fœminas interfici, sed viros, quia illi fuerant authores scandali. Etenim ut benè advertit Origenes plùs ille peccat, qui ad peccatum impulit, quàm qui peccavit.

1. Ad illos errorum Magistros refero illos omnes qui novos errores seminant aut in Concionibus, aut in scriptis, aut in sermonibus privatis, aut qui quædam docent quæ sciunt esse falsa, & contra veritatem, eo solo nomine, ut aliis noceant, aut quia invident, aut quia illos oderunt: hoc ipso tantùm quædam sentientes quoniam alij contrarium, aut censent aut docent, sed vel authoritate vel ficto zelo aliis imponunt.

2. Ad hoc genus scandali pertinent qui gaudent de aliorum casu: Ezechiel 25. *Dic filiis Ammon, pro eo quod dixisti: Euge, euge, super sanctuarium meum, quia pollutum est;* &c. *Idcirò ego tradam te filijs Orientalibus in hæreditatem, & collocabunt causas suas in te,* &c. *pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gavisa es, ex toto affectu super terram Israël.* In quod S. Hieron. Hoc super unumquemque Sanctorum intelligi potest, ad quorum ruïnam gaudent sæculi homines, & adversariæ potestates, si multi temporis perdiderint pudicitiam: dum mali consolationem suorum scelerum putant, si plures habeant consortes criminum, atque supplicij: Et hoc nemo faciat nisi fuerit filius Ammon, hoc est ex eius nominis significatione filius populi qui in declinatione generatus est. Hæc ille.

3. Denique ad hoc genus refero eos omnes, qui impediunt, ne qui ex S. Spiritus inspiratione conceperunt opus, Illud perficiant, quod multis in cõsuetudine. Quã enim multi retrahũtur à proposito, qui religionẽ meditãtur, qui modestiã, qui morũ mutationẽ. Quid (inquiunt) agis, nunquid non & in sæculo salvari potes; & multa ejusmodi: De illis accipe legem, quæ scribitur Exod. 21. ubi ex lectione LXX. Interpretum dicitur: *Si rixentur duo virè & percusserint mulierem in utero habentem & exierit infans non formatus, mulctamulctabitur prout indixerit vir mulieris: si autem formatus fuerit, dabit animam pro animâ:* Origenes id expendens homil. 10. Mulier prægnans dicitur anima quæ Dei verbum concepit: si hæc mulier verbum fidei quod tenuiter conceperat, abjiciat, & perdat; qui scandalizaverit, damnũ patietur: hoc est multis gratiis, & magnâ ex parte suâ mercede privabitur, quam ex aliis operibus erat meritus: quòd si formatus fuerit infans, id est si verbum Dei clarius, seu firmiter, nec tenuiter concepit; & scandalum passa fuerit, retro abiens post Satanam; autor scandali animam pro animâ dabit: scilicet in

die judicii apud eum Judicem, *qui potest animã, & corpus perdere in gehennam*: aut sensus est obligari illum, etiam ad mortem usq; contendere, ut quam perdidit, ac scandalizavit in bono restituat: Tùm addit Origenes. Plus eum peccare qui aliquem impulit ad peccatum, quàm eum qui peccatum admisit.

II. Scandali species, est quũ aliquid fit, quod inducit quempiam ad peccandum, quamvis directè, primâque intentione mentis, non habeatur voluntas alieni peccati, sed tantùm actionis ipsius cui peccatum reperitur conjunctum: Sicut quando Nobilis vindictam jurgii quærens rogat amicorum aliquem ut secundus sibi assistat. Ita Josephus ab herâ suâ sollicitatus fuit, castáque Susanna ab impudicis senibus. Ubi animadvertendum est, præter crimen quod procuratur, esse insuper separatim scandali peccatum, de quo est obligatio nominatim distinctéque ab aliis confitendi. Illud est, de quo loquitur David hisce verbis, *Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum*. Nam in ejusmodi congressionibus horribile illud peccatum committitur, perditio exitiumque aliorum, quod efficit ut ad vivendum ex Dei lege, optanda sint antra, sylvæ, & solitudines abditissimæ: Nulla virtus est quæ sufficiat quantuscunque sit; nulla est constantia quæ prosit; nulla supereſt hominibus securitas; adhibentur nunc omnes animæ passiones; formido iniicitur à potentioribus; volendum est quod volunt; neque ulla vis est quæ non succumbat; spes parit oblivionem Dei, exilemque de ipsius promissis existimationem; odium, amor, invidia, ultio, pudor, aliæque affectiones cordis ad malum impellunt: nulla est amplius, uti videtur, facultas vivendi probè in sæculo, Deiq; ut oportet colendi, adeò impugnatur virtus, & attentatur innocentia.

Vis exempla? dabo utriusq; virtutis, robustæ, & imbecillæ: Illius, erit Sãson, cui importuna in dies fiebat Dalila, de quo sic loquitur Scriptura Jud. 16. *Cumq; molesta esset ei, & per multos dies jugiter adhæreret spatium ad quietẽ non distribuens, defecit anima ejus, & ad mortem usq; lassata est: Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: ferrum nunquam ascendit super caput meum*: Alterius, fuit Roboam, quem juvenum consilium pervertit. *Atq;* inde profectum est quod malę consuetudines adeò prohibitę sint præsertim juvenibus, quoniam sæpe pudet nõ esse impudentem & pauci dicere audent, Nolo: ac vix est aliquis qui virtutem solus amplecti possit, præsertim cùm est minus honorata. *Ac* de hoc genere scandali Christus loquitur Matth. 18. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expetit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*: Ubi advertę pusillorum fieri mentionem quia nocumentum ex scandalo, contingit ex ignoratione, & imbecillitate: unde ut advertit Origenes in loc. cit. dicitur, *si quis scandalizaverit unum de pusillis istis*: Pusillus ergo est, inquit, & minimus qui scandalizari potest; spiritualis autem dijudicat omnia, probat, & quod bonum est continet, & abomni specie malâ se abstinet: hæc ille. Neque enim scandalum perfectis nocet juxta illud Ps. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & nõ est illis scandalum*: Nihilominus tamẽ quid faciat tener adolescens inter quotidiana scandala? Exemplum Josephi extendi potest inter quotidianas hæræ suæ procacis insidias: Atque ex hoc exemplo transiri in scandalum quod ancillis quotidie objiciunt salaces Domini, aut etiam importuni homines alieno thoro, præsertim si eum aliàs contaminarunt.

Cæterùm illud scandalum magis est insigne in illis qui potentiâ pollent: Tale fuit peccatum Ieroboam, qui cum timeret ne si populus suus iret in Ierusalem sacrificandi causâ, ad domum Davidicam reverteretur, totum Israëlem ad Idololatriam compulit;

quam

quam ob rem adeò detestabilis factus est: ut 1. ei dicatur à DEO, *operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te*: 2. privatus fuit regno, & ejus domus cum gravi dedecore penitùs extincta est: 3. ejus causâ afflictus fuit populus: 3. Reg. cap, 14. *Et tradet Dominus Israël propter peccata Ieroboam qui peccavit, & peccare fecit Israël.* 4. à DEO interfectus est, & probabile est cæsum peste: Ita enim de eo scribitur 2. Paral. capit. 13. *Quem percussit Dominus, & mortuus est*, morte scilicet violentâ, immisso ad hoc Angelo, vel Dæmone: Exemplari autem pœnâ affectus est, quia fuit exemplum ad impietatem: Quin etiam ex Ahiæ Prophetiâ oportuit eum feris, & volucribus objectum, sepulturâ caruisse: 5. ejus memoria adeò fuit execrabilis, ut eum Scriptura quasi nequissimum, maximéq; detestabilem, & quasi petram scandali, ducentos ipsos, & amplius annos execretur, factâ semper peccati ipsius mentione, *qui peccavit, & peccare fecit Israel*: Quasi jam tùm in eum diceret quod posteà Christus: *Va mundo à scandalis, necesse est enim ut veniant scandala: Veruntamen va homini illi, per quem scandalum venit*: Hinc trahi debet in nos comminatio. Si enim Deus Regem à se electum, reiectâ maximâ ex parte domo Davidis, ita castigavit; quantò magis id faciet in reliquis mortalibus, & deterioribus, & abjectioribus.

III. Scandali species æstimata parvi aut nihili ab maximâ hominum parte, sed quæ magni est momenti, iis etiam qui volunt perfectè Deo servire, est omnis actio quæ fit sine ullo proposito ac studio vel alieni spiritualis vitii, vel ullius operis sui cum peccato conjuncti; sed cum notitia tamen dubiôve probabili ac rationabili proximum inde offendendi Dei occasionem esse capturum. Peccatum speciale; peculiare ac distinctum à quovis alio, cum obligatione illius seorsum contendi. Ratio est, quia etsi actio illa nihil aliunde vitiositatis haberet, sufficienter esset vituperabilis, si alteri esset occasio offensionis in Deum: atque de illa propriè scandali specie locutus est Dei Filius. Matth. 18. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt*, &c. De ea quoque David cùm dixit Beatum qui *in via peccatorum non stetit*: ubi significatur nobis pravum exemplum peccatorũ, qui sunt in conspectu omnium, & in publica via. Hoc peccatum est in quod incidunt peccatores, ac impudentes qui nec hominum cognitionem verentur: *frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*: Ierem. 3. Ratio est, quia magna vis est exempli ad bonum atq; ad malum. Euseb. Emyss. Nimis penetrabile telum est imitatio deteriorum. Inde proficiscitur magna pravarum societatum prohibitio à Sapiente facta. Sed ea pernicies augetur si fit inter ea personarum genera, quæ perstrinximus in superioris sermonis clausula, & iterùm inculco: scilicet 1. si inter amicos, quia inter illos facilis est imitatio: 2. Si ex Patribus in liberos, Nam ut diximus, in vitiis facilis est Patrum imitatio: & ut ait S. Ambros. Multi fuerunt milites quia Patres eorum militaverunt: eodemque modo imitatio in aliis contingit. 3. Si ex Magistratu, vel Principe: 4. Si ab iis qui alios avertere debent, ut cum Sacerdotes, & alii in dignitate positi delinquunt; Nam ut notavimus, in illis ex dignitate crescit peccati scandalum: Et vide quô damnô. Exodi 21. *Si quis aperuerit cisternã, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut asinus in eam, reddet Dominus cisternæ pretium jumentorum.* Audi S. Cyrillum in Collectaneis c. 8. Quid per bovẽ intelligitur, nisi animal mundum: quid per asinum, nisi immundum, seu quod in peccatis est: quodcunq; ex illis ceciderit in fossam, qui foderit, reus est mortis: unde dicitur. *Quod autem mortuum fuerit, ejus erit.*

Cæterùm de peccatis omnibus tria ſunt quæ inhærescunt facilius: Primum eſt, vitæ licentia & impietas: Secundum eſt detractio alienæ famæ, ideò dicitur ferre uſuram: Tertiũ eſt lubricitas ob infirmitatem naturæ noſtræ. Inde evenit, ut quæ veſtibus, membrorũ habitu, illecebram ſuppeditant, graviter peccent. Atque in eo eſt ejuſmodi obligatio, ut res licitæ ac aliunde permiſſæ, evadant prohibitæ ſi ſcandalum important. Ita ſi quæ mulier ornatu offenderet oculos virorum, illum ad aliquod tempus deponere obligaretur, modò maritus non eſſet invitus. Immò ex doctrinâ S. Thomæ, & bona temporalia aliquando eã ob rem remittenda ſunt. Exemplum habemus in Apoſtolo Paulo 1. Cor. 8. *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne forte fratrem meum ſcandalizem*: Vnde non licet quędam agere ex ſe non mala, ſi alios ſcandalizant, neque enim ſufficit unicuique bona ſua conſcientia: Ita quippe ibidem loquitur S. Paulus. *Videte autem ne forte hæc licentia offendiculum fiat infirmis*, &c. *Et peribit infirmus in tuâ ſcientiâ frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis*: *Quapropter ſi eſca*, &c. Sed hæc vox communis eſt: Hoc mihi placet, hoc mihi commodum eſt, neque prohibitum, quomodò id alii accipiant, aut probent, non admodum curo; ego utor jure meo; Verum audi eundem Apoſtolum 1. Cor. 10. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant*: Nemo quod ſuũ eſt, quærat, ſed quod alterius. Et verò illud eò uſque obligat ut aliquando omittenda etiam ſint bona, modò non præcepta, ſi aliis ſcandalo ſunt: Quare interdum rationes dandæ ſunt ignaris, immò interdum omittenda ſunt bona ad tempus: ut ſi Parentes blaſphement, differendus eſt ingreſſus in Religionem: Et uxor quædam ad pietatem pertinentia omittere debet ad tempus, ſi maritus dejeret; audi Paulum Rom. 15. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibi placuit.*

Ac ne ejuſmodi culpæ leves videantur, revoca in memoriam quæ ſuperiori concione protulimus de funeſtis nonnullorum exemplis; Et ſi das ſcandalum quâquâ viâ, convertere, ne pœnis ſimilibus impliceris: Si non das cave ne accipias, cum ille qui ſe flecti ſinit ad malum non minoris culpæ coràm Deo ſæpe ſe reum faciat, quàm qui ipſum impulit. Verque abſtine à peccato, &c. ut tandem vivas Chriſtianè, vel innocens, vel verè pœnitens; & ita *ſine offenſa in diem Chriſti & repletus fructu Juſtitiæ*, poſſis ſanctè mori, ſecurè coram Judice ſtare, & vitam beatam in æternum aſſequi. Amen.

FERIA

FERIA SEXTA

DOMINICÆ TERTIÆ
IN QVADRAGESIMA.

CONCIO PRIMA.

Explicatur tota Historia colloquii Christi cum Samaritanâ, & quâ arte Christus eam lucratus sit.

Venit mulier de Samariâ haurire aquam.
Joann. 4.

CVM omnis generis peccatores CHRISTVS converterit dum viveret, mirabilis admodum fuit in conversione trium mulierum: Mariæ Magdalenæ, quæ fuit in civitate peccatrix: Mulieris in adulterio deprehensæ, & Mulieris Samaritanæ. Vnaquæque harum conversionum habet aliquid peculiare; sed audeo illud dicere, mulieris Samaritanæ conversionem habere aliquid præ cæteris mirabile. Atque ut cætera præteream; duo gravissima habebat suæ conversionis impedimenta: unum in intellectu, alterum in voluntate: unum in religione, alterum in moribus; uno verbo, hæretica erat, & impudica: hæretica vel potius infidelis, erat enim Samaritana: Impudica autem, quæ post quinque virorum conjugium in scortatione vivebat; Has autem omnes conversiones CHRISTVS effecit per gratiam, ut scias victrici gratiæ, non modò nihil esse impossibile, sed neque difficile. Verum uti dixit Pythagoras in Symbolis, neminem dicere aliquid posse de lumine, sine lumine: ita dico illud verius, neminem dicere aliquid posse uti oportet de gratiâ, sine gratiâ: Accedamus ad eam, quam Angelus vocavit gratiâ plenam. AVE MARIA.

QUEMADMODUM triplicem ſtatũ agnoſcimus, Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ, ita triplicem diſtinguere poſſumus Dei cognitionem, unam ut authoris naturæ, alteram ut authoris gratiæ, tertiam ut authoris gloriæ: ut authorem naturæ agnoſcimus Creatorem, ut gratiæ, Redemptorem, ut gloriæ, Remuneratorem: 1. cognitio pertnet ad Sapientes & Philoſophos: 2. ad Chriſtianos: 3. ad Beatos: neque enim, ut ait Iſaias, *Oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibꝰ ſe*, & uti dicitur in Apocal. *Nemo ſcit, niſi qui accipit*. Relinquamus itaque primam conſiderationem Philoſophis: tertiam quæ gloriæ eſt Beatis, ut ad alteram vitam pertinentem: nos ut Chriſtiani hærebimus in ejus rei conſideratione quæ maximè ad nos pertinet, nempe in conſideratione gratiæ. Sed quia illa quoque in plurima ſe extendit, id unum tantum hodie ſpectabimus, quod in hodierno Evangelio continetur, nimirum admirabilem victricis gratiæ progreſſum in converſione mulieris Samaritanæ. In eo autẽ ille gratiæ, progreſſus conſiſtit, quod ſic Chriſtus arte gratiæ, varijs dolis atq; artificijs fugientẽ Samaritanam, tàm preſſis veſtigijs miſericorditer ſit inſecutus quaſi fugientem feram, ut eam tandem quaſi inſignẽ prædam ceperit: quod nullâ aliâ ratione potero melius oſtendere, quàm dilucidâ totius Evangelij propoſitione & explicatione: ut in eo exemplo duo diſcamus. 1. Quibus modis ſoleat Deus peccatores, per gratiam capere: 2. ut ſub tanto Magiſtro, artem lucrandi animas addiſcamus: Ita enim ſe res habet in hoc negotio, ut qui converſi ſunt, alios convertant, qui capti ſunt, alios capiant: Sic mulier Samaritana, poſtquã converſa eſt, officio Apoſtoli functa eſt, ſecundum illud. *Ex civitate illa, multi in eum crediderunt Samaritanorum, propter Chriſtum mulieris teſtimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcunque feci*: Eodẽ modo cùm Apoſtolos prope mare ita vocaſſet, ut caperet; ijſdem uſus eſt ad alios capiendos, ſecundùm illud, *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum*. Sed rem aggrediamur.

Primus itaque paſſus fuit, præparatio gratiæ: ipſa enim ſemper præcedit donationem gratiæ, ſecundùm illud Auguſtini; Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, gratia verò ipſa donatio. Illa autẽ præparatio duo continet: 1. amorẽ creaturæ peculiarem ſeu electionem, quæ ſupponit præferentiam: 2. captationem opportunitatis, tùm ut reipsâ vocetur, tùm ut modo conveniẽti vocetur. Quòd pertinet ad amorem peculiarem, ſeu electionem, illa inſinuatur in verbis S. Joannis. *Reliquit Judæam, & abiit iterùm in Galilæam, oportebat autem eum tranſire per Samariam. Venit ergo in civitatem Samariæ quæ dicitur Sichar*, &c. *Erat autem ibi fons Jacob. Jeſus autem fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuper fontem*, &c. *Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jeſus: Da mihi bibere*: ex quibus verbis, videas initium illius admirabilis myſterij, quòd non vult Apoſtolus nos ignorare, quia *cæcitas ex parte contigit in Iſraël donec plenitudo gentiũ intraret*: Nam Chriſtus relictis Judæis tranſivit ad gentes, & in muliere Samaritana incœpit gentiũ vocatio, & quod mireris in infami ſcorto peccatis obruto, illud impletũ quod poſtea ſcripſit Math. cap. 21. *Amen dico vobis quia publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei*: Vide ergo peculiarem amorem, & electionem, quòd relictâ Judæâ ad Samaritanos diverterit, & quòd ex Samaria primam omnium vocarit mulierẽ peccatricem. Altera pars præparationis conſiſtit in captatione opportunitatis & occaſionis, quam ſemper Deus captat, cùm amat ſingulariter: tunc enim non vulgari, & promiſcuâ gratiâ vocat, ſed ſingulari, & præcipuâ: quod tanti eſt, ut pleriq;, ac præcipuè Auguſtinus locis innumeris, exiſtiment in eo differre

gratiam

gratiam sufficientem ab efficaci, quod gratia sufficens, detur indifferenter, ac sine dispositionum, aut occasionum respectu: in gratiæ autem efficacis largitione, ratio habeatur temporis, & dispositionum, secundùm illud 2. Corinth. 6. *Tempore accepto exaudivite, & in die salutis adjuvite, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Tria notat Evangelista, quæ fecerunt opportunitatem, & occasionem præbuerunt, colloquendi cum Samaritanâ; unde ejus conversio. 1. fuit Christi fatigatio, quæ causa fuit ut sederet ad fontem, & expectaret, & velut i insidioſè operiretur: hoc significant illa verba, *fatigatus ex itinere, sedebat sic*: id est quia erat fatigatus, propterea sedit, ut solent viatores, qui eum defessi sunt, sedent, & refrigerii causâ, ad fontem quiescunt. 2. fuit Samaritanæ necessitas, & paupertas: nam necessitas potus, eam traxit ad fontem; paupertas autem fecit, ut faceret ipsa per se se, quod per ministros, aut ancis lam fieri solet: itaq; dicit textus: *Venit autem mulier de Samaria haurire aquam*: 3. fuit hora, nempe meridies, quod non otiosè notavit Erangelista, *Hora autem erat quasi sexta*: quæ verba continent causam fatigationis Christi; nam & multo tempore ambularat, & æstus solis fervebat: immò potius ratio redditur, & cur mulier veniret ad fontem levandæ scilicet sitis causâ: & Christo solus esset, atque adessent discipuli, ut nempe horâ urgente cibos emerent: fuit autem prudentissima Domini dispensatio, ut abessent, quando arcana quædam dicturus erat mulieri, quæ coram alijs dicta, ipsi attulissent pudorem: præterquàm quòd ratio reddi debuit, cur ab ipsâ aquâ peteret, nimirũ quoniã aberant discipuli. Itaq;, ne putes hæc omnia fortuito contigisse: quin potius qui omnia dispẽsat, mentẽ illius divino impulsu movit, ut tunc veniret ad aquæ fontem inveniret: ut scias humanas actiones ita dirigi à Deo, ut quæ proponimus agenda, ita disponat, ut plerumque aliud agentes, incidamus in ea quorum nulla erat cogitatio. Rebecca Genes. 24. veniebat ad fontem, ut oves, & pecora adaquaret: ibi servum Abrahæ invenit, & facta est sponsa Isaaci, & avia Christi. Venerat Rachel Genes. 29. ad fontem, ut paternas oves adaquaret: & invenit Iacob sponsum, sic omnia Deo disponente. Ita Saül 1. Reg. cap. 9. Dum Patris Asinas quærit, regnum invenit. Sic Pastoribus pro grnge suo vigilantibus Lucæ 2. annuntiatus est Christus ab Angelo. Sic vocati sunt Petrus, & Andreas, jacentes rete in mare. Ita Jacobus & Joannes, retia sua reficientes. Purpurissa illa Actor. 16. Religionis causâ paternæ venerat in sacellum, quod erat juxta flumen, ubi Paulum, & Barnabam Apostolos offendit, quos habuit & vitæ, & fidei magistros: aliud quæsiverat, aliud invenit. Quod nihil aliud significat, quam sæpè nobis immeritis, & aliud cogitantibus salutem contingere. Ita videas sæpe, quæ nostræ sunt salutis, nobis insciis à Deo disponi: unde ad nostrum propositum Cyril. lib. 2. cap. 80. dicit Dominum feciſſe ad modum jacientis retia ut passeres capiat. Primus itaque victricis gratiæ passus est captatio opportunitatis, & ejus præparatio. Transeamus ad alterum.

Secundus igitur passus est ipsa gratiæ donatio: Prima autem gratia quæ datur, est gratia prævenies, seu excitans tàm in intellectu, quàm in voluntate, quam sæpe per gratiam externam produçit: & sicut in præparatione est electio, ita etiam in donatione sæpe est favor & gratiæ singularitas. Capatâ igitur misericorditer occasione, ipse Christus præveniendo inchoavit, idq; postulando. *Dicit ei Iesus; da mihi bibere.* Vide prævenientem gratiam, & gratiam peculiarem: prævenientem quidem, quia ipse primus loquitur, & sermonem auspicatur: nam nisi præ-

veniret,

veniret nihil fieret: creatura enim à Deo potest seipsam avertere, sed per seipsam de reditu cogitare non potest: unde necesse est ut ipse præveniat: vide autem peculiarem gratiam, quia sic vocavit, ut postulare videretur; & sic egit, ut suaviùs impelleret. *Da mihi bibere.* Sitiebat quidem, quia nostras passiones induerat, & dictum est, quia *fatigatus sedebat sic supra fontem*, sed siti suæ, multis modis providere poterat. Verùm qui Angelis imperare poterat, maluit ab adulterâ peter e: sic enim hominm diligit salutem, utquòd nostrâ summoperè interest, quodque pluribus titulis & modis jubere potest, etiam precibus flagitet. Vide autem quid petat, cùm dicit, *Da mihi bibere*: Nam ut scias sitim corpoream non effeciſſe ut aquam peteret quam biberet, post multum temporis, nec bibit, nec oblatos à discipulis cibos accepit. Non igitur petivit aquam ut biberet, sed sitivit ut peteret; petiit autem ut sic petendo, ipsam præveniret; non potuit autem melius prævenire, quàm ut exeo ipso, quod agebat mulier, occasionem acciperet; venerat enim alia, ut aquam hauriret, & ideò petit ab eâ. *Da mihi bibere*: pacifica & simplex petitio: non imperat, non jubet pro imperio: & in eo est suavitas gratiæ quod non cogat, non vexet, sed postulet, & quasi blandiendo. Ad hæc non postulat à te, quod facere non possis, immò quod facile non possis: tantùm enim petit bibere, ac petit propè fontem, & petit ab eâ quæ haustura venerat, quæ omnia ad suavitatem gratiæ pertinent: in eo igitur est gratiæ præventio, quòd Christus eam expectarit, & quòd primus sit ei locutus: Suavitas autem in eo est, quòd ita sit locutus, nempe petendo, & ex eo quod ipsa poterat, & quod erat factura, occasionem acceperit.

Tertius passus gratiæ est directio, quæ omninò tendit ad consensum, & ad effectum, qui requiritur; ut hoc bene intelligatur, Nota 1. Gratiæ vocantis seu excitantis duplicem esse effectum unus est planè necessarius, qui nunquam deest, & est à nobis inde pendens estque in intellectu illuminatio seu auditio, & in voluntate excitatio, seu attractio, hæc enim gratia per se efficit formali effectu, secundùm illud, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Et id significatur per illa *Dixit ergo ei mulier Samaritana*: ubi particula (*ergo*) illationem continet, & significatur causa cur Christo mulier locuta sit, quia nempe Christus ab eâ bibere petiit: hic est enim primus gratiæ effectus, ut sic vocet ut audiatur; sic illuminet ut nō lateat, sed videatur; unde anima sic vocata, sic illuminata, dissimulare non potest se esse vocatam & illuminatam, *dixit ergo ei mulier Samaritana.* Alter effectus est consensus, qui cùm à solâ gratiâ non pendeat, sed etiam à libero arbitrio, propterea à non semper sequitur ideòque non est necessarius, sed liber, quia pendet à libertate non quidem solâ, sed etiam à gratiâ: Iam ut ille effectus de facto sequatur, facit directio gratiæ, quod ut intelligas.

Notá 2. Cùm gratia sit motus in intellectu, & voluntate, hoc est, actio quædam in utrâque potentiâ, ita sæpe dari, ut statim transeat, & tunc ratò suum habet effectum, quia statim animus ad alia transit, & impulsus illius obliviscitur: itaque ut de facto suum habeat effectum, oportet ut illa motio diutiùs duret, ut anima illius non obliviscatur, neque aliò se divertat: uti enim Dæmon quos primâ aggressione non superat, eos tandem assiduitate debellat, nemo quippè, ut ait S. Ambrosius, diu fortis est; idem contigit in gratiæ donatione: ejusdem namque vocationis continuatio, consensum tandem extorquet. Deinde quia plura esse possunt hujus effectus impedimenta, interiùs, & exteriùs, propterea indiget anima auxilio quodam peculiari,

quo

quo illa impedimenta aut removeantur, aut superentur, & illud auxilium pertinet ad directionem: illa autem impedimenta sunt in causâ, quominùs sequatur effectus, qui non est alius quam consensus voluntatis, aut ipsa effectio, ad quam exigitur voluntatis consensus: Illa autem directio eò major est, quò minus animam deserit Deus, eam ad singulos passus sequens, ne aberret. Et hunc gratiæ effectum habemus insignem si unquam in Samaritanâ, quæ cùm plura haberet impedimenta, interiora, & exteriora, & omnibus modis se gratiæ prærripere conaretur, Christus eam omnibus modis, & ijsdem vestigijs insecutus est, nec unquam deseruit, donec assensum expressit, & effectum habuit quem intendebat, nempe totalem ejus conversionem, & per eam suorum etiam civium reductionem. Vide itaque quomodò modis omnibus fugientem sic insecutus sit, ut tandem ceperit, non aliter quàm solent venatores varias ferarum declinationes insequi: & his positis.

Adverte primam mulieris Samaritanæ fugam, cujus fundamentum, & occasionem continent illa verba: *Dixit ergo ei mulier Samaritana*: Certè dissimulare non potuit, neque tacere; Christus enim eam prævenerat, & ei primus locutus fuerat: sed cùm ab ea potum petijsset, & illa esset Samaritana, propterea ita petenti respondit, ut sequitur: *Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coëuntur Iudæi Samaritanis*: quibus ut dixi ostenditur prima ejus fuga, quâ gratiæ obedire detrectat. Certè gratiam impedire nemo potest quin detur, hoc enim pertinet ad supremum Dei in animam dominium, ut ei loqui possit, & eam movere; itaque nemo impedire potest, ne sibi Deus loquatur, aut facere, ut sibi loquentem Deum non audiat: Sed quilibet gratiæ obniti potest, quilibet potest non parere. Cum enim Deus sit Dominus animæ, impedire ipsa non potest, quin ei loquatur; sed cum anima sit Domina sui arbitrij, recusare illa potest vocantem. Samaritana non potuit impedire Christum, ne à se aquam peteret, sed illa potuit aquam petenti recusare. Verùm cum duobus modis anima refragari possit, uno modo plane inurbano, ut olim, Pharao Exodi 5. *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israël? Nescio Dominum, & Israël non dimittam*, & ille populus de quo Ieremias cap. 2. *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti, non serviam*: alio modo minus in speciem inurbano, sed falsâ ratione se tegendo: Ita Sponsa Cantic. 5. *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Utroque modo resistere visa est Samaritana, quæ quidem aquam Christo petenti non denegavit, sed tamen petenti non concessit: quinimmò, exprobravit petenti quòd peteret, causâ etiam additâ, quod cum Iudæus esset, non deberet aliquid petere à Samaritanâ. Nemo certe est, qui ignoret Samaritanos non fuisse Iudæos, sed ab Assyriâ & alijs Paganorum terris translatos, Deos suos patrios coluisse, & fuisse Idololatras, licet aliquid ex Iudaicâ religione suæ miscuissent. Nemo item est qui nesciat illos in monte Garisim templum æquificasse, ut suos, à templo Ierosolymitano averterent: unde maximum Iudæorum odium adversus Samaritanos: Hâc itaque occasione usa mulier illa Samaritana Christo exprobrat, quòd cum passim Iudæi, omne commercium cum Samaritanis refugerent, ut ne quidem cum illis tractare vellent, quod significant illa verba: *Non enim coëuntur Iudæi cum Samaritanis*, (hoc enim odium, non à Samaritanis, sed à Iudæis) exprobrat, inquam, quòd cum ipse Iudæus esset, quod facile, & ex habitu, & ex sermone deprehendebat, ab illâ potum peteret, quam esse mulierem Samaritanam

facilè nosse poterat, & ex loco vicino, unde ipsa venerat, & ex habitu. Atque hic primus fuit fugientis mulieris flexus: sed Christus qui capere illam volebat, fugientem sic insecutus est.

Respondit Iesus, & dixit ei, si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, Da mihi bibere: Tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam: Duo dicit. Primum se non petere ut indigentem, immò se ita petere, ut ipsi occasionem det melius aliquid petendi: unde ait, *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo,* quasi diceret, non tam peto, quam offero: ita, tu potiùs petere deberes, quod & ego cupio. Alterum, se damnare inurbanam ipsius recusationem, cùm addit, *& dedisset tibi aquam vivam*; id est, non fecissem, ut tu fecisti, quæ aquam postulanti denegas: quia si petivisses, ultrò tibi dedissem: verùm non qualemcunque aquam, sed illam vivam. Cæterùm quoniam præcipuum, & primum gratiæ officium est illuminare, propterea illam paulatim instruit de mysterijs: Itaque in illis verbis obscurè indicat mysterium, se nempe datum à Patre hominibus in donum: unde dicit, *Si scires donum Dei*: Etenim de se loquitur: Sed addit se ignorari, unde dicit *si scires*: ostendit autem se esse Filium Dei unde se vocat *donum Dei*, quo nomine Patrem, significat: In quibus verbis duas includit consequentias: prima est, si sciret mulier, peteret: altera, si peteret, ei daretur: primam quidem; nam si sciret ipsum datum à Patre in commune bonum, ad hæc, illum ipsum esse Filium Dei, sanè ipsa ab eo peteret salutem, quam dare potest, quia Filius Dei: Alteram verò, peteret salutem quam daturus esset, quia ad hoc datus est hominibus: prima certa est: nam: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: altera non minus: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*: loquitur autem in tertiâ personâ ex phrasi Hebræâ, & hæc locutio modestiam habet & gravitatem: Hæc quidem perfectè non percipiebat mulier Samaritana, sed verborum magnitudine alliciebatur ad fidem, & ad majora de Christo percipienda, quam priùs conceperat, quem hominem vulgarem, & ut unum ex Iudæis existimabat.

Hinc disce, primam animæ fugam sic obstrui; & vocationi Dei, & gratiæ prævenienti vim addi, si intelligat anima, primo quis sit ille qui vocet, secundo quam gratuitò, & misericorditer vocet, *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere.* Tertio quæ sit illa quæ vocetur, nempe rerum omniũ egens, & ita misera, ut nesciat quo statu sit, nec suam miseriam norit, nec modum ab eâ se liberandi: adeò ut vix etiam petere possit se liberari, quod significant illa verba. *Tu forsitan petisses ab eo.* Quarto ad quid vocetur: *Et dedisset tibi aquam vivam*: sub quo symbolo Spiritum Sanctum designat, & vitam æternam, uti postea se se explicat: Quintò quam id facile habere posset, & quam certò: facile quidem, scilicet si peteret: certo autem, quia dedisset: Equidem si hæc omnia sciviſſet Samaritana, forsitan petivisset, ut scias liberum esse arbitrium, quod ita movetur ut petat, ut tamen possit non petere: unde dicit. *Tu forsitan petisses*, quod non diceret, si omnis qui movetur ut petat, semper defacto peteret, aut necessariò peteret: sed si petivisset obtinuisset, unde subditur, *& dedisset tibi*: ut scias promptitudinem Dei ad dandum: Neque enim facienti quod in se est Deus denegat gratiam: nunquam autem deest petendi facultas, neque petenti necessaria gratia denegatur, secundùm illud Tridentini: Facere quæ possis, & petere, quod non possis. Sed ut melius

liùs gratiæ virtutem atque efficacitatem cognoscas.

Vide alterum fugientis Samaritanæ flexum, & fraudem & fugam. *Dicit ei Mulier: Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam?* Cùm se mulier subaccusatam videret inurbanitatis, quod ei aquam ordinariam denegasset, à quo, si ipsa aquam petiviſſet; longè meliorem ordinariâ & naturali accepiſſet; aliunde tamen spe aliquâ traheretur, vel sciendi, vel habendi ejusmodi aquam vivam; nam CHRISTVS tantum non obtulerat, cùm dixit, *forsitan tu petisses ab eo & dedisset tibi aquam vivam*: Jam fit, urbanior, unde non ut priùs exprobrando, Iudæum appellat, sed Dominum: Propter spem verò conceptam, & desiderium, jam fit curiosa, sed cum dubitatione: *Neque in quo haurias habes & puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam?* Non quidem intellexit quid CHRISTVS voluerit: ipsa enim intellexit de aquâ materiali: ille autem de spiritali: sed tamen non neglexit, verùm aliquid magnum suspicata, plus interrogat, ut plus sciat: movet tamen difficultatem, & quasi impossibilitatem obtendit: Itaque & accedit, & recedit: ut scias fugæ similitudinem, sed artificiosæ: Nam nec negat quod CHRISTVS dixerat, se daturum fuisse aquam vivam: nec approbat, quia indicat impossibile, cùm nec CHRISTVS habeat vas, in quo hauriat, & puteus altus sit: Quia tamen aliunde aliquam habere potuerat, propterea interrogat, & an aliunde habeat, & unde habeat, ait enim: *Vnde ergo habes aquam vivam?* propterea addit. *Numquid tu major es Patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij ejus, & pecora ejus?* Vult dicere, se nescire unde habeat illam aquam vivam, quæ melior esset illâ aqua putei: Nam si fuisset aliqua, hanc Iacob habuisset, cùm tamen ipse non alia aqua usus fuerit, quàm ista, quàm & filiis suis cõmunicavit, & pecoribus suis: fuit itaq; omnium optima, cùm ipse, & filii ejus biberint: fuit quoq; copiosissima, quæ pecoribus ejus adaquandis suffecerit; quare signum est, inibi non esse aliquam aliam meliorem. Cæterùm vide alium gratiæ vincentis effectum: paulatim mansuescit fœmina, & ostẽdit se aliquid magni concepisse ex Christi verbis: immò paulatim accedit, nec se ab eo tam aversam ostendit, ut initio: itaq; se indicat habere cum illo communem Patrem, cùm ait, *Numquid tu major es patre nostro Iacob*: vide igitur in universum, quid divina vocatio efficiat in anima, in continuatione, & iteratione gratiæ: Nam Deus paulatim animæ se aperit, uti cùm Sol se paulatim subtrahit à nube: Tum ipsa fit tractabilior: nam de rebus divinis, deque eo quod proponitur, habet majorem opinionem: Iam incipit dubitare, propius accedit, & majori lumini; & clariori doctrinæ dat occasionem.

Sed ad Christum redeamus, ac videamus quomodo fugientem sit insecutus: Duo Mulier quasi negare visa fuerat: Primum, Christum posse dare aquam, cùm non haberet in quo hauriret, & puteus esset altus: alterum posse dare aquam vivam, & istâ meliorem, eò quòd non esset major Patriarchâ Iacob, qui aquam non habuit meliorem, quia nec pro se, nec pro aliis alterâ usus est:

Huic geminæ negationi respondet Christus, atque asserit, & se habere aquam, & eam esse istâ meliorem: unde facile ostendit se esse majorem quam Iacob: vide autem discrimina, & præcellentiam aquæ quam pollicetur, suprà aquam putei Iacob.

1. Discrimimen in his verbis continetur: *Respondit Iesus, & dixit ei Omnis qui bibit ex aquâ hac sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*: id est: Aqua hujus putei non perfectè extinguit sitim, nã qui eã bibit, eam iterum sitire necesse est,

uti patet experientiâ : Aqua verò quam promitto, sitim omnem aufert, quia qui eam biberit, non sitiet in æternum. Et accommodatè loquitur ad necessitatem mulieris, quæ cogebatur quotidie haurire aquam, & ad puteum venire : unde allicit ad eam aquam desiderandam, quâ haustâ non cogatur quotidiano labore se consumere in ea iterùm hauriẽda. Porrò hæc præstantia ostendit eam aquam esse materialem, aut elementarem, sed alterius rationis, & per illam intelligit Spiritum Sanctũ : Sed nõ est hujus loci, vel temporis id uberiùs explicare : sufficiat locus Ioan. 7. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat : qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de de ventre ejus fluent aquæ vivæ : hoc autem dixit de Spiritu, quem acceperi erant credentes in eum.*

2. Discrimen in his verbis continetur, *Sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* : Duæ sunt præstantiæ : una quòd aqua illa data, fiet fons, quod non fit in aqua quæ bibitur : simulque ratio datur, cur non sitiat, qui bibit ex illa, quia in se fontem habet : Item docetur unde habeat aquam, cùm fons ille haberi possit, qui autem fontem habet, aqua carere non potest.

3. Discrimen est, quòd reddat eos qui bibunt, immortales, quia tanta est virtus aquæ in bibente, ut eum suo impetu impellat, & extollat in vitam æternam, qui omnes effectus Spiritui Sancto facilè possunt applicari : ille enim fons est Spiritus Sanctus : aqua autem hujus fontis sunt gratia, & alia dona, quæ gratiam infusam, & charitatem consequuntur; charitas autem infunditur in nobis, *per Spiritum Sanctum qui datus est nobis* : dicitur autem hæc *aqua salire in vitam æternam*, quia salire nos facit, dignosque efficit, ut vitam æternam consequamur; quòd habeat ab impetu, & virtute principij cui nos conjungit, nempe à tribus Divinis Personis quibus nos unit. Hic etiam vide novum gratiæ vocantis effectum : ubi enim anima facta est attentior, paulatim majora audit; unde sic afficitur, ut incipiat bonum desiderare. At vide.

Tertiam Samaritanæ fugam planè artificiosam : Etenim in speciem credere visa est, quod à Christo dictum est de aquæ illius præstantia : Itaque petit ipsius rei experimentũ, *Domine da mihi hanc aquam*, Cùm enim dixisset, quòd si petivisset tam eximiam aquã, eam fuisset acceptura, ideò petit, ut veritatem promissionis ipsius experiatur : Sed præsertim hoc dicit ex curiositate, ut videat qualis sit illa aqua; cæterùm nec satis percipit, qualis sit, nam & putat materialem, & quæ tollat sitim corporis; & affectu imperfecto illam desiderat, atque postulat, scilicet ob utilitatem temporalem, ut deinceps non sentiat laborem hauriendi, quotidie veniendo ad fontem; *ut non sitiam* (inquit) *neque venium huc haurire* : cùm tamen Christus ejus animum altiùs evexisset, pollicendo aquam salientem in vitam æternam.

Neque ita fugientem Christus deserit, nam cùm hujus declinationis causa, vel occasio fuerit, quòd perperam intellexisset quæ sibi à Christo dicta fuissent, & quòd imperfectè cuperet quod videbatur, huic malo voluit. Quoniam igitur ea intelligendi, & volendi imperfectio, ordinariè procedit ex mala dispositione subjecti, & ab impedimento quod est in creatura; hinc fit ut Christus prudenter ad causam impedimenti accedat : Et quoniam Mulier res spirituales, atque divinas, capere non poterat, quia gravi carnis peccato oppressa erat (neque enim *animalis homo percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*; hinc factum, ut ad removendum impedimentum, morbi causam pius medicus se converterit. Quare ut peccatum suum agnosceret, ac confiteretur, sic ad mulierem loquitur, *Vade, voca virum tuum*,

tuum & veni huc : Sciebat eam non habere virum, sed adulterum : eam tamen induxit, ut proprium peccatum fateretur, & humilitate confessionis, disposuit, ut illuminaretur; propterea ut ipsa confiteri saltem inciperet quòd non cogitabat malum, in memoriam revocavit, & occasionem dedit loquendi, & occulta aperiendi : quod Christo successit; ipsa enim rem confessa est.

Sed vide quartam mulieris fugam: Sic rem fassa est, ut tamen imperfectam fecerit confessionem : *Respondit mulier, & dixit, Non habeo virum*; Sic sanè locuta est ne aquæ illius dilationem pateretur, & ne ex occasione mariti vocandi quod rei afferret moram, Christus acciperet excusationem negandi beneficium. Negavit quidem se habere maritum, sed nihil de adultero confessa est, quod Christus exigebat: partem itaque dixit, alteram dissimulavit. At vide quomodo fugienti Christus occurrerit: Cùm enim mulier putavit se CHRISTVM eò perduxisse, ut rei quam erat pollicitus, experimentum facere teneretur, ferè capta est, nam quod mulier artificiosè incœperat CHRISTVS persequitur, & absolvit, confessionis ipsius principium confirmans: *Benè dixisti, quia non habeo virum* : sed quod ejus confessioni defuit, & occultum erat, consequenter supplet, ac manifestat, dicens, *Quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir*: *hoc verè dixisti*: nempe te virum non habere; quia etsi habeas aliquē, ille tamen, nō est tuus vir: quibus verbis declarat occultum mulieris adulterium. Non utitur autem verbis increpantibus, quia satis erat ad pudorem, rem occultam revelare: revelabat autem, non tàm ut illius insimularet incontinentiam, quam ut ei indicaret quis esset, & paulatim eam ad sui fidem alliceret.

Cæterùm ut videas operosam esse peccatoris conversionem, vide novam mulieris se læ proripientis fugam, atque flexum. Quis enim non putasset ipsam captam fuisse occultorum manifestatione, præsertim cùm crimen suum fateatur, unde CHRISTVM vocat Prophetam : *Domine, ut video, quia Propheta es tu*, & veritatem fatetur, & adulterium; & honorat veritatis authorem, eum appellando Prophetam, seu divinitùs edoctum : & cùm valere videatur ejus confessio, unde ad majorem transit illuminationem : Tamen declinavit astutè, quæstionem difficillimam proponendo, ut sermonem de mala sua vita evitaret, & alio Christum deduceret : *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet* : Vide artificium: n. enim ne diutiùs immoraretur in suorum vitiorum consideratione, ad aliam transit quæstionem : Deinde ut suis faveat ostendit Samaritanos nitie exemplo Patriarcharum, quia in monte Garizim adoraverunt, ut Abraham, & Isaac, & Iacob: Iudæos autem sola opinione niti : unde ait, *Et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet*. Porrò quæstionem proponit de celeberrima controversia, quæ erat inter Iudæos & Samaritanos, de loco sacrificandi: cùm enim non liceret ubique ex lege sacrificare, ex præcepto Domini, Deuteronom. 12. *Ad locum quem elegerit Dominus DEVS vester, de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis : & offeretis in loco illo holocausta, & victimas vestras, decimas, & primitias manuum vestrarum, & vota, atque donaria, primogenita boum, & ovium* : Iudæi hunc locum adorationis, seu sacrificii, templum Hierosolymitanum affirmabant esse, ut Salomon, & Reges sacrificia obtulerunt, & ubi erant legitimi & summi Sacerdotes: è contrariò Samaritani in mō te Garizim, loco totius Samariæ eminentissimo, prope Sichar, templum ædificarant, ubi Deo sacrificabant, eumque esse locum à Deo electum contendebant : eratq; permolesta, &

continua controversia inter Iudæos & Samaritanos, quis locus esset ex duobus legitimus adorationis, seu sacrificii: Hæc ergo mulier putans Christum esse Prophetam, huius controversiæ resolutionem ab eo postulat: quem enim experta fuerat occulta revelasse, eundem putavit idoneum esse huius controversiæ judicem.

Sed Christus ut fugæ mulieris occurreret, ex proposita quæstione occasionem arripit, eam de summis rebus instruendi, & ampliùs illuminandi: atque ante omnia fieem sibi haberi postulat, ut Prophetæ, & quem ipsa experta est scire occulta: unde eum interrogat, ut Prophetam: *Dicit ei mulier, Domine video quia Propheta es tu: Patres nostri in monte hoc adoraverunt*, &c. Ait itaque Christus: *Mulier crede mihi*; Prophetam se probarat: itaque fidem potuit exigere: ad hæc, si illa nitebatur Patrum authoritate; cùm iste se probasset majorem quàm Iacob Patriarcham, etiam fidem sibi dari, potuit exigere: Hoc posito.

Docet 1. Vt mulieris interrogationi responderet, illam de loco adorationis contentionem cessaturam, & è medio tollendam, quia neque in monte Garizim, neque in templo Hierosolymitano, erit adorandus Deus: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem*: Prædicit utrumque cultum tollendum, & Iudaicum, & Samaritanum: Erit quidem cultus divinus, ait enim, *adorabitis Patrem*: sed neuter erit quia neque hîc, neque illic, quoniam uterque cultus cessabit & orietur perfectior: hoc indicat vox (*Patrem*) quâ ut ait Cyrillus indicatur etiam Filius: quod Iudæi explicitè non faciebant non enim distinctè Patrem, & Filium norant, multò minus adorabant. Abba, Pater.

Docet 2. Præferri Iudæos Samaritanis, & solvit propositâ à muliere quæstionem: *Vos adoratis, quod nescitis; nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Iudæis est*: Id est vera est fides Iudæorũ de uno Deo, & illis facta est promissio de Messiâ, & de Redemptore: Falsa fides Samaritanorũ, quia Dei unitatem nesciebant: Ad hęc insinuat, non ex eâdem causâ cessaturum cultum Iudæorum autem cultus, propter imperfectionem.

Docet 3. Qualis ille tertius cultus futurus sit, qui introducetur remoto cultu, & Iudaico, & Samaritano: *Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores, adorabunt Patrem in spiritu, & veritate*: Docet itaque licet plures & futuri sint qui Deum adorent *in spiritu & veritate*: Quare nec gentiles futuri erãt, veri adoratores, nec Iudæi: sed illi tantùm qui adoraturi erant *in spiritu & veritate*.

Vt hoc benè intelligatur. Adverte duplicem cultum cessaturum Iudæorum, & Samaritanorum; horum quidem, quia falsus; nam falsos Deos colebant; est enim unicus DEVS verus, Illorum autem, non quia falsus, sed quia non spiritalis, totus enim consistebat in ceremoniis corporalibus, per hostias corporeas, quæ in unico templo offerebantur. Ratio autem fundamentalis est, quia oportet cultum esse Deo convenientem, & proinde esse verum, & spiritalem: Id significant illa verba, *Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare*? Necessarius itaque fuit tertius cultus introducendus, qui Samaritano opponeretur, quoniam esset in veritate; & Iudaico, quoniam in spiritu, contra umbras & figuras: *Nam & Pater tales quærit qui adorent eum*: *Veri* enim *adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate*. Erit enim veritas, quia DEVS adorabitur: Erit adoratio in spiritu, quia DEO non offerentur res corporeæ, umbræ & figuræ, nec in iis servietur, sed in actibus virtutum, qui ex Spiritus sancti gratiâ procedunt.

Cùm

Cùm nihil haberet mulier quod responderet ne tamen omninò victa esset videretur, hâc etiam sextâ vice fugere, atque elabi conata est: Itaque quasi vel non sibi planè esset satis factum, vel quæ dicta erant, non intelligeret, rem totam, & quæstionis definitionem, in aliud tempus differt, nempe ad adventum Messiæ: *Dicit ei mulier: scio quia Messias venit*; id est venturum Messiam scio illud enim præsens *venit* vim habet futuri & particula, *quia*, declarationis est, ac si diceret, scio quia veniet, aut scio venturum: Etenim Samaritani, cum quinque libros Mosis reciperent, Christum venturum credebant: In libris enim Mosis, promissio Messiæ continetur, juxta illud Ioan. 5. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Pergit mulier: *Cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia*: sperabat nempe Christum, legem, & doctrinam expositurum, ut doctorem insignem; nec ipsa fallebatur, quamvis esset aliter docturus, quàm ipsa putabat. Habebat quidem Christum, præsentem, & docentem sed non agnoscebat: Verùm ut duo Discipuli euntes in Emmaus, etiamsi eorum oculi tenerentur, ne eum agnoscerent, miros motus loquente Christo in se sentiebant: unde dixerunt, *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in viâ, & aperiret nobis Scripturas?* Ita mulier ex Christi præsentiâ, & colloquio miros in se motus sentiebat, & ita mota est desiderio ad ventus Messiæ: Immò dum dicit; *nobis annuntiabit*, præsensit se eum esse visuram: Et verò non est deceptus affectus illius, neque suo desiderio frustrata est; nam & ipsum Messiam vidit, & agnovit, & ab ipso edocta est uti speraverat.

At Christus tam multiplici fugâ, & lapsu mulieris, affectus tædio, cùm variis affectibus, & diversis illum nationibus eam dispositisset, tandem uno verbo rem confecit, séque illi aperuit quis esset: *Dicit ei Iesus. Ego sum qui loquor tecum*: Mira dignatio! quod Christus Iudæis toties petentibus, atque interrogantibus, dicere denegavit (Ioan. 10. *Quousque animam nostram tollis, si tu es Christus, die nobis palàm*:) Illud mulieri Samaritanæ, infimæ conditionis mulieri, & adulteræ, ultrò aperuit, & se Christum esse fassus est, atque Messiam, & simul atque verbo exteriori aures ferit, mentem ejus & affectum cœlesti lumine & dono spiritali imbuit, ut quod exteriùs audiebat interiùs perciperet & crederet: quod ipsa cumulatissimè fecit, & præda facta est Salvatoris, unòque verbo res omnis confecta, & peracta conversio & morum, & fidei, & religionis. Ac ne dubites; Vide quæ eius conversionem sic factam secuta sint.

Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci: numquid ipse est Christus? In quibus verbis Evangelista triplicem veræ fidei fructum complexus est, quod denotat particula illationis *ergo*: *reliquit ergo hydriam suam mulier*: quâ significatur quod præcessit causam esse sequentis sententiæ, ac si diceret: Quia audivit à Christo, quod ipse esset Messias; propterea relictâ hydriâ abiit: & quæ sequuntur: ut scias vim admirabilem esse, atque efficaciam gratiæ quæ saxea corda emollit, & incredulorum mentes, ac peccatorum voluntates, ad se potenter, & citò convertit.

Primus fidei fructus fuit magna morum mutatio: quæ enim ranteà parum aquæ, Christo sitienti, & petenti denegarat, jam propter eum, & hydriam & funem reliquit, fortasse quia Discipulos de civitate cibos emisse cognoverat, quos dùm cibũ cũ magistro caperent, hydriâ egere posse judicavit; eâ itaq; in ejus, ac discipulorũ usũ reliquit: Ad hæc cui toties veniread fontẽ, etiã ut sibi aquã hauriret, grave erat; jã redire ad civitatẽ, & iterũ ad fontẽ,

ubi Christus

Christus manserat, reverti, non laborem importunum, sed requiem potiùs reputabat.

2. Fidei ipsius fructus fuit rerum temporalium neglectus: nam & sitim suam oblita est, nec curavit aquem haurire, immò & hydriam & funem reliquit, imitata Apostolos qui relictâ navi & retibus, secuti sunt Dominum. Vt enim illi cùm audissent se factos esse piscatores hominum, nihil morati sunt naves & retia, quibus pisces caperent; sic ista mulier haustâ & acceptâ, quam Christus promiserat, aquâ spiritali, saliente in vitam æternam, nihil morata est aquam materialem, sed relictâ apud puteum hydria, nihil respondens Domini verbis, properat in civitatem, facta, ex muliere adultera, Apostola: Et hic est

3. Fidei fructus, nempe studium impertiendi aliis in ventam veritatem: ea est enim natura veræ cognitionis Christi, ut qui eam nactus fuerit, nihil priùs habeat, quàm illam plurimis communicare. Ita hæc mulier ubi credidit, reliquit hydriam suam, & cum illa sine mora abiit in civitatem, quia ibi plures erant; *& dicit illis hominibus, Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci: numquid ipse est Christus?* In ea impletum est quod dixit David, *Credidi, propter quod locutus sum.* Et Paulus Roman. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem*, & propriam, & aliorum. Vide autem qua prudentia, & quo zelo suis Christum prædicet: In eo consistit ejus prudentia, quòd primò miraculum narrat, ut hac ratione eos ad fidem disponeret; sic enim apud se statuit, cùm per revelationem secretorum ad fidem impulsa sit, ipsam eundem apud eos effectum habituram: propterea illis narrat quomodo ei omnia, quæ ipsa fecisset in vita, dixisset: Ac ne dubitarent de miraculi veritate, eos ad experientiam invitat: *Venite*, inquit, *& videte hominem*: confidebat enim si ad Christum venirent, eum & doctrinæ suæ & potentiæ verbo ilios conversurum, utrei ipsa deinde contigit: cùmque ipsa crederet esse Christum, eos ad probandum invitet, an esset Christus: Non itaque simpliciter affirmat illum esse Christum, sed ex narrato miraculo, judices facit, *nunquid ipse est Christus* qua ratione id ipsis facilùs persuasit: Item non dixit, Ite, & videte, sed *venite*; ut majorem fidem mereretur, quasi ipsa etiam testis vellet accedere. Zelus autem in eo fuit, tùm quòd ubi primò agnovit, non remansit, sed relicta hydria ad alios perrexit, ut eos tãti bonifaceret participes: Deinde nec suo nomini ac famæ pepercit, neque enim dissimulavit se esse in illicitis amoribus, cùm hæc omnia narrarit sibi à Christo dicta fuisse, quod Evangelista verbis generalioribus expressit, *Qui dixit mihi omnia quæcunque feci*: Non itaque timuit infamiam, ut Christi nomen celebraret; uti S. Paulus, qui ut Dei misericordiam erga se extolleret, & ut suis discipulis prodesset, vitæ suæ præteritæ mala, quæ contra Christum operatus est enarrare non erubuit: uno ergo momento, & fidem concepit, & magnos progessus in ea fecit, facta illustre conversionis exemplum.

Vide autem admirabilem prædicationis ipsius, & dati Christo testimonii successum; 1. enim multi ex Samaritanis ad Christum accurrêre, secundùm illud Evangelistæ: *Cum venissent ergò ad illum Samaritani*: particula (*ergo*) consequentiam infert, ac si diceretur, propter mulieris dictum exierunt Samaritani ut venirent ad Christum, fidem ejus verbis habentes: nam cùm dixisset, *Venite, & videte*, propterea exierunt illi, & venerunt, ut viderent. Fœlix mulier, quæ tam multos adduxit ad Christum! 2. Multis persuasit, ut crederent eum esse Christum narrato quod sibi contigerat miraculo: *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris, testimonium prohi-*

ben-

bentis: quia dixit mihi omnia quæcunque feci: 3. Occasionem dedit ipsi Christo plures convertendi, & eos, quos ipsa converterat, & in fide confirmandi, & verò etiam perficiendi: quod factum est duorum dierum spatio, quibus Christus, in eâ civitate commoratus est: *Cum venissent ergo Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multò plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. Et mulieri dicebant: quia jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est verè Salvator mundi:* Quasi dicerent se priùs credidisse propter ejus sermonem, sed nunc se majus habere credendi testimonium, ita ut crediturì etiam fuissent, licèt ab eâ nihil audivissent: Audivimus (inquiunt) quia, *fides ex auditu*: scimus autem; ut certam suam fidem ostendant, atque ab omni dubio liberam. Quid autem credant, exprimunt, nempe eum verè esse Salvatorem mundi, quod Christus dixerat Samaritanæ: non uno loco religionem definiendam, quasi tantum esset unius gentis Salvator, Iudæorum nempe, aut Samaritanorum, sed totius mundi. Articulus autem additus, habet emphasim, quasi dicant, hic est Salvator ille, qui propriè, & verè omnes salvat: Venerunt enim multi ut salvarent, & Patriarchæ, & lex, & Prophetæ, & Angeli, sed hic est ille unicus, & verus Salvator. Porrò hæc subita Samaritanorum conversio, præludium fuit, & primitiæ quædam vocationis gentium, ideò Christus voluit illam esse adeò illustrem, ut reverâ fuit.

Ex hoc toto discursu apparet quanta sit virtus, & efficacitas gratiæ, quæ potuit indoctam, & rudem, immò etiam peccatricem fœminam, tàm citò in veritatis Christi convertere Apostolam, ut facta sit ejus prædicatrix, & ad eum tam multos traxerit, cui paulò antè, aquam ad bibendum negaverat: Vnde scias neminem desperare debere, si modo gratiæ obedire velit. Quid enim potes obtendere, an ignorantiam, an vilem conditionem, & genus ignobile, an paupertatem, & rerum necessariarum indigentiam, an vero malam vitam præteritam, & pravas consuetudines? Cogita mulierem Samaritanam, pauperem, ignaram, adulteram, & fœminam multorum virorum. Cogita etiam Samaritanos homines idololatras, & vel solo nomine execrandos. Sed in quàm multis illud Christi pronuntiatum impletum est? *Publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Quid quod illa mulier, non tantùm ipsa salutem consecuta est, sed tàm multos ad Christũ adduxit, & tam multis causa fuit salutis? Sed nimirum ubi agnovit, non remansit, non se excusavit, sed omnia uno momento dereliquit, nec vel ad instans morata est. Secundo Quàm illa facilè; & quam promptè Samaritani crediderunt: Tu Iudæis similis, post tot visa miracula, post tot audita testimonia, non credis? Certè hic locum habet Christi argumentum: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quàm Jonas, hic.* Et illa mulier nos condemnabit, sicut & Samaritani, qui tam facilè conversi sunt. Fœlices qui eorum exemplo, & credunt, & confitentur quia hic est verè Salvator Mundi, à quo & gratiam accipimus, & gloriam speramus.

Amen.

FERIA SEXTA

DOMINICÆ TERTIÆ *IN QVADRAGESIMA.*

CONCIO SECVNDA.

De adoratione Dei in Spiritu.

Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate. Ioan. 4.

MIRABILIS planè Christus in tractandis fœminis quarum vita minus probata erat: Etenim erga omnes magnoperè mitis fuit ac mansuetus: qualis quippe erga Magdalenam, qualis erga Adulteram, qualis cum Chananæâ, qualis cum Samaritanâ? Et advertit S. Hieronymus ex ijs quæ numerantur in Christi genealogiâ nullam non fuisse peccatricem, ut scires venisse potissimùm ob peccatores: item ut scires inde vim gratiæ; denique, infirmitatem sexus magnam esse occasionem misericordiæ. Verum nescio an alicui majora patefecerit mysteria quàm Samaritanæ. Nos omnia exponere intra horam non possumus: hoc unum tantum exponemus verbis illis comprehensum: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate.* Sed ante ad Virginem accedamus. AVE MARIA.

IN colloquio Christi cum Samaritanâ Muliere multa sunt quæ magnam mihi afferunt admirationem 1. admirabilis Christi zelus quod fatigatus ex itinere, sederet sic suprà fontem: 2. Divinæ vocationis suavitas in quærendâ opportunitate: 3. Mirabilis benignitas in alloquendâ muliere & tam longo sermone, in erroribus ipsius, & fugis persequendis, in modo eam instruendi & inducendi ad confessionem: 4. Quod summa ei mysteria & res summas explicarit, quas ne Judæis quidem unquam aperuit: ut quod distinctè dixerit se esse Messiam; se aliam legem introdu-

troducturum; & alia similia plurima: 5. Successus, quod meretricem fecerit Apostolam. *Venite, & videte hominem, qui mihi dixit omnia quæcunque feci, nunquid ipse est Christus?* quam idcirco Chrysostomus si tamen est author Homiliarum de diversis utriusque Testamenti, variè appellat sumptis nominibus tàm ex veteri consuetudine & vitâ, quàm ex bono quod conversione accepit, modò τὴν πίωχὴν, καὶ πλουσίαν mendicam & opulentam: modò τὴν πόρνην, καὶ ἀπόστολον meretricem & Apostolam: nunc τὴν ἄσωτον, καὶ πιστὴν. luxuriosam, & fidelem: nunc demum τὴν πολύγαμον, καὶ πολυδύναμον multis junctam viris, & multis viribus præditam. Sed omissis cæteris, de uno tantùm agere placet, de quo Christus mulierem erudivit, & quod omnium summum, & difficillimum puto: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate*: In quibus verbis, & summa doctrina continetur & summa perfectio. Incipiamus à doctrinâ quæ summam Religionis attingit.

Agitur itaque de bonâ & malâ Religione, ac de perfectissimo cultu qui significatur per adorationem: eaque erat illo tempore celeberrima quæstio inter Iudæos & Samaritanos, ut nunc inter Catholicos & Hæreticos de Eucharistiæ Sacramento.

Nota 1. Nomine Adorationis hoc loco intelligi non quamlibet actionem cultus & reverentiæ, sed sacrificium: nam ubique licebat Deum orare, & adorare, sed non licebat ubique sacrificare sed tantùm in loco quem Deus elegisset: uti præcipitur Deuteron. 12. *Ad locum quem elegerit Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis & offeretis*, &c. ut diximus superiori concione.

Nota 2. Totam Religionis essentiam quoad cultum externum consistere in adoratione & sacrificio: Cùm enim Religio publica consistat in aliquo cultu qui Deo soli tribuatur, nullusque sit cultus externus qui non possit communicari cum creaturâ, nisi sacrificium; sequitur essentiam Religionis consistere in sacrificio. Nam cum in Deo sint attributa quædam creaturis communicabilia, quædam incommunicabilia; quæ sunt communicabilia, honorari possunt in creaturis eâdem honoris specie, quâ honorantur in Deo: Ita laudes & preces, adorationes externæ seu prostrationes, fiunt coram Patribus, Dominis, Principibus, Sacerdotibus, Regibus, & ita passim in Scripturis legimus Davidem adorasse Ionathan, & eundem Davidem adoratum fuisse ab Abigail, Bethsabeâ & ab alijs summi honoris causâ: Quæ autem sunt incommunicabilia, habent etiam incommunicabilem honorem sibi respondentem: Ita summum in Creaturas dominium est incommunicabile, & proinde etiam honos ei debitus est incommunicabilis: Est autem sacrificium in quo agnoscimus Deum esse summum Dominum & primum essendi principium: unde in sacrificio consistit summa Religionis; & inde sequitur nullam esse posse Religionem sine aliquo sacrificio: Cùm enim hominum religio non sit eadem quæ Angelorum Religio, non tantum continet actus internos, sed etiam actum externum, qualis nullus assignari potest nisi sacrificium, nam omnis alius externus communicari potest cum creaturis: Cùm itaque nomine adorationis intelligitur certus cultus ad Religionem pertinens, oportet illum cultum, esse sacrificium; & cum demum hîc agatur de legitimo sacrificio, id est, quod fiat secundum leges & ritum à Deo præscriptum, sequitur quæstionem esse de verâ Religione.

Nota 3. Tunc temporis omnem Religionem, latè sumpto Religionis nomine, prout veram falsamque religionem comprehendit

(quilibet enim suam habet pro vera) fuisse tantum duplicem, Iudaïcam & Gentilem: illam veri Dei; alteram falsorum deorum. Ad hanc pertinebat Samaritana, ut pote quæ præter verum Deum, coleret etiam Deos gentilium: Cùm enim gentiles missi essent in Samariam, & in locum decem tribuum translatatum à Rege Assyriæ, totam illam Regionem incolerent, Deos patrios colere cœperunt, spreto cultu veri Dei: Sed cùm terra illa à Leonibus vastaretur, Salmanazar misit Iudæorũ Sacerdotes qui eos legis Mosaïcæ ritum docerent. Hinc factum ut Samaritani ita cultum Iudæorum admiserint, ut simul suorum deorum superstitionem retinuerint, & ita partim Iudæi partim gentiles fuerint. Sed cùm verus Dei cultus debeat esse purus & impermixtus, hinc etiam factum ut Samaritani inter gentiles censeantur, unde dixit nunc temporis duplicé tantùm fuisse Religionẽ, Iudaicã & Gentilẽ.

Nota 4. Cùm in multis dissentirent Iudæi à Samaritanis, ut de libris Scripturæ; nam Samaritani tantùm libros quinque Moysis recipiebant, & alios rejiciebant; in hoc præcipuè certasse, scilicet de loco ubi liceret sacrificare. Cũm. Deus nõ in omni loco permisisset sacrificiũ, sed in eo tãtũ quẽ ipse elegisset; Iudæi in Templo tantùm Salomonis sacrificandum cẽsuerunt, ubi Deus in nebula apparuit, ubi erant summi Sacerdotes, & ubi Reges omnes Sancti sacrificarant: Samaritani autem in mõte Garisim loco totius Samariæ eminentissimo prope Sichar templum ædificarant, in quo loco, Deo Israël sacrificia offerebant contendentes eum esse locum quem elegisset Dominus, in quo primi Iudæorum sacrificassent, nempe Abraham & Iacob: refert enim Chrysost. Homil. 31. traditionem sui temporis fuisse illum esse montem in quo Abraham filium suum Isaac immolare tentavit. Deinde in eodem monte, Iacob rediens ex Mesopotamia, Dominum adoravit: uti dictum Genes. 33. unde sic loquitur Mulier Samaritana. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt: & vos dicitis quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet*: Fuit q; controversia continua & per molesta inter Iudæos & Samaritanos uter locus esset adrationis: Et hanc quæstionem quasi celeberrimã & maximè communem, proposuit Christo mulier Samaritana cùm eum Prohpetam esse deprehendisset ex vitæ suæ manifestatione.

Nota 5. Christum sic suam responsionem temperasse, ut 1 ostendat præferri Iudæos Samaritanis, itaque solvat propositam quæstionem: *Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est*: Id est, Iudæorum cultus ex fide vera est, quia unicũ credit esse Deum, uti verè est: Samaritanorum cultus ex infidelitate & errore ac ignorantia est, quia non habet veram de Deo fidem: Quamvis enim Deũ Israël Deum esse credat, tamen cum eo multos recipit Deos, qui autẽ unicum Deum ignorare dicitur, quia verè de Deo non sentit: præstat ergo Iudæorum cultus cultui Samaritanorum, sicut fides infidelitati, & veritas præstat errori. Nec mirum quod penes Iudæos sit veritas, quibus promissio facta est Messiæ, à quo salus omnis originem ductura est & emanare debet veritas, ipse enim illos primò instruet, deinde mittet ex ijs qui instruant cæteras gentes secundùm illud Isaiæ 2. *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Jerusalem*. In ipsis igitur vera Dei cognitio .2. ut ostendat ex venturo perfecto cultu, & religione perfecta, utramque religionẽ abolendam: unam quidem ut falsam; alteram, ut imperfectam. Certè Samaritanorm religio falsa fuit; unde Christus, *Vos adoratis quod nescitis*; quia scilicet falsis dijs sacrificabant: Iudæorum vero falsa non fuit: unde Christus. *Nos adoramus, quod scimus; Quia salus ex Judæis est*: Sed tamen fuit imperfecta; unde & abolenda: propter infirmitatem, ait Apostolus: & ideò ait Christus, *Mulier crede mihi, venit hora,*

hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem : Vide triplicem prophetiam, primò abolendam idololatriam: 2. finiendam legem Iudaicam : 3. stabiliendam veram Religionem, quæ unica erit vera, unde subdit, *Venit hora & nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate* : itaque cessabit illa contentio, nam neque erit adoratio in illo monte, quia cessabit Idololatria, ut prophetatum est Michææ 1. *Omnia idola ejus ponam in perditionem* : Isaiæ 2. *Elevabitur Dominus solus, & idola penitus conterentur* : Neque erit adoratio Hierosolimis, nam Psal. 39 *Sacrificium oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi, tunc dixi ecce venio* : Itaque orietur tertius cultus, ait enim *adorabitis Patrem*, non in uno loco, sed ubique. *Quia venit hora, & nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem, in Spiritu, & veritate.*

Nota 6. In illis verbis indicari utriusque Religionis defectum, & summam perfectionem Religionis stabiliendæ. Nam Religio Samaritanorum, non fuit in veritate sed in falsitate, & ignorantiâ; adorabant enim quod nesciebant, quia de Deo non rectè sentiebant. Iudæorum Religio non fuit in spiritu; sed eorum adoratio fuit in rebus corporalibus quæ erant umbræ & figuræ futurarum: omnia enim illa animalium sacrificia, cerimoniæ, & ritus, instituta erant à Deo, & data illis, tanquam futurorum figuræ & signa: Veritas itaque contra falsa dogmata: spiritus contra umbras & figuras, quæ apud Iudæos erant in rebus corporalibus & tot sacrificijs: Gentilis itaque cultus relinquitur propter errores Iudaicus propter figuras, & loco utriusq; inducta est Christiana Religio; quæ utrumque habuit ut esset in spiritu & in veritate : nam veritatem habet, rectè enim sentit de Deo; & servit in spiritu, nempe non in figuris, & umbris sed in Spiritus sancti gratiâ, & operibus hinc prodeuntibus, fide, & charitate, & alijs actionibus externis virtutum, qui à Spiritu Sancto procedunt: Non itaque per spiritum excluduntur actus externi & opera, quando fiunt & procedunt ex interiori spiritu, fide, dilectione & gratiâ, sed excluduntur opera quæ ad hoc instituta sunt ut essent figura futurorum, qualia erant opera legis, quæ licet fieri possent ex gratiâ, non tamen præcipiebantur ut opera prodeuntia ab interno, sed ut essent signa futurorum, *umbram enim lex habet futurorum bonorum* non ipsam imaginem rerum.

Nota 7. Rationem fundamentalem, cur utraque Religio Gentilium & Iudæorum esset abolenda, tactam esse in his verbis, *Spiritus, est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu, & veritate oportet adorare* : Significatur enim adorationem debere esse convenientem Deo, ut sit aliqua proportio inter eum qui adoratur, & adorationem quâ colitur: Itaque non debere esse falsam, sed in veritate: neq; enim falsus Deus adoratur, sed verus; ad hæc si in adoratione est falsitas, mala est, itaq; non est Deo conveniens: Item non merè corporalè, qua Deus Spiritus est hoc est incorporeus, & immaterialis: oportere igitur eã esse spirituale, & ab animo suâ originem habere, & proinde non debere consistere in rebus corporeis, & materialibus. Quòd autem ejusmodi corporalem permiserit Deus, in veteri lege; id fecit, habita ratione imbecillitatis adoratorum: sed quia non decuit Deum sic semper adorari, propterea ille cultus rejectus est, & alius subintroductus in Spritu. Itaq; nisi actiones, & operationes hominis exteriores ex spiritu procedant, hoc ex fide, dilectione, & gratia non sunt Deo grata neque conveniens adoratio: at sic ex spiritu eâ procedant, spiritalis adoratio sunt: sit enim spiritalia sunt in suo principio, & radice, seu causa, & quam habent proportionem cum Deo qui Spiritus est. Illa itaque antiqua & corporea sacrificia, non satisfacie-

faciebant, quia non convenientia : placuêre tamen ad tempus futurorum erant figura: quô jam sublatô, nec placent nec placere possunt: non placent quia jam falsa : nec possunt, quia merè corporea : Iejunia autem, Eleemosynæ, & similia corporea, ut sunt sacrificij ceremoniæ placent ratione principij, quia ex fide & charitate procedunt: unde spiritalia sunt ratione principii, & inde quandam habent cum Deo proportionem. *Spiritus* enim *est Deus & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.*

Hactenus de doctrinâ. Quæ sequuntur ad vitæ spiritalis perfectionem attinent, & duo vitæ spiritalis principia comprehendunt: Primum pertinet ad adorationem in spiritu ; alterum ad adorationem in veritate : etenim *veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* De 1. nunc dicturi sumus; de altero fortasse dicemus alio die.

Sed antequam de primo dicere incipiam, ut intelligamus quid sit adorare in spiritu ; Adverte spiritui corpus opponi, & sic diversas utrique convenire proprietates. Cùm itaque corpori conveniat omnimoda limitatio; (etenim corpora certis quibusdam corporum seu locorum temporum spatiis continentur, proinde quoad tempora ortum habent, & interitũ, & suas ætates, juventutẽ senectutẽ, & similes temporũ differentias; eôdẽ modò certis locis continentur in quibus tantũ conservari possunt :) Spiritus contrà propriè limitationem non habet, ut qui neque loco neque tempore verè continetur. Ita Sanctus Maximus ut diximus aliàs dividit virtutes in corporales & spiritales, secundùm illud Apostoli. *Corporalis exercitatio ad modicum valet : pietas autem ad omnia utilis est*, quare corporales vocat ἐπὶ ὀλίγον, id est, necessitati subjectas, quia pluribus modis, atque rationibus impediri possunt, ita ut qui eas non habeat excusetur; spiritales autem vocat non subjectas, qualis est pietas, quæ nec impediri potest ut habeatur, nec ille excusari qui non habet. Ita non omnes possunt jejunare, nec dare eleemosynam : sed omnes parcere possunt, omnes habere charitatem possunt & mansuetudinem His positis.

Assero vitæ spiritalis principium esse, ut anima Deum adoret in spiritu, hoc est sine ulla limitatione, nihil excipiendo, nihilque sibi retinendo, neque in rebus, neque in personis, neque in objectis.

1. Ratio est. Quia omnis professio sanctitatis sine ulla voluntate mera est irrisio. 1. Quia sanctitas est virtus consummata quæ impeditur ab ea voluntate quæ obicem ponit: uti enim minimus pilus umbram facit, ita minimæ rei retentio consummationem sanctitatis impedit. Hinc originem habet dictũ illud commune Patrum spiritalium, res parvas, immò vel unam non esse negligendam: Siquidem ut ait Chryſ. homil. 8. in 1. Cor. ex parvis magna dependent: corpus enim si ab ense accepit disjunctionem, interibit: & ædificium, si vel parum dehiscat, dissolvetur: & palmes si à radice parum fuerit abscissus, fit inutilis: quamobrem hoc parum non est parum, immò verò est ferè totum. 2. Quia sanctitas non est sine charitate, quæ Deum superomnia diligit. 3. Quia dum aliquid excipis, occurret aliquod objectum exceptum, quod erit sufficiens, ut aliquis gratiam amittat: Tum quia nullum est objectum, quod sub aliqua virtute non sit, quæ omnis, in aliquo saltem casu, obligat sub mortali: Tum quia nihil facilius fit, quàm ut ex aliqua circumstantia, materia fiat gravis, unde nascatur obligatio sub mortali : Denique quoniam virtutes sic sunt connexæ inter se, ut sæpe una propter aliam obliget, unde fit, ut quæ separatim sumpta, sunt tantũ in consilio, existant in præcepto ratione aliorum quæ præcepta sunt: ut quis obligari potest ad jejunium, si aliter castita-

castitatem servare non potest : & in aliis multis.

2. Ratio est. Quia ea est natura virtutis, ut imitetur principia speculativa, & propositiones æternæ veritatis, hoc est ut habeat universitatem respectu omnium temporum, omnium locorum, omnium objectorum, omnium modorum; est enim constans & perpetua benè operandi ratio: quâ notâ distinguere potes veram virtutem à falsâ. Sic ille non est humilis, qui se aliquibus tantum postponit, sed non omnibus; nec ille patiens qui aliqua pati potest non alia ; nec ignoscit ex virtute qui quædam parcit, & quibusdam, sed non quidlibet, nec cuilibet; item non ille studiosus qui in prosperis virtutem sectatur non autem in adversis ; in certis rerum successibus, non in omnibus : Virtus enim est illimitata, neque temporum, nec personarum, nec objectorum facit discrimen.

3. Ratio petitur ab exemplis. 1. est in duobus naturæ primogenitis, in quibus jacta sunt duplicis civitatis fundamenta; in Abele Prædestinatorum; in Caino, Reproborum. Quid putas sic germanos discrevit nisi allatum principium? Audi quid de utroque dicatur 4. Genes. De Caino enim dicitur *quod benè offerret, sed malè divideret*, uti legunt 70. Interpr. Etenim sacrificii res fuit sanctissima: quia verò quod deterius erat, offerebat, ac sibi meliora servabat, ideò ei dicitur *quod malè divideret* : Nam cum Deo dividere impium est, cùm ad eum omnia pertineant. De Abele autem sic scribitur *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Certè in qualitate sacrificii ostendit quid de Deo sentiret: quod enim omnia uno sacrificio non offerret, id causæ fuit, quòd singulis diebus offerre vellet. Unde discrimen, acceptationis utriusque coram Deo: *Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain vero, & ad munera illius non respexit.* Hinc unius electio, alterius verò reprobatio.

Alterum exemplum est duorum Regum, Davidis & Saul quorum vita dissimilis, & dispares exitus ex hoc principio distinguuntur. Etenim Saul hoc habuit, quod nunquam se totum DEO addixerit, sed malignè, & cum exceptione : unde de illo negat Gregorius impleviſse unquam factam de ipso prophetiam. *Et mutaberis in alterum virum* : Etenim (ait) semper in eo aliquid vitæ prioris remansit. De Davide autem ita loquitur Scriptura. 1. Reg. 13. *quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum*: Et Actor. 13. *Inveni David filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Id in utriusque unctione præsignificatum fuisse advertit S. Gregor. Sic enim unctio Saulis exprimitur 1. Reg. c. 10. *Tulit itaque Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus*: audi Greg. Lenticulâ Saul ungitur ad exprimenda futura: lenticula quidem parvum est vas: quid ergo est quod lenticulâ olei Saul ungitur, nisi quia in fine reprobatur: velut enim lenticula, parum olei habuit, qui spiritualem gratiam projiciendus accepit. Hæc ille. Idem ait contingere in iis qui in charitate perfecti non sunt: quendam enim affectum charitatis habent, sed plenitudinem ejus non habent. Illa ergo rudis, & imperfecta mentis affectio, quid est nisi lenticula olei? nam dùm ungit caput, & non replet, tota quidem effunditur, sed parùm exhibet. E contrario verò cùm ungendus fuit David in Regem, audi quid dicat Scriptura 1. Reg. 16. *Imple cornu tuum oleo, & veni ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi Regem*: Vide, ait Gregorius, plenitudinem unctionis. Et alibi. Cornu pleno unguntur qui ad summum gradum perveniunt cum plenitudine gratiarum. Cernis itaque in Saule restrictionem, in Davide plenitudinem : & consequenter in Saule reprobationem, in Davide electionem ac prælationem. Sed patet reipsâ impletum quod fuerat

unctio-

unctione præfiguratum; duplex enim in Scripturâ traditur causa reprobationis Saul, utraque verò propter aliquid exceptum.

Prima præscribitur 1. Reg. cap. 13. Præceperat Samuël Sauli post unctionem, ut iret in Galgala, ut offerret victimas DEO: jussit autem ut se septem dies expectaret: *Septem diebus expectabis donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias*; Itaque secundùm placitum Samuëlis ivit Saul cum exercitu in Galgala: & quanquam undique ab exercitu hostili cingeretur, usque ad septimum diem Samuëlem expectavit: sed cùm Samuël moraretur, & exercitus Saulis præ tædio & expectatione dissolveretur ac paulatim dilaberetur, paulò ante finem septimæ diei, Saul ut populum abeuntem detineret, sacrificium obtulit Deo; quo peracto statim adfuit Samuël, quem cùm Saul salutare vellet, iratum sensit atque indignantem: *Quid fecisti: Respondit Saul: Quia vidi quod populus dilaberetur à me, & tu non veneras juxta placitos dies, &c. necessitate compulsus obtuli holocaustum*; *Dixitque Samuel ad Saul, Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, &c.*

Nota 1. Saulem maximâ ex parte Samuëli obedisse, minimâ parte non obedisse: Etenim præter cætera mandata quæ scribuntur in cap. 10. quòd ad istud ultimum attinet, perrexit in Galgala; & sex dies integros & plusquàm medium septimi expectavit: verùm tantùm temporis non expectavit, quantùm necessarium fuit ad sacrificium: ait enim textus, *Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat*: Quis non leve illud credidisset, actionem sanctam exiguâ temporis parte præveniisse, idque Regem, & in tantâ rerum angustiâ?

Nota 2. Saulem multas habuisse excusationes. 1. est, quòd populus dilaberetur. 2. Quòd non speraretur Samuel. 3. Quòd ingruerent hostes. 4. Ipsa religio, quòd non placatus Dominus. 5. Ipsa necessitas quæ omnia excusat: *necessitate compulsus obtuli holocaustum.*

Nota 3. Hoc factum sic Deo displicuisse, ut hinc fuerit radix reprobationis Saulis: ut è contrariò hæc pars exigua obedientiæ, unica erat conditio confirmationis ipsius in regno; unde ait; *Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum: sed nequaquam regnum tuum ultra consurget*: Vide quanti steterit tam exigua pars temporis, quæ æternitatem regni amisit.

Nota 4. Quale Samuël de hoc facto judicium habuerit. 1. vocat stultitiam, *Stultè egisti.* Quia qui tot dies expectasset, non potuerit unicam horam expectare: unde Sapiens Eccli. 2. *Væ vobis qui perdiderunt sustinentiam*: quâ de re Gregorius: Sustinentiam quidem perdunt, qui bona quæ inchoant, non consummant. 2. vocat inobedientiam, quasi nihil fecisset: *Nec custodisti mandata Domini Dei tui quæ præcepit tibi*: Illam autem inobedientiam sic exprimit Gregorius: Quia integris septem diebus, sicut jussus fuerat, non expectavit; unde subdit, Quo in loco trementi corde considerandum est, quàm brevissimi temporis expectatione neglectâ, repulsus sit. Sanè vides quòd dixi, quantùm interfit, nil cum Deo excipere: unde subditur de Davide, *Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum*: quòd si ex tanto tempore unius partis exceptio, cùm tot adessent excusationis prætextus, reprobationem attulit, quid de aliis exceptionibus cum Deo cogitari potest, quæ sæpe majores sunt & graviores.

Sed videalteram atque ultimam reprobationis Saulis causam: scribitur illa 1. Reg. capit. 15. ubi Dominus per Samuëlem Sauli præcipit ut exercitum moveat contra Amalec, eumque destruat, sed hâc lege; *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus*

ipsius

ipsius aliquid: sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum, atque lactantem; bovem, & ovem, camelum, & asinum: Audisti præceptum: vide promptam executionem: Etenim Saül conflato ingenti exercitu suprà ducenta millia, Amalec adorsus est, ac debellavit. Sed vide perpetuum Saülis malũ: semper aliquid excipit in sua obedientia. Etenim cùm jussus esset omnes interimere. *Non parcas ei, sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactantem*: quid Saül fecerit subdit textus, *Et apprehendit Agag Regem Amalec vivũ: omne autem vulgus interfecit in ore gladij*: Item cùm jussus esset omnia pergere, & animalia etiam interficere, *Demolire universa ejus, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid*: quid subdit textus? *Et pepercit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ovium & armentorum, & vestibus, & arietibus, & universis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quidquid verò vile fuit, & reprobum, hoc demoliti sunt.*

Nota 1. Saülem maxima ex parte satisfecisse præcepto: Etenim unum Regem servavit, cæteros interfecit: item meliora tantùm reservavit, quæ paucissima erant: cætera autem omnia disperdidit.

Nota 2. non caruisse prætextu. Nam uni Regi pepercit, non de industria, sed cùm vivum cepisset: videbatur autem crudele non ei parcere, quem etiam belli furor non attigisset: nec decens videbatur à non irato Rege interimi: adde quòd conditio Regia id mereri videbatur: Denique accesserat suffragium populi, secundùm illud, *Et pepercit Saul & populus Agag*: Quo ad cætera quæ reservata sunt, ideò servata ut Deo consecrarentur, & id populi fuerat studium, unde Samuëli conquerenti, cur ea essent servata, respondit Saul, *Pepercit populus melioribus ovibus & armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo; reliqua verò occidimus*: ac ut scias non mentitum, cùm veniisset Samuël, ait textus de Saüle, *Et Saul offerebat holocaustum Domino de initijs prædarum quæ attulerat ex Amalec*: Unde Saul credidit se satisfeciisse præcepto Dei, itaque gratulabundus venienti Samuëli occurrit dicens, *Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini*, adeò non existimavit se præterijsse.

Nota 3. Deum & Samuëlem aliter judicasse de hoc facto Saülis: quare post exprobrata ei beneficia, & appositum mandatum interficiendi Amalec usque ad internecionem, subdit, *Quare ergo non audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini?* unde rejectis ipsius excusationibus, docet non requisisse Deum ab eo hostias, sed obedientiam; *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ: Et ausultare magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi, est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Vocat inobedientiam, quòd mandatum ex omni parte non impleverit: unde subditur consumara Saülis reprobatio: *Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis rex*: & ut scias reprobationem consummatam, *Porrò triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo est ut agat pœnitentiam*: Itaque eum Samuël deserens, *conversus est ut abiret: Ille autem apprehendit summitatem pallij ejus, quæ & scissa est: Et ait ad eum Samuël: Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud in proximo tuo meliori te*: & quanquam ad tempus eũ secutus sit rogantem ut se honoraret coram populo, statim tamẽ deseruit; & ut ait textus, *Et non vidit Samuël ultrà Saül usque ad diem mortis suæ; veruntamen lugebat Samuel Saülẽ, quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset eum Regem super Israel.*

Ex quo facto insigne habes exemplum ejus rei qua dixi; periculosissimũ esse cum Deo aliquid excipere, nec se totum Deo tradere.

Quòd verò pauci sint qui id faciant, hinc patet quòd cũ in Regno Judæ viginti fuerint Reges, & novendecim in regno Israëli, de paucis tamẽ dicitur quod rectum fecerint coram oculis Dei, sed ex maxima parte dicatur, *fecitque malum in conspectu Domini.* De alijs autem qui rectum fecerunt coram oculis Domini, id ferè semper dicatur cum aliqua exceptione. 1. Itaque quàm præclara dicuntur de Salomone qui & amabilis Deo dicitur, subditur tamen Eccli. 47. *dedisti maculam in gloria tua*, 2. Laudatur Asa 3. Reg. capite 15. sed subditur, *Excelsa autem non abstulit*: 3. Josaphat commendatur capite 22. *Ambulavit in omni via Asa patris sui, & non declinavit ex ea, fecitque quod rectum erat in conspectu Domini*: deinde subditur *Verumtamen excelsa non abstulit, adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis* 4. Joas commendatur 4. Reg. 12. *Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Joiada Sacerdos*: sed vide restrictionem, *Verumtamen excelsa non abstulit*, &c. 5. Idem de Amasia scribitur 4. Reg. 14. *Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater ejus*, &c. *Excelsa non abstulit*, &c. 6. Idem de Azaria capite 15. Idem de Joathan ibid. Sed quid singulos commemoro, cum de universis scriptum sit Eccli. 49. *Præter David, & Ezechiam, & Josiam omnes peccatum commiserunt: Nam reliquerunt legem Altissimi Reges Juda, & contempserunt timorem Dei. Dederunt enim regnum suum alijs, & gloriam suam alienigenæ genti*: Et tamen ab illis etiam tribus exceptum aliquid Scriptura sancta agnoscit: Etenim ut à Davide initium ducamus: eum 3. Reg. capite 15. sic de eo dicitur, *fecisse rectum in oculis Domini, & non declinasse ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ*, subditur, *excepto sermone Uriæ Hethæi*: unde ista exprobratio 2. Reg. 12. *Ego unxi te in Regem super Israel, & ego erui te de manu Saul*, &c. *Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo.* De Ezechia mira prædicantur 4. Reg. 18. 19. & 20. Et 2. Paralip. capite 29. 30. 31. & de eodem tamen additur capite 32. *Sed non juxta beneficia quæ acceperat retribuit, quia elevatum est cor ejus, & facta est contra eum ira, & contra Judam, & Jerusalem.* Josiæ laudes sunt innumeræ in pluribus Scripturæ locis: tamen de illo dicitur 2. Paral. cap 35. *Non acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei*: unde ibid. dicũtur ejus opera prima, & novissima propter dissimilitudinem: itaque obiit in acie, atque Jeremiæ magnum luctus argumentum reliquit: ex quibus exemplis liquet paucos admodùm se ex toto Deo dedisse.

4. Ratio petitur ex qualitate Majestatis Divinæ quæ universitatem habet in omnibus Nam ejus potestas est omnipotentia; ejus scientia; thesauri omnes sapientiæ; ejus duratio, æternitas; extensio, immensitas; vita, immortalitas; perfectio, infinitas. Cur itaq; qui in omnibus est infinitus, in sola nostri possessione limitatus erit, atque finitus? Pudeat homines Deo limites ponere.

5. Ratio petitur ex imbecillitate nostra: Ut non diminuamus nostrum obsequium: nam quod velle possumus, quàm exiguum est? quòd si Isaias magnitudinem Dei contemplatus, & augustos orbis fines, sic discurrit cap. 40. *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt*: Chrysosto. expendens, post varias nationes enumeratas, subdit, die mihi quæso, quota pars es hujus guttulæ? Jam ex te si aliquid tibi reserves, quid tandem erit reliqui? Pudeat hominem tam exigui cordis, ut vix accipitrem pascere possit, de tantulo aliquid eximere. Quid dicam quod tam exiguo tempore sumus? Nascimur post æternitatem, & post tam multa sæcula:

sæcula : Tàm exiguo tempore sumus , eoque tempore, tàm multum decerpit infantia tàm multum necessitas. Vide quid superst: si excipis autem, quid Deo supereſt?

6. Ad id nos obligat quod petimus , & speramus à Deo quoad gratiam quidem , si Deus mihi daret tantùm gratias sufficientes, sed negaret efficaces , quid mihi prodesset? Si daret efficaces tempore pacis , sed non tempore tentationis ? Si ad faciles tentationes , sed non ad graves ? Si ad graves in vita, sed non in morte ? Si in morte quidem, sed tamen si negaret perseverantiam quid de me fieret? Iam quoad gloriam. Certè si cætera nobis daret, non se, non essemus contenti : & si unam in Trinitate personam videremus duabus aliis occultatis , nec sic nobis satis esset. Quid igitur nos dividimus in partes , ut nos Deo divisos offeramus? Tibi Deus diminutè datus non satisfacit, non si daret unius sui attributi possessionem , aliorum negaret; & vis Deum te dimidiato contentum esse: vide si in eo facto, sit æquitas, & justitia.

7. Gravissima planè injuria Deo irrogatur 1. ut aliquid cum Deo compares: 2. quod aliquâ ratione creaturam ei præponas: ac de prima injuria conqueritur Isai. 40. *Cui assimilastis me , & adæquastis , dicit Sanctus* : hoc autem fit in exceptione : 2. verò sic contingit , non quidem ut absolutè creaturam præferas Deo , uti fit in peccato mortali , quô anima faciliùs caret Deo , quam Creaturâ: sed quòd saltem creaturam præfert perfectioni possessioni illius, seu singulari ejus benevolentiæ , quæ res cedit in Dei contemptum. Adde quod homo eâ ratione existimet Deum sibi non sufficere illius rei loco quam excipit, cum tamen Deus per se suppleat defectum ejus rei quàm causâ ipsius deserimus.

8. Impossibiles nobis reddimus actus amoris & contritionis secundùm eam latitudinem secundùm quã fieri possunt, quoniam aliquid semper excipimus. In quam rem nota quædã esse quæ omninò amorem , & charitatem in Deũ perimunt, ut sunt peccata mortalia; quædam quæ fervorem imminuunt, ut sunt venialia; quædam quæ amorem indicant imperfectum ; unde existunt varij in amore gradus: sumus ille est, qui nihil omninò excipit, propter amplitudinem, & universalitatem.

9. Periculosissimus est ille status 1. Quia quod excipitur, potest esse in præcepto, vel propter se ipsum deinceps præcipiatur, vel propter aliquid ad quod erit necessarium: 2. Quia uti ponitur terminus ei voluntati quâ Deo vult anima gratificari; ita Deus ponit terminum gratijs quibus vult adjuvare. Id enim pertinet ad æquitatem justitiæ, ut ergo nos ita se gerat, uti nos erga illum : Itaq; multa denegat auxilia extraordinaria, ex quorũ denegatione sequitur damnatio. Eò pertinet quod dicit Psalmista, *cum bono bonus eris; & cum perverso, perverteris*, & illud justitiæ Divinæ planè convenit. Hinc autem sequitur plurimorum damnatio : nam cùm necessarijs tantum gratijs adjuventur, hoc est sufficientibus, meritò privantur efficacibus, cum quibus tamen solis obtinetur salus, sine quibus non obtinetur.

10. Status ille proxima est dispositio ad peccatum mortale: Vbi enim semel generale illud principium extinctum est , nihil esse Deo æquandum, nihil proponendum, neque ambigendum an aliquid ejus causa relinquẽdum sit; supereſt ut in particulari fiat comparatio creaturæ cum Deo : itaque si creaturæ simus addicti, si nostitillet, si placeat , si necessaria videatur , si affecti fuerimus, Deum facilè deseremus. 2. id potissimùm in nobis animadvertendum est ut nullum habitũ malè agẽdi contrahamus, qui ex mutatione tantũ subjecti, & materiæ nos in rem prohibitam & mortalem deducat : nam ex facilitate operandi in communi , facilè negligetur materiæ singularitas. Ita qui in re levi facilè menti-

tur id non ægrè faciet in re gravi. Ita qui creaturam Deo præfert in re aliquâ leviori, id facilè facit in re gravi. His rationibus sequentes considerationes subnecto.

1. Consideratio. Videndum quid sit illud quod excipimus, cum Deo tractando, quominus perfectè, & ex toto, ad eum pertineamus, sive illud extra nos sit, sive in nobis; sive ad corpus, sive ad animum pertineat: neque enim idem omnes excipiunt, sed aliqui plura, alij pauciora, aliquis fortasse unum aliquid: hic honorem, ille sanitatem: hic inimicitiarum condonationem, hic libertatem, aut aliquid aliud.

2. Consideratio. Vbi illud deprehenderimus, pensandum quàm sit illud exiguum: & quàm sit indecens, atque præposterum, ut propter illud, Deo non simus: & quo pudore in morte afficiemur, cùm illud objicietur nobis; eò usque à nobis Deum fuisse contemptum, ut illo potiùs carere elegerimus quam illâ Creaturâ.

3. Consideratio. Cùm illâ re nobis aliquando carendum sit, licet invitis, ac sine fructu, saltem in morte; nonne satiùs est nunc illud nostrâ sponte Deo offerre, & ex rebus omnibus perfectum simul holocaustum?

4. Consideratio. Ad Dei Providentiam pertinet ne illius rei possessio ipso invito, nobis sit aut facilis, aut jucunda, aut diuturna. Id quotidie experimur. Hinc existunt in amicitijs, ac familiaritatibus innumeræ perfidiæ: hinc casus multiplices accidunt, Deo pervim faciente quod nos sponte facere recusamus.

5. Consideratio. Rem illam componendam esse cum Deo, ac videndum, nùm Deus illius defectum per se supplere possit. Hæc comparatio duobus modis fieri potest vel absolutè, & universaliter: & ita dubitare nemo potest nullam creaturam ullo modo Deum æquare posse, sed neque etiam cum eo componi, & comparari propter infinitam distantiam: quæ enim sic distant comparabilia non sunt. Vel singulariter & in quodam genere institui potest comparatio, & in eâ nemo est qui dubitet quin Deus vincat. Nam

Nota 1. Omnia in Deo præexistere, quæ sunt in Creaturis siquidem ut ait Dionysius, Deus est causa omnium universalissima omnia in se præhabens, & anticipans: unde creaturæ sunt tantùm Divinæ naturæ participationes, & quidam quasi defluxus ἀπορροίας vocat Trismegistus.

Nota 2. Perfectiones omnium Creaturarum ita in Deo præexistere ut in ipso sint perfectiores quàm in ipsis Creaturis, sive in Deo contineantur eminenter, sive formaliter, etenim in Deo originaliter continentur: ad hæc secundùm omnem gradum, denique substantialiter, & diverso in ordine. Hinc itaque vide an non jure dixerim, Deum ejus creaturæ, quam ipsius gratiâ deseris, defectum supplere: præsertim cùm in eâ re duo spectari possint, ipsa rei perfectio, & perfectionis participabilitas: jam verò perfectio semper in Deo sit major, ipsa quoque participabilitas longè plenior: nulla enim substantia participari propriè potest nisi Deus cui convenit illud τὸ μετεκτὸν, ut ait Didymus hoc est participabile. Vide itaque an non Deus tibi esse possit loco honoris, loco libertatis, loco divitiarum, loco scientiæ, loco amici, loco voluptatis.

6. Consideratio. Nos carere Deo sub eo titulo in quo creatura habet aliquam perfectionem. Adverte Divinam Essentiam esse infinitè perfectam, illam autem infinitatem explicari optimè per gradus infinitos virtuales. 2. item per infinitas participabilitates; unde existunt infinitæ creaturæ possibiles perfectiores in infinitum, instar numerorum qui sese invicem singularibus excedunt unitatibus. 3. Per infinitas visiones alias alijs perfectiores, unde varij beatitudinis gradus,

das ; propter varias visiones quæ semper ad aliquid in Deo terminantur: 4. per diversas possessiones illiùs essentiæ quæ diversis titulis possidetur à singulis beatis, sub quibus ab aliis non possidetur: Hinc fit ut Virgines Deum sub titulo Sponsi possideant, quod nō facient, quæ matrimonio junctæ fuerint: Ita qui propter Deum regno se abdicarit, Deum instar regni, & coronæ possidebit; Ita qui propter Deum opibus renuntiarit, is Deum possidebit sub titulo divitiarum: & ita in reliquis. Hinc facile intelligitur quod à me dictū est, eum qui aliquid propter Deum deserere noluerit, Deum amittere sub eo titulo, itaque minus possidere, cùm sub eo titulo non possideat: in quo enim magnam facit jacturam? Etenim Deus pulchrior est pulchris, dulcior dulcibus, ditior divitibus, & in universum major est peculiari dignitate, quàm res illæ quibus carere nolumus; unde qui rebus omnibus propter Deum caruerit, omnia in Deo habebit, experieturque quod ait Apost. de Deo in Beatis *esse omnia* in omnibus: adeò ut in æternum dicere possit, Deus mihi loco voluptatum, loco libertatis, loco honoris, loco amicorum, loco parentum, loco scientiæ, Deus meus, & omnia. O quæ felicitas! &c. Profectò ille nimis avarus est, cui Deus non sufficit. S. Cyprianus Serm. de Ascens. Sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus in hac vitâ sufficiat, & in æternâ sufficiet. Amen.

FERIA SEXTA
DOMINICÆ TERTIÆ
IN QUADRAGESIMA.

CONCIO TERTIA.

De adoratione Dei in veritate.

Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Joan. 4.

RECTE advertit S. Chrysost, eam esse differentiam inter res spiritales & corporeas, ut rerum corporearum pars non sit æqualis toti, spiritalium autem pars toti sit æqualis. Hesternæ itaque mensæ reliquias vobis (ait) apponimus, sed videte ne contemnatis, quia reliquias diximus nam non sunt minores toto. Id videmus in hodierno convivio, nam quod proponitur initio, quinque sunt panes, quod post

convivium colligitur sunt duodecim cophini. Date id mihi, Auditores, ut quod S. Ille Ecclesiæ Græcæ Doctor suis ajebat, idem ego vobis hodie aut simile quid usurpem. Meministis quid nuper vobis proposuerim, ex quo tanquam cõvivio cùm mihi plurimùm restet, id vobis hodie appono: in quo nihil minus contineri videbitis, quam in primo sermone. Sed sicut in primâ parte necessaria nobis fuit gratia, sic & in istâ ut solemus, noster recursus ad B. Virginem existit. AVE MARIA.

MVLTA sunt ob quæ humana hæc vita theatralis actio videtur; sed ob illud maximè, quod igitur qui agunt in theatris, personati agunt, unde actores personæ dicuntur, omnes enim sunt simulato habitu, aliud quippè præ se ferunt, aliud occultant, & tantùm post scenam persona deponitur: Ita in hâc vitâ nihil minus sunt homines quàm quod apparent, ac ferè persona & simulatio non nisi in morte deponitur. Quod cùm in omnibus verissimum sit, certè maximè in virtute, modoque serviendi Deo: de quo fuit Samaritanæ interrogatio, cùm à Christo quæsivit, quæ tandem verâ esset religio, Iudæorumve an Samaritanorum, an in monte Garisim facienda esset adoratio, an vecò Ierosolymis. Scitis quid responderit Christus: venturum illud tempus quo utraque religio esset abolenda: Deum quippe qui Spiritus est, in spiritu & veritate adorari oportere. Quid sit adorari in spiritu ostendimus, superest ut de oratione in veritate dicamus.

Sicut nuper diximus, Spiritum opponi corpori, ita veritatem dico opponi mendacio: & sicut cultus in spiritu, est qui habet illimitationem, cùm corpus spiritui oppositum limitationem habeat; ita adorare in veritate, quod omne mendacium excludit, dico esse eo cultu adorare qui omnem fictionem excludat & omnem hypocrisim: & si quidem fuerit in doctrinâ & significatione, omnem umbram & figuram; si in moribus, omnem simulationem. Porrò cum hypocrises aliæ sint crassiores, aliæ vero subtiliores ac magis delicatæ, ex earum enumeratione facilè patebit, paucos esse admodùm qui ab omni specie hypocrisis, sint liberi, & qui possint jactare se verè Deo servire in Spiritu & veritate: *Ego dixi, in excessu meo omnis homo mendax.* De crassioribus tantùm hodie dicturi sumus de quibus Christus Scribas & Pharisæos passim insimulavit; sed præcipuè in cap. 23. Matth. unde omnia petemus.

I. Itaque crassioris hypocrisis genus est, eorum hominum, qui vanitate agunt omnia, nihilque in actionibus suis nisi gloriam & approbationem hominum quærunt, secundùm illud Matth. 23. *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Quod ex rebus omnibus gloriam quærerent, id probat duobus rerum minimarum exemplis, scilicet phylacteriorum, & fimbriarum, quasi velit, ex rebus minimis, maximas intelligi: Nam qui in fimbriis & phylacteriis gloriam captabant, quid in rebus majoribus facturi erant? Significat itaque nullam captandæ gloriæ occasionem eos præterijsse: Ita enim ostendebant se esse observatores legis exactissimos ex iis rebus quas adhibebant ad legis memoriam sibi refricandam; nam phylacteria sunt membranæ in quibus legum capita scribebantur; illa autem habebant ampliſſima, tùm ut plura scribi possent, tum ut longiùs viderentur: fimbriæ autem in imâ veste erant & illas habebant longiores ut longiùs apparerent.

Certè ejusmodi homines imitantur Gentiles qui pro Deo creaturas adorarunt, secundùm illud Apostoli Rom. 1. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentium*; quod faciunt qui operibus bonis externis vanam gloriam quæ-

quærunt: Etenim homines habent & eorum existimationem ac gloriam pro Deo, cùm eadem præstent pro hominibus, quæ pro Deo præstarent: nam pro Deo quid facerent ampliùs? Item quòd quibus operibus hominum gratiam emunt, & laudes, ijsdem possent emere vitam æternam: cùm enim nullum sit opus bonum vel exiguum, quod gloriam æternam mereri non possit, quoniam omne opus bonum originem habet à gratiâ, illa autem est semen gloriæ æternæ, sequitur eum, qui illis operibus aucupatur gloriam humanam, atque mortalem, similem esse illis Idololatris de quibus Scriptura, *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*, Etenim gloriam humanam præoptarunt super gloriam cœlestem: illa autem est possessio Dei, unde dicit eis Christus. *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Et sicut in Scripturâ Idololatria passim exprimitur per fornicationem & adulterium, quod sæpe repetitur in cap. 16. Ezech. *Fornicata es cum filijs Ægypti, & multiplicasti fornicationes tuas*, & multa alia similia: unde idola vocantur amatores, & adulteri: cujus rei rationem reddit Augustinus de Civit. Dei cap. 25. his verbis: Fornicatur qui se pluribus addicit, itaque si anima Deo relicto cui per indissolubile pactum erat conjuncta, ad deorum multitudinem se convertit, fornicari dicitur, &c. Ita qui Deo relicto cui uni placere debet, quique solus veram gloriam dare potest, ad homines se diffundit, ut ab eis gloriam accipiat, ille fornicatur: etenim pluribus se addicit. Adde quòd gloria non oritur ab homine, nisi spuria & falsa, itaque non oritur ex illo per legitimum matrimonium, sed per adulterium & fornicationem: verùm à Deo ut à vero principio. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Item, *& tunc laus erit unicuique à Deo.* Vnde David Psal. 72. *Perdidisti omnes qui fornicantur abste: mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Ratio fundamentalis est, Quia gloria oritur propriè ex bonâ actione, illa autem originem habet & à voluntate, sed potissimùm à gratiâ, quia voluntas per gratiam fit potens, unde merita nostra dona sunt Dei, ut ait Augustinus, cùm Deus dat mercedem operibus nostris, verè coronat dona sua, itaque dat gratiam pro gratiâ: gloria igitur oritur ex vero matrimonio creatoris & creaturæ, hoc est ex conjunctione gratiæ & libertatis: sed qui gloriam vanam quærit, illam ex se ipso quærit, ac suis factis, unde rectè dicitur in cap. 16. Ezech. *Habens fiduciam in pulchritudine tuâ, fornicata es in nomine tuo, & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres:* ut adultera abjecto nomine mariti quô anteà vocabatur, omnibus passim se prostituit, ut non jam ad maritum sed ad obvios quosque pertineat: ita homo gloriæ appetens, illô abjectô cui soli placere debuerat, obvio cuique se prostituit: *perdidisti omnes qui fornicantur abs te: mihi autem adhærere Deo bonum est.* Quia cum ex Augustino libro 2. de Serm. Domini in Monte cap. 30. hypocritæ tegant sub personâ quod sunt, & ostendant in personâ quod non sunt, in illis qui tantum gloriam quærunt, conjunguntur dissimulatio & simulatio, in quibus duobus constat vera ratio hypocrisis: etenim occultant bonis operibus, & quasi sub personâ boni veri, aut vacuitatem & egestatem virtutis, aut turpem & sceleratam vitam; & in hoc est dissimulatio: quia verò id faciunt obtentu bonarũ actionum, in hoc est simulatio. Horum autem hominũ quidã magis dissimulant, alij verò plus simulant: quidã enim plus cavent ut nõ videantur quod sunt, alij vero plus amant ut reputentur quod non sunt: utrique autem id faciunt honoris causâ oculis hominũ servientes: sed qui dissimulant plùs fugiunt dedecus quàm laudem sequuntur, qui verò simulant plùs ambiunt honorem:

rem : itaque primi oculos hominum magis metuunt; alii autem plùs quærunt: utriq; tamen, & in malis metuunt, & in speciosis quærunt, vilia gloriæ mancipia. Proinde semper est hypocrisi adjūcta vanitas, & gloriæ studium, quæ omnia Christus in Pharisæis reprehendit, in quibus dissimulatio certabat cum simulatione, & vanitas atque ambitio cum hypocrisi.

Nam ut ab ultimo incipiam, sic eos Christus exagitat Matth. 23. *Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias*: hoc de ambitione: quod sequitur, ad hypocrisim pertinet. *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapinâ & immunditia*: Jam verò quod in illis maxima esset tùm simulatio illud ostendit, quod & plurima bona præ se ferrent, nam & jejunabant & orationes longas fundebant, & eleemosynas faciebant, & exactè decimas solvebant & fimbrias gestabant in vestibus, & phylacteria dilatabant, & munditiem sectabantur & pallorem in vultu ostentabant, quæ omnia pertinent ad simulationem: cùm tamen per dissimulationem occultarent rapinas, & immunditias suas, & virtutis veræ inanitatem; unde Christus eos comparat sepulchris dealbatis. *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intùs vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ, sic & vos aforis quidem paretis hominibus justis: intus autē pleni estis hypocrisi & iniquitate.* S. Basil. in illa verba Isaiæ 1. *Eritis ut terebinthus decidentibus foliis*, comparat hypocritam quercui quæ ramos habet tortuosos, & corticem rugosum & turpem, folia quæ operiunt pulchra: Greg. Naz. or. de funere Patris, confert cum mulierculis, quæ cùm naturali carent pulchritudine fuco se adornant: Et in carmine de virtute humanâ, comparat navi pictæ & miniatæ, sed clavis non compactæ, quæ in mediis fluctibus fatiscit.

Sicut itaque Lex Iudaica tota fuit in umbris, & figuris, non autem in rerum veritate secundùm illud Apostoli, Hebr. 10. *Vmbram enim habet lex futurorū bonorum, non ipsam imaginem rerum*: Imaginem dixit pro specie: ait enim Paulus 2. Cor. 5. *Per fidem enim ambulamus & non per speciem*: & propterea quæ in lege erant vocavit 4. ad Galat. *Infirma, & egena elementa*, alii, vacua & inania: Ita multi simulacrum habent virtutis, non ipsam virtutem. Id Christus exprobrat Pharisæis Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: Quia comeditis domos viduarum orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium.* Id est majorem condemnationem, & quòd viduas vexarent, quas juvare debuissent, & quod specie sanctitatis: Item illis exprobrat quòd *circuirent mare & aridam, ut unum facerent proselytum, & eum facerent filium gehennæ duplo, quàm ipsi essent*, quia scilicet semper est in pejus malorum imitatio, dùm ad acceptum malitiam ab alio, unusquisque suam adjungit: Hæc autem omnia, longas orationes facere, quærere proselytum, & multa alia quæ enumerat, speciem tantùm habent probitatis, cùm tamen ipsi non modo inde non meliores existerent, sed etiam pejores, in quo est hypocrisis quod illâ specie probitatis tegerent virtutis inopiam.

Verùm si Iudæi speciem tantùm habebant inanem, & umbratilem, pejores erant Pagani, qui suis ceremoniis horrenda tegebant scelera, resque valdè turpes: Ita illa hypocrisis longè est deterior, quæ speciosis & apparentibus actionibus magna scelera tegit. Id verò Christus illis exprobrat, Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis*, &c.

Aliud igitur est speciem virtutis habere, aliud

liud verâm virtutem. Certè maxima hominum pars speciem tantùm illius sequitur, non autem veritatem: cujus rei argumentum est, quòd adhæreant magis ejus speciei, quàm illi ipsi. Hinc studium quorumdam operum, quæ plus habent splendoris quàm soliditatis. Nemo itaque sibi blandiatur, nemo se decipiat. Non est ea virtus quæ tantùm apparet, sed quę vera existit.

II. Species hypocrisis non longè à priori dissimilis est, cùm quis solis externis est contentus, nec curat interiora; in eo tamen differt à priori specie, quòd illa alios respiciat potissimùm, hæc autem unumquemque in seipso: per primam alios decipimus, per hanc nos ipsos: per illam, aliis falsò videmur boni, per hanc, falsò nobis videmur probi. Quemadmodum igitur Lex Iudaica fuit tantùm in externis cæremoniis & corporalibus, secundùm illud Apostoli Heb. 9. *Quæ parabola est temporis instantis: juxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & justitiis carnis, usq; ad tempus correctionis impositis*: (Vocat tempus correctionis, seu emendationis novã legem, seu Christi adventum; qui aliam legem attulit spiritualem:) Ita quidam ponũt omnia in exterioribus, non curantes id quod interius est: quod item in Pharisæis Christus damnavit illis verbis suprà allatis: *Mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis*: &c.

Hujus autem erroris fundamentum est, quòd nihil magni faciant nisi externa, atque hominum instar judicent; homo autem in faciem judicat, Deus verò intuetur cor: quod provenit partim ex hominum ignorantiâ partim etiam ex imbecillitate; ex ignorantiâ quidem, quòd putent nihil esse imperatum præter actus externos; ex imbecillitate autem, quòd existiment impossibilé esse internã illam affectuum & cogitationum sanctitatem.

1. Refutatio, Quia præcepta non sunt tantum de externis, sed maximè de internis; unde *tuum*: *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros*, &c.

2. Refutatio inest in ratione Christi, Luc. 11. *Vos Pharisæi quod deforis est calicis, & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapinâ & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod de intus est fecit?* Itaque non solum externa debemus Deo, sed etiam interna. Et Deus tam interna quàm externa conspicit. Ad hæc si hominibus debemus externa, debemus Deo, & externum, & internum, quoniam utriusque est conditor & cognitor: Et huc valere etiam potest illud Augustini, Deo debes conscientiam tuam, famam proximo.

3. Refutatio est, Quia sanctitas inest formaliter & internè in actionibus internis: externè autem in externis, & per derivationem ab internis: unde Christus ad Pharisæos Mat. 23. *Pharisæe cæce, munda priùs quod intus est calicis, & paropsidis, ut fiat id quod deforis est mundum*: Adverte itaque aliud esse loqui de bonitate vel malitiâ objectivâ, aliud de formali: Objectiva potest esse in actibus externis, sed formalis est in internis.

4. Refutatio, Quia maxima pars sanctitatis est in actionibus internis: quod patet ex inæquali sanctitate, quæ non est ratione externarum actionum, quoniam eædem sunt, igitur ratione internarum: Et in eo fundatur, quòd prohibemur *judicare donec veniat qui illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo*.

Hinc commendatur Christianis esse internum, & docemur minimam partem esse actiones externas, ac super omnia attendendas esse internas affectiones: Ita præcipuum studium in nobis esse debere cogitationum, affectuum, intentionum, & rerum internarum.

Hinc reproba a fermè hominum judicia; & quæ in speciem optima esse videbantur, à Deo rejecta sunt, secundum illud 1. Reg. capite 16. *Nec juxta intuitum hominis ego judico, homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.*

III. Species hypocrisis in eo consistit quòd quis partem tantum justitiæ cõsectetur, atque ex parte se justum putet, etiamsi alias justitiæ partes contemnat: cum tamen vera justitia postulet ut nulla pars justitiæ prætermittatur, bonum enim ex integra causa: Itaque Christus Matth. 5. *Dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iratscitur fratri suo, reus erit judicio*: &c. Item *dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis quia omnis qui viderit mulierẽ ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo, &c.* Dictum est antiquis, *Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, Non jurare omnino*: &c. *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, &c. dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo*: &c. *Audistis quia dictum est, Diliges proximũ tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Et hæc hypocrisis opponitur integritati & perfectioni virtutis, quæ postulat ut non solùm quædã fiant, sed etiam ut nihil omittatur, unde Christus Mat. 23. *Hæc oportuit facere, & illa nõ omittere*: Qua in re multi decipiuntur existimantes se justos esse, quoniam multa observant, cùm vel unius partis omissio sufficiens sit, ut aliquis damnetur: unde Christus voluit legem adimplere, *Jota unũ, aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.*

IV. Species hypocrisis est Minutorum quorundam observationem jactare, & tamen summa, atque maxima negligere: nam ex minimarum rerum observatione, haberi volunt in majoribus observantissimi. Ad hæc, cùm omnes ad majora teneantur, non magnum est si illa observentur, sed cùm ea quæ pertinent ad consilia à paucis observentur, quiea observant habentur in honore: Et ideò hypocritæ solent ista quæ laudem afferunt cõsectari, alia verò prætermittere. Id quoq; Christus exprobrat Pharisæis Mat. 23. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicunque juraverit per tẽplum, nihil est; qui autem juraverit in auro templi, debet: Stulti & cæci, quid enim majus est aurũ, an templum, quod sanctificat aurum? Et quicunq; juraverit in altari nihil est, qui autem juraverit in dono, quod est super illud, debet. Cæci: quid enim majus est donũ, an altera quod sanctificat donũ? Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt: & quicunque juraverit in templo, jurat in illo & in eo qui habitat in eo: & qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.*

Eosdem vocat hypocritas Luc. 12. qui observarent tempus, atque inde prudentiæ laudem quærerent, cùm tamen non observarent adventum Christi, quod tantoperè referebat; *Hypocritæ faciem cœli, & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem, & à vobis ipsis non judicatis quod justum est?* Quàm multos Pharisæis similes videmus, qui difficiles videntur in rebus nihili, & in maioribus sunt liberrimi, *Duces cæci*, Matth 23. *excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Sed nimirum, *mendaces filij hominum in stateris*: Atque hæc hypocrisis prudentiæ opponitur, quæ ordinem ponit inter res: unde Christus illis: *Non judicatis quod justum est*; ut sciant homines quæ potissimũ sunt observanda, quæ prius deferenda; item in quibus potius desudãdũ, & quæ sũt pluris faciẽda.

1. Enim quædam sunt præcepti, alia sunt consilii; prima non potes omittere, se-

cunda

secundâ potes. In iis quæ præcepta sunt, vide in primis â quo sint præcepta, uti Actor. 5. Petrus & Apostoli dixerunt Sacerdotibus *obedire oportere Deo magis quàm hominibus.* Deinde in iis quæ præcepta sunt, vide quid potissimum fieri voluerit Legislator, quod colligere potes, vel ex verbis legis, vel ex pœnâ quam statuit, vel ex iteratione præcepti, vel ex rei ipsius naturâ: Ita quæ Deum spectant sunt majora, quam quæ homines: Ita blasphemia maius est peccatum quocũq; homicidio, aut adulterio, &c.

2. Quædam habent rationem finis, alia verò mediorum: Quæ habẽt rationem medii, comparari debent in ordine ad finem, & in ordine ad usum: non igitur existimatio & judicium peti debet ex communi hominum opinione, falsissimâ regulâ; neque ex eo quod majorem parit laudem: sed vel ex universalitate, quâ ex causâ Apostolus pietatem laudat, *quæ ad omnia utilis est*, cum tamen *corporalis exercitatio ad modicum valeat*: vel ex comparatione inter se, cum unum habet rationem finis, aliud rationem medii: Inter media, si unum sit internum medium, aliud verò externum: uti actiones virtutum, sunt media interna, austeritates autem sunt media externa, prædicatio & similia: Item haberi debet ratio principalis finis, nõ autẽ subalternorum, & ita gloria Dei plus spectari debet, vel etiam salus æterna: Item habere oportet rationem ejus qui utitur mediis, nam omnia media non omnibus conveniunt, sunt enim bona non simpliciter, sed secundum quid, & per comparationem, unde ea præferre oportet aliis quæ singulis conveniunt.

V. Species præcedenti affinis est quando observatione rerum quæ non præcipiuntur, negligitur rerum majorum & præceptarum vel contẽptus, vel omissio. Id Christus exprobrat Pharisæis Mat. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem; hæc oportuit facere & illa non omittere: Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes:* In eo verò est hypocrisis quòd qui videbantur studiosi rerum non præceptarum, viderentur multò magis studiosi esse rerum mandatarum, quod tamen non faciebant, unde erat mera hypocrisis: itaque non fuit hoc studium laudabile, sed majoris impietatis tegumẽtum execrabile, quod inter multos homines familiare est.

VI. Species hypocrisis, Cum id maxime occultum est quod maximè volunt hypocritæ, secundum illud Matth. 23. *Væ vobis*, &c. *qui ædificatis sepulchra Prophetarum & ornatis monumenta justorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram Patrum vestrorum*, sed habet aliquid expressius S. Lucas c. 11. *Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum: Patres autem vestri occiderunt illos. Profectò testificamini quod cõsentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidẽ eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Locus planè difficilis, unde varias habet expositiones: Illud enim est difficile quod Christus ait Iudæos ædificantes sepulchra Prophetis, consentire homicidio Patrum suorum: *Profectò testificamini quod consentitis operibus Patrum vestrorum sed vult dicere.* Quicquid demum curæ ponatis in sarciendâ injuria quam parentes vestri Prophetis fecerint eos trucidando, criminis illorũ participes vos constituitis, magnifica iis monumenta & sepulchra extruẽdo, quasi sufficeret illud ad compensandum quod accepere, esseteq; licitum interficere, modò postea opulenta splendidaque monumenta ædificentur; perinde ac si satisfactio damnum repararet: sicut illi docebant liberos, posse ab iis

parentes suos contemni, dummodò Sacerdotibus & templo largitionem facerent Matth. 15. *Vos dicitis quicunque dixerit Patri, vel Matri: munus quodcunque est ex me, tibi proderit: & nõ honorificabit Patrem suum, aut matrẽ suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Vide hypocrisim, quod specie pietatis tegerent magna crimina. Itaq; Judæi hac ratione reos se effecerunt homicidii Patrum suorum. Illud enim cùm improbare debuissent, conari sunt excusare ac obtegere frigidâ hac ineptaque defensione, quod ædificassent monumenta iis quos ipsorũ parentes neci dederant. Quid dicam de iis qui postquam parentes occiderunt, putant se justâ purgatione defensos, quia conservant bona libris, quos fecerunt orbos, dupliciter improbi, crimine scilicet ac simulatione?

Toletus aliter exponit, & sic ostendit Hypocrisim. Videbantur Iudæi suos Parentes reprehendere quod injustè occidissent Prophetas, sed reipsa imitari volebant: nam ex studio ædificandi sepulchra, videbantur coarguere facta majorum, & ex hac reprehensione opinionem justitiæ quærere, ex quo fidebat, ut cùm Christum, & eius discipulos persequerentur, non id injustè facere viderentur, sed justitiæ zelo, ut nemo crederet illum esse Prophetam, neque illos justos, quos ipsi tam acriter persequerentur: non enim illam injustitiam erant illi facturi, qui hoc factum in majoribus reprehenderent, & se ita religiosos, & benè affectos ostenderent in Prophetas, quibus etiam sepulchra ædificarent: consentire itaque videbantur Patrum suorum operibus seu homicidiis, cùm illis uterentur, fingentes per eiusmodi ædificia se abhorrere ab illorum peccato, ut impunè possent Christum persequi, quod hactenus non potuerant propter metum populi, qui eum ut Prophetam habebat Planior fortasse erit sensus horum verborum si dicamus illis significari Iudæorum hypocrisim, itaque aliud in speciem ostendisse Iudæos, aliud de facto intendisse. Nam in speciem videbantur damnare mortem Prophetarum, & factum parentum suorum, de facto autem publico opere significare volebant, cùm eorum Patres Prophetas occidissent, quod isti contra eos niminis liberè locuti essent, se idem facturos esse contra eos qui eandem loquendi libertatem sequerentur. Itaq; ipse sibi caveret, & ejus discipuli, unde subdit Christus. *Implete mensuram Patrũ vestrorum*: quod fecerunt, cùm Christum & Apostolos peremerunt.

Porrò in illis omnibus hoc reperitur, quod non concorde cor cum lingua, nec lingua, cũ manu: id est nec sensus cum doctrinâ, nec doctrina cum vitâ. Vide Christus: *Quæcunque dixerint vobis, servate, & facite: secundum opera vero eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.* Atque hæ omnes fictiones quamvis sint crassiores, sunt tamen valde communes, & maximam vitæ hominum partem occupant

Quæ cùm ita sint, hoc unum ex hoc discursu colligere possumus paucos esse qui Deo serviant in Spiritu, & veritate. Omnia fucata sunt & ficta, Isa. 59. *Facta est veritas in oblivionem.* Quanta erit confusio multorum in Iudicio, cũ *Deus illuminabit abscondita tenebrarum*, &c. *cum laus erit unicuique à Deo.* Nam *in fine hominis denudatio operum illius.* Tunc accidet quod ait Iob. cap. 15. *Congregatio hypocrita sterilis*, quos enim collegerit ad suas laudes, nihil ipsi proderunt: Vnde subdit. *Et ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt:* Ille, inquam, ignis de quo Apostolus ait 1. Cor. 3. *Vnius cujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur*: Quàm illud

illud grave, quòd omnis vita tot laboribus exercitata maneat sine mercede; nam ut ait Christus, *acceperunt mercedem suam* nempe quam quæsierunt, quam optarunt: Sed quàm illud gravius, ut pœnam pro mercede accipiãt Iob. c. 36. *Simulatores & callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effœminatos.* Quia scilicet nihil virile habuerunt. Itaq; de uno ex illis dicit. *Non ei placebit vecordia sua* cap. 8. Quæ enim major stultitia: Quia, uti explicat Greg. Cum retributionis tempus advenerit, in pœnâ displicet quod vecors fuit. Tunc se stultè egisse intelligit, cum pro delectatione laudis sententiam Divinæ correptionis acceperit. Tunc se vecordem fuisse considerat cum se pro temporali quam percepit gloriâ, perpetua tormenta castigant. Quantus ex adverso honor cum bona opera occulta in omnium hominum, & Angelorum conspectu revelabuntur? Itaq; cogita cui servias? Deo sanè uni? Quid ei placeat? cor. Quid à te petat? Veritatem & sinceritatem. Quid pollicetur? Cœlum & seipsum. Hæc cogita & sæpe ista revolve. *Et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Qui videt: Si reddet ab hominibus videri cupis, reddent ipsi: Si Deum unum cupis spectatorem, ipse reddet. Qui illi reddent? vanitatem? Quid iste? reddet Cœlum. Tu elige quid vis, quid malis, *Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Deo spem meam. Pars mea DEVS in æternum.* Amen.

FERIA SEXTA

DOMINICÆ TERTIÆ
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO QVARTA.

Quid sit adorare Deum in veritate, exclusâ omni, etiam subtilissimâ hypocrisi.

Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate. Ioan. 4.

QUIS explicet cujus generis sit ille excessus quo abreptus David omnes homines pronuntiavit esse Prophetæ mendaces fuêre. Ita ut quomẽdaces? Ps. 115. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax*: Si enim omnis homo mendax, igitur omnes Sancti, omnes rumdam paralogismum refert Sanctus Basilius,

filius, & tu quoque ô David mendax es ? numigitur tibi fides habenda ? ac vide etiam, ne in eo quoque mentiaris, dum omnes homines pronuntias esse mendaces. Memini hac occasione quarumdam propositionum, quas Philosophi appellant, seipsas destruentes, de quibus Aristoteles in Metaphycis : uti est ista : omnis propositio falsa est, aut omnis propositio vera, nam si omnis est falsa, & ipsa quoque falsa est: si omnis vera, itaque vera erit ejus contraria. At verò quia in excessu hoc dixisti fortè per excessum locutus es, & ut plurimos diceres, omnes dixisti ? An verò teipsum superasti, ut etiam de teipso vere aliquid diceres, in excessu tuo ? Sanctus Basilius illum excessum explicat Davidis contemplationem, in quâ omnes homines intuitus, pronuntiavit omnes esse obnoxios errori, & si loquantur, mendacio, si de rebus quæ solâ fide sciuntur, pronuntiare audeant: ait itaque David, *Credidi, propter quod & locutus sum*, id est in rebus fidei oportet priùs credere, deinde loqui: cùm enim in præcedenti Psalmo locutus fuisset de alterius vitæ beatitudine, in sequenti ait, se quæ dixerat fide credidisse: ejusmodi enim res tantùm per fidem percipiuntur : *Ego autem humiliatus sum nimis* : nisi enim quis mentem subjecerit in obsequium fidei, nihil poterit earum rerum comprehendere : Tùm subdit, *Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax*, id est neque id solùm mihi evenit, sed omnibus etiam mortalibus: nam omnes contemplatus, & hic est excessus, nullum vidi posse veritatem per se apprehendere, sed dirigi debere à fide, tùm loqui. Idem ibidem per excessum intelligit illam extasim in quâ apparuit coram Rege Achis, quasi correptus morbo comitiali, & furens : ubi enim vidit se eò necessitatis venisse, ut mentiri cogeretur, quo vitæ suæ consuleret, tùm apud se reputans dixit, quidquid homines faciant, vix fieri potest ut evitent fictionem, & mentiendi necessitatem: nam licet ex destinato non mentirer, tamen ut mentiret coactus sum. S. Chrysost. illum excessum, atq; extasim interpretatur somnum; sic enim multi interpretantur soporem Adamo immissum, fuisse extasim: ille autem Davidis somnus, ortus est ex summo ejus dolore, & afflictione : talis somnus fuit Ionæ Prophetæ, ut scripsit Albertus Magnus: priùs enim dixerat David, *ego autem humiliatus sum nimis*: hinc verò cœpit considerare vilitatem suæ naturæ, quam vocat mendacium, umbram, imaginem, somnium: Ita passim Sancti Patres interpretantur: dico sensum meum.

Cæterum si David de virtute veracitatis loquitur ideò omnes homines appellat mendaces, non quòd omnes, vel semper, vel aliquando mentiantur, sed quòd omnes mentiri possint, neque sint veritatis infallibilis, & indubitatæ. Verior itaque sensus apparet, Prophetam, cum in superiore Psalmo de regione vivorum esset locutus, in sequenti hæc addere, quæcunque igitur ab hominibus dicuntur de præsentis vitæ fœlicitate, mera sunt mendacia.

Quod si rem in universum definire velimus, describit Propheta communem hominum vitam fallacem ac mendacem, quæ nihil in se minus habeat, quàm quod in speciem ostendit; atq; in universum homines esse hypocritas, ac ferè omnes in aliâ specie apparere, paucos in suâ: quod ego in priori concione satis ostendi, in qua varias hypocrisis species exposui; ut probarem paucos admodum esse qui serviant Deo in veritate, tàm multæ sunt hominum fictiones in serviendo Deo. Sed quia ex fictionibus, aliæ crassiores sunt, aliæ subtiliores ; cum de primis satis superque à nobis dictum sit, sequitur ut de aliis à nobis dicatur, à quibus vix etiam spiritales homines sunt immunes. Certè paucorũ virtus deprehendetur pura,

pura, atque syncera, & libera ab omni fictione, atque hypocrisi, ut ex dicendis intelligetur; si priùs Beatissimam Virginem salutaverimus, AVE MARIA.

BEATVS Franciscus Salesius scripto mandavit, se cùm Romæ esset, tempore illius morbi quo Clemens VIII. interijt, audivisse eum ita venenosum à medicis judicatum fuisse, ut necesse fuerit ad Bazardicum lapidem (vulgo Bezoard) confugere. Quæsitus igitur est undecunque sincerus purusque, ac certò probatus: sed è magnâ quæ oblata est copiâ, unum tantummodo frustum medici comperere verum legitimumque itáque reliquum omne rejectum est, ut confictum & adulteratum. O quot ejusmodi virtutes deprehendendæ sunt, ubi Deus *manifestabit consilia cordium*, tenebrasque nostras illuminabit! usque adeò verum est, exiguam esse certitudinem veritatis ac soliditatis, inter mortales, eorumque virtutem nihil præter exteriorem speciem habere; ac nimio plus legitimam esse conquestionem Isaiæ c. 59. *Facta est veritas in oblivionem.* & Psal. 11. *Defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum*: Vnde justa multorum oratio esse solet: utinam abjectâ omni hypocrisi veras virtutes ac non fictas habeam? Ego eos in verâ solitudine, & simplicitate consistere puto.

I. Igitur hypocrisis ex subtilioribus quæ mihi occurrit, est cùm actio virtutis non inchoatur à vanâ gloriâ, tunc enim crassa esset hypocrisis, nam tota actio esset corrupta, nempe vel à suo fine, vel à suo principio, eaque actio non foret actio virtutis, sed mera esset species & larva virtutis; sed quando vana gloria virtutis actioni se se paulatim immiscet in progressu. Uti enim difficile est in Sole ambulare & umbram non facere, ita difficile est benè agere, quin se se rei seriæ admisceat vanitas. Item sæpe numero Dæmon pyratas imitatur, qui naves à portu solventes non adoriuntur, quin & cautiores sunt, & ad certandum magis paratæ, & adhuc vacuæ, sed potiùs cum redeunt mercibus onustæ: Ita Dæmon sinit inchoari actionem, sed eam in progressu, & properantem ad finem insequitur. Hoc de seipso fatetur Gregorius Magnus in suis in Jobum Moralibus, nam operi suo finem imponens, fatetur quidem se ad hoc opus suscipiendum non aliâ re commotum, quam Deo placendi studio, sed eidem intentioni (inquit) quâ Deo placere studeo, furtim se nescio quo modo intentio humanæ laudis interserit, &c. Sic etenim ait sæpè intentionem nostram, dùm ante Dei oculos rectè suscipitur, occultè sibi subjuncta, & eam velut in itinere comprehendens, intentio humanæ laudis assequitur, sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu, dum furtim gula subrepit, delectatio permiscetur: unde plerumque contingit, ut refectionem corporis, quam salutis causa cœpimus, causa voluptatis expleamus: &c. Hæc ille. Si autem de his divinitùs districtè discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra, pura mala sunt: & bona quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt? Numquamne licebit nobis solis cum Deo agere? semper ne creaturarum turba se interferet? Numquamne licebit nobis creaturarum omnium conspectum fugere, nosque ab illarum cœtu subducere? Nunquamne eam ingredi solitudinem, ubi solus Deus sit, & nos soli cum Deo? Quid nobis cum hominibus, immò etiam cum Sanctis, quid cum ipsis Angelis, quid cum creaturis, si uni Deo placere volumus? ut nihil creatura nostræ vel cogitationis, vel affectus occupet. Creaturarum proprium est non esse, hinc enim habent originem, eò etiam tendunt, & hoc unum habent à seipsis: Cur nostri respectu id non sunt, quod

sunt

sunt à seipsis ? cur nobis non apparet solus Deus qui non potest non esse? Sed proh dolor: si cum Deo sim, continuò se se innumeræ offerunt creaturæ, earum occurrit aspectus, judicium, opinio, sententia: illæ animum meum dividunt, discerpunt, abripiunt, occupant. Nonne satius est cogitatione ita me subducere, ut divinitatem ingressus quasi caliginem, & Sancta sanctorum, nihil præter Deum reperiam, neq; attendam vel ipsis Seraphim, & Cherubinis qui arcana Dei obvelant: unde nubes locum omnem occupat, Id est, divinitatis Majestas, ita ut mihi ad divinitatem accedenti universa creata dispareant, atque evanescant? Finis transfigurationis, & visionis mirabilis est invenire solum Iesum. Dominus in caligine. Dominus habitavit in nebulâ, & majestas Domini totam domum implevit. *Et non poterant Sacerdotes stare & ministrare propter nebulam*, impleverat enim gloria Domini, domum Domini: *Tunc* ait Salomon: 3. Regum 8. Dominus dixit ut habitaret in nebula.

II. Hypocrisis, Est cùm creatura sic agit cum Deo, ut sibi ipsi satisfacere quærat, quod tunc tantùm fit, cùm illi res succedit, prout ipsa voluit; In quo non levis est hypocrisis: Cùm enim plurimi unum Deum spectare videantur, seipsos tamen potius intuentur; unde tandiu, & eo modo agunt cum Deo, donec sibi ipsi satis fecerint: in quo non habent fructum perfectæ solitudinis, quia non unum Deum spectant, sed in seipsos oculos retorquent. Solitudo est cùm Deus solus est, & nos cum ipso, ita tamen ut solus Deus videatur, & spectetur; nos hic sumus, ut Deum intueamur, non autem ut nos ipsos attendamus; quamobrem debemus esse absq; ullo ad nosmetipsos reditu, in quo hæreamus, minimè attendo, nostræ ne cupiditati satisfiat, sed tantùm an placeamus Deo, eique factum sit satis; nostrorum enim studiorum affectuumq; expletio, commoda sunt nostra, quæ nonnisi amore proprio spectantur; unde fit ut successus omnis ad nos pertinens, esse nobis indifferens debeat, quia nulla rerum nostrarum ratio, sed Dei solius habenda est, cui satisfit eo quod sumus, quoniam tales nos ipse fecit. O quoties credimus Deum à nobis unicè diligi, nosque operari pro ipsius amore, ubi amor nostri nos possidet! Sic agentes cum Deo in oratione ac precibus, aut aggredientes aliquo negotium, si nos amor nostri dirigit, totus noster aspectus in eo est, ut consideremus an illud nobis benè succedat, hoc est, an eô quem nobis proposuimus modò peractum sit, tuncque nobis placemus, in illâ occupatione, quando eâ re quam fecimus contenti sumus, propter oblectationem quæ nobis inde accessit, eâ re nimirum quam quærebamus inventâ; ac ita nos magis respicimus quàm Deum, & ipsâ nostri complacentiâ tribuimus nobis locum, quem alij vanæ gloriæ desiderio, creaturæ cuipiam darent. At parum omninò interest, an à nobis ipsis vel ab alio interrumpatur ea solitudo, quandoquidem inter Deum nosque creatura intervenit: sive enim intermedium illud simus nos ipsi, sive res alia quæpiam creata, neutro hoc in loco Deus est.

III. Hypocrisis, secundæ valde affinis aut propinqua, est cùm delectatio nos ad Deum trahit, vel detinet cum Deo:

Adverte ejusmodi delectationem esse duplicem, unam negativam, alteram positivam: Negativa est fuga laboris, cujus gratia nonnullæ mulieres devotionem sectantur, totos dies in templis morantur, orationi se addicunt, ut sibi parcant, & laborem fugiant; ac licet devotæ sibi videantur, nihil tamen minùs sunt: sed mera est hypocrisis. Eodem fine multi se addicunt solitudini, ignaviæ causa: multi se à reipublicæ curâ removent, ut laborem fugiant. Ita quoniam sunt aliqui, qui

quòd

quòd in multis rebus vincere se nolunt certando & pugnando, propterea ignaviâ & desidiâ cedunt; illi quasi de virtute sibi blandiuntur, cùm tamen mera sit hypocrisis: ignaviæ enim suæ, virtutis speciem obtendunt, quasi ambitionem fugiant, & cupiditatem honorum domuerint.

Positiva delectatio iterum duplex est, una merè naturalis est, altera causam videtur habere supernaturalem: Naturalis est, quæ oritur vel ex bono successu, vel ex morum, & vitæ, & studiorum conformitate: quod enim benè succedit, placet, itaque in eo facilis est continuatio, & in eo est amoris proprij pabulum: quod indoli nostræ & inclinationi conforme est, non potest non placere: Ita Melancholici facilè conquiescunt in solitudine: qui sunt actuosi facilè in negotiorum procuratione, & tumultu vivunt: & ejusmodi homines, in vitæ suæ electione, & in suarum actionum delectu non habent perfectam solitudinem, nec credere debent se unum Deum quærere, nec se se perfectè eximere ab hypocritarum numero, quia non tàm quærunt Deo placere quàm sibi, ac licet fingant se Deum quærere, reipsâ delectationem quærunt merè naturalem, quæ oritur ex conformitate quam habent cum objecto in quo toti conquiescunt, ad hoc enim nullâ virtute opus est, sed solâ naturâ.

Circa delectationes supernaturales major est deceptio, quia longè est subtilior, nam cùm à Deo ortum habeant, non videntur rejiciendæ, itaque unusquisque credere potest se in illis posse sistere, cùm tamen id fieri non possit sine aliquâ hypocrisi, cùm jam non Deus ipse quæratur sed creatura: ut hoc melius à nobis intelligatur.

Advertè ejusmodi supernaturales delectationes duplicis esse generis. Primò enim sunt spirituales quædam consolationes quas Deus impertit aut ante aut inter bonarum actionum exercitationem, quæ quidem consolationes idem hoc præstant animę, quod oleum vel sevum rotis currus, quo facilius volvantur: Illæ siquidem pervadunt usque ad sensitivas etiam cordis affectiones, certasque in nobis suavitates ac teneritudines pariunt usque ad lacrymarum affluentiam; accendunt nobis ardores æstusque fervoris, qui nos incitant ad aggredienda facilè omnia, quamvis molesta sint, ita ut ipsas etiam mortificationis ac pœnitentiæ afflictationes amemus, nihilque difficultatis in illis nanciscamur. Verùm qui in istiusmodi rerum gustu inhæret, nondum purè Deo inservit, quia magnæ illæ suavitates quæ nos ad id quod agimus tàm faciliter præstandum inducunt, nequaquam proficiscuntur à vero virtutis habitu, sed à delectatione quam nobis ingenerat illa teneritudo, vera proprij amoris esca, objectumque proprij commodi nostri, quod exiguis hisce oblectationibus alitur: adeo ut istiusmodi rebus inniti magni scilicet eas æstimando, nihil aliud sit, nisi pro sanctitate, vanitatem nostræ delectationis sectari, abutendo rebus sanctis, ut voluptati nostræ sacrificentur. Hinc certò quidem oritur ut plurimùm inanis superbia, complacentia, & illusio. Præterquàm quod minimè credendum est virtutem ex ijs rebus pendere, ac multò minus eam consistere in ejusmodi dulcitudine, ac jucundo justu: harum enim suavitatum illecebrâ, modò pusillum habeatur virtutis, sine magno conatu efficitur id quod proponitur agendum: unde fit, ut ad illas non debeamus adhærescere, sed indifferentes esse ad fruendum ijs vel carendum, & cùm eas habemus, existimare nos ipsis prorsus indignos, & ijsdem uti secundùm Dei consilium, ad nos in virtutis soliditate firmandos, cavendo ne abripi nos sinamus ad immoderata desideria, & opera quæ vires nostras superent, ne postquam ejusmodi æstus deferbuerint, proposita hæc

onerosa nobis esse incipiant, & impossibilia videantur. Hæc agendi ratio facit, ut quùm Deus consolationes illas subtrahit, nequaquam contristemur, sed lætemur potiùs; quia Deum solùm invenimus, amore proptio nullam inibi partem habente; quandoquidem anima exuit se vel saltem non afficitur ejusmodi solatijs quantumvis spiritualibus, tametsi ab ijs superentur universæ delectationes quæ possent è rebus creatis percipi, quæ quidem nequeunt id in animâ producere, quod Deus in illâ ponere solus potest, utpote solus cordis Dominus. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes; sed non ut lex tua.*

Alterius generis consolationes, etiam puriores sublimioresq; sunt, neque reperiuntur nisi in parte superiori animæ, quæ magis illustratur luminibus longè purioribus, & inflammatur desiderijs studijsque virtutum valde solidis, quæ citra comparationem antecellunt consolationibus illis de quibus locuti sumus; alta enim pronunciata sunt principiaque omninò pura, & subsidia ad solidas virtutes acquirendas, quæ sedem suam in supremâ parte animæ collocant. Verùm quanquam suavia hæc lumina, & ardentes affectus oriantur immediatè à Deo, inducantque animum ad se illi agglutinandum solidarum virtutum nexu, cavendum est tamen, ne sinat sese efferri suavi indolis suæ violentiâ, ac ne natura se cum gratiâ commisceat; quoniam istiusmodi lumina voluntas amplecti solet cursuque persequi, cum solatio quodam oblectamentoque suo, ac sine sensu glisceit secreta quædam complacentia sui ipsius, hisce luminibus obtecta; indeque evenit ut animus illis immoretur diutiùs, ampliùsque insistat, quàm rei quæ ipsis luminibus illi objicitur, pluris ea faciens quàm quod per eadem videt; ideoque vires omnes contendit, in illis intellectu considerandis, suamque voluntarem & universos affectus circa occupat; ac proinde sibi mente fingit priores suos radios in se attentionis suæ conatibus augeri ac interiùs accendi; minimè tamen Deus est accretionis istius author, sed mera est animæ reflexio, & ingens consolatio, quam haurit ex illo priore radio, quem Deus infudit, subducitque paulatim, sic ut nihil remaneat in animo, præter ejus contentionem, amoremque proprium; quò fit ut inani complacentiâ elatus etsi quantùm potest amplificet pusillùm id luminis divini quod possidet, valdèque magnum existimet, quamvis perexiguum sit, demùm tamen accidit ut evanescat facilè in cogitationibus suis atque in superbiam decidat, & in vanam de se opinionem, fingendo sibi magnas virtutes adesse, ex quo mille nascuntur illusiones, quia Deus operationem suam subtrahit; sequeistiusmodi homines valdè illuminatos, & eximiâ virtute præditos autumant, quamvis præter prius principium, cujus sola recordatio supereſt, reliqua omnia nihil aliud sint nisi ratiocinationes humanæ, conatusque ac violenti æstus quos in seipsis fecêre; unde in graves culpas labuntur, minimè ampliùs innixi soliditate divini influxus. Ex quibus liquet, quo pacto utendum sit illiusmodi luminibus affectibusque: nimirum ea debemus accipere cum demissione animi, nos ijs indignos agnoscere, non delectationem utilitatemque nostram in illis sed honorem Dei duntaxat sectari, ejus bonitatem mirando, quâ creaturam ita inopem non dedignatur, séque ita deprimit, ut illam influxus divini beneficio afficiat: animâ pluris æstimante donorum Authorum ipsum quam dona, quæ non magnifaceret, nisi quoniam ab ipso profluunt; neque aliud quidquam spectante, nisi ut Deo sanctæque ipsius voluntati satisfaciat, sine ullo propriæ oblectationis respectu.

IV. Hypocrisis est, cùm meriti cogitatio, & remunerationis pretium nos Dei obsequio astrin-

astringit, animamque nostram partim occupat, quæ perfectã nihilominus amoris puritatem prætendit, sincerumque studium erga Deum. Quônam enim alio ex fonte nisi ex amore sui ipsius oritur delectus ille quem nõnullæ animæ adhibent in optandis & eligendis actionibus quæ maximi sunt meriti, vel nos magis collocant extra jacturæ nostræ periculum? Quamvis non vituperem hosce sensus tanquam malos, nequeo tamen eos agnoscere quasi perfectos, atque ab omni amore proprio immunes, ac proinde alienos ab omni specie hypocrisis. Neque enim quod nos permovere debet, vel est majus meritum, vel major salutis securitas; at id unum tantumodò, quod vel maximè Deo placet. Quo in genere oportet, Auditores, constituam vos variam cogitationum judices quæ aliquãdo sanctam quandam animam tenuere sollicitam anxiamque in consilio ipsi captando, vel recipiendi se in solitudinem ad vitæ abditæ quietẽ & secessum, vel juvandi proximi cum aliquo etiam periculo salutis in tuto ponendæ, suæq; tranquillitatis. Videtur in oratione lucrum, & gratiarum cumulatio: In Prædicatione autem distributio quædam bonorum spiritalium acceptorum. In oratione est purificatio interiorum affectuum, & unio cum Deo: In prædicatione colligitur pulvis, id est accidit contaminatio affectuum, distractio circa multa, & relaxatio disciplinæ. In oratione Deum alloquimur, & audimus, & quasi inter Angelos conversamur: In Prædicatione necesse est, in multis rebus ad hominum mores descendere, humanè inter eos vivendo; cogimur multa videre, audire, dicere, & cogitare humana. Tamen omnibus pensatis unum est in contrariũ, quod iis omnibus quæ dicta sunt præponderat, scilicet quòd Christus ipse relictâ suâ solitudine, potissimum prædicationi vacavit, cum peccatoribus manducavit, & conversatus est: cujus exemplum quia nos sequi maxime oportet, gratius Deo esse videtur intermissâ quiete foras egredi ad laborem. Ita S. Franciscus ad Fratres; uti refert S. Bonaventura in ejus vita c. 12. Idem applicari potest pluribus casibus qui non sunt valde dissimiles: Sed justissima est & communissima Apostoli querela ad Philipp. 2. *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi*: quæ coargutio non tantùm spectat bona externa, & sæcularia; sed etiam interna & spiritualia, adeò videlicet pauci immunes sunt ab hypocrisi.

V. Hypocrisis species versatur circa sublimiorum solidiorumque virtutum desideria, & circa rerum divinarum sensus: quod quidẽ eò qui subjicitur hîc modò accidit. Sæpe anima magnis boni desideriis tenetur, iisque à Deo impressis, nequit tamen id assequi quod affectat, neque ad optati sui exitum venire, ob quædam impedimenta quæ intercedunt, quorum alia oriuntur ab hominibus, uti cùm obedientia vel charitas, necessitasq; nos obligat ad dimittendam orationem, quâ se se anima dispositam videbat ad unionem cum Deo, conjicimur autem in negotium, vitæque actuosæ curas, à quibus alieno admodùm animo sumus, propter distractiones innumeras quæ illic occurrunt; aliunde verò intelligimus charitatem aut obedientiam nobis permittendam non esse, sed obsequendum necessitati, adeòque deserendum id quod tantopere nobis utile ac fructuosum foret. Nonnunqam verò accidit ut impedimenta illa nobis à Deo adveniant, quãdo prorogat differtque largitionem virtutis & perfectionis ad quam nostra nos desideria impellunt. Tunc affligitur admodùm animus, & magno doloris sensu afficitur propter ejusmodi obices; in quo fere semper amor nostri locum habet. Quapropter exuere nos oportet hisce animi aculeis & sollicitudinibus quãvis justæ ac sanctæ nobis appareant, quia dolor ille anxietasque animam in desiderijs suis

afflictans, ejusq; perturbans quietem, ut plurimum ut dixi ab impuro illo amore nascitur: ac tametsi potest id carere peccato, impedimentum tamen est inter Deum & animam, cùm res creata sit, proindeque puritati perfectionis obsistat, quandoquidem inest nescio quid propriè nostrum, etsi hoc in re sanctâ versetur. Præterquàm quod cùm Dei Spiritus suavitate, pace ac tranquillitate affluat, credere expedit hunc inquietæ mentis affectum non esse ab Deo, quandoquidem turbat animam. Quapropter ut anxietas illa tollatur, ipsa etiam desideria virtutum moderanda sunt eo quem subjicimus modo.

1. Accipiendum est desiderium virtutum tanquam donum Dei, sed cavendum est ne insistatur in ejus habendi complacentiâ, sicut nec in propriâ delectatione.

2. Ita, nulli curæ ac labori parcendum est ad assequendam virtutem perfectionemque ad quam desideria illa nos incitant, nihilque omittendum est negligentiâ vel tepiditate: sic tamen ut si quid impedimenti obveniat, persuasum habeamus, divinæ bonitati tunc non placere, ut nostrum hocce desiderium operi mandetur, profitendo nos neque virtutem nec perfectionem expetere aliam, nisi quam, & quo tempore vult nobis illam Deus tribuere, cæteris omnibus renunciando.

3. Deponi à nobis oportet dolorem omnem, & anxiam rei cujuscunque solicitudinem, ipsius adeò martyrij optandi, cùm à solo amore proprio illa nascatur, verusque sit inter Deum & animam obex. Qui enim verò solum hoc desiderium habet cum animi quiete sine virtutis optatæ usu, acceptior est Deo, quàm alius qui virtutem illam obtinuisset, at eâdem sibi ademptâ vel non concessâ valdè afflictaretur animo, suamque tranquillitatem turbaret: quia nimirum ille voluntatem Dei possidens, loco rei creatæ voluntate illâ frueretur quæ increata est, infinitèque virtutibus omnibus præcellit: præterquàm quod non idcircò desiderium amittitur cùm illud imprimat Deus, ejusque sit author, at non persistit cum eâ specie anxietatis quâ turbatur anima, sed cum divino quodam molestiæ sensu inseparabili à desiderio, propter absentiam rei optatæ, cujus desiderium Deus largitur, ea tamen molestia conjuncta est cum mirabili quiete, & sui conformatione ad voluntatem Dei, qui delectatur videndo animam in suis etiam laboribus æquabilem, ut sese ad placitum Deum puriùs accommodet, malens ipsum oblectare quàm re ardenter expetitâ potiri: ita significans illum plus reliquis omnibus, ipsaque perfectione à se diligi, quatenus scilicet intelligit Deum velle ut virtutem desideret, eamque nihilominus non obtineat, aut saltem non ita maturè, quodquidem totum in illius arbitrio relinquit.

4. Inde evenit ut quamvis nulli operæ parcendum sit, neq; desistendum ab acri studio virtutis cujus desiderium nobis Deus inussit, nunquam tamen diligentiæ suæ laboribus inniti oporteat, quoniam non iis ad illam venitur, sed ex Dei arbitrio, qui virtutem largitur aut denegat prout ipsi libuerit: unde oritur, ut homo sine ullo studij sui ac diligentiæ respectu, firmiter speret, eum à quo primum desiderium accepit, daturum etiam, ubi voluerit perfectionem, & complementum, ideoque se illi committit, projicitque in eius brachia, secundum Davidis verba. *Iacta cogitatum tuum in Domino & ipse te enutriet*, minimè sollicitus de futuro eventu, perinde ac si ductu ac judicio careret, omni sui curâ Deo relictâ, sivè largiatur sivè deneget. Ita dimittitur Deus pro Deo, ipsum relinquendo quatenùs nobis quæstum aliquem virtutis

obji-

objicit, ut ipsômet fruamur sine proprij commodi lucro, per exercitationem puri perfectique amoris: vel ut sanius loquar, homo seipsum abdicat & deserit, & quicquid suâ interest, quamvis spirituale sit, ut ad Deum solum adhæreſcat; qui nobis esse pluris omnibus cæteris debet. Cæterùm licet hoc pertineat ad universa bonorum desideriorum genera, ut appareat quousque procedere debet animæ puritas, nullâque occupetur hypocrisi, tribus tamen præcipuè abstinendum est.

1. Versatur circa gloriam cœlestem, ejus dilationem tolerando, ut in voluntate Dei acquiescam, quæ anteponi à me omnibus debet, ad Apostoli exemplum, Philip. 1. *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*, &c. *desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis*: patiendo etiam illâ in perpetuum privari, dummodo id sine peccato fieret, ut adjungamur ab omni amore proprio maximi etiam bonorum omnium, quod est possessio Dei, secundùm Apostoli sensum. Rom. 9. *Optabam enim ego anathema esse à CHRISTO pro fratribus meis*,

2. Desiderium est afflictionis: licet enim patiendi cupiditas adversetur inclinationi nostræ, cum excessu tamen haberi potest, & cum amore proprio; quemadmodùm prægnantes fœminæ appetunt vesci carbone, multisque aliis rebus injucundissimis uti. Præterquam quod pati pro DEO, res est ita sublimis, & quæ tantam potest animo voluptatem parere, ut esca proprii amoris evadat: quamobrem eminentissimum pro DEO patiendi desiderium est illud, quod cum ejusdem DEI voluntate consistit; ideòque afflictionis desiderium nequaquam est altissimus virtutis gradus, quia temperari etiam perinde ac alia desideria debet; sed potius est perfecta delectatio procedens ab exactâ conformitate cum voluntate DEI, quæ quidem delectatio nascitur ab dispositione promptissimâ, reddente nos flexibiles paratosq; ad nos omnibus & ubiq; subjiciendos universis quæ DEUS efficere voluerit in creaturâ suâ, circâque ipsam.

3. Est desiderium abdicationis seu renuntiationis sui ipsius, ejusque virtutis, quæ maximè omnium expetitur ex cõformitate cum DEO, nihil hujusce etiam virtutis valendo nisi quod quantumque nobis conferre vult Deus: nam alioquin qui ea virtute destitui dolet, illam cum hypocrisi, expetit, seq; ipse decipit, quærendo abdicationem in rei propriæ usu, qui magis quàm aliud quidvis virtuti eidem illi contrarius est.

VI. Et posttremum, Hypocrisis genus ita subtile est ac subdolum, ut deprehensum non se tegat, nec artificium suum dissimulet, sed contra cæterorum naturam quæ semper larvâ specieque aliena se obtegunt, gratulatur sibi in apertum proferri, elucere in vultu, ac palàm agnosci. Amor est, ô Sanctæ animæ, amor est immoderatus perfectionis ipsius, qui voluntates vestras occupat, qui desideriorum vestrorùm est objectum, in quo labor vester omnis, totaque occupatio versatur, nec ullam vobis diurnæ ac nocturnæ quietis partem relinquit, meditantibus scilicet quid vobis desit ut omninò perfectæ fiatis: eamque ob causam purgationi vestræ tot modis operam datis, studetisq; uni hodie virtuti, cras alteri adipiscendæ. Minimè quidem studium istud, eam diligentiam, curamque improbo, sed arguo excessum, quòdque in ea consideratione immoramini, nec potius curatis divini Sponsi vestri oculis placere. Non interdico vobis curam ornandi vos & pulchritudinem sectandi, at vitiosum id arbitror, quòd vos exornatis ut evadatis formosæ, quod perficitis vos, ut perfectæ sitis, non autem ut sitis acceptæ ejus oculis, cui placere optandum vobis est, cui si deformitas esset gratior pulchritudine, hac

omissa vitataque illam consectari vos oporteret. Illud scilicet instar mulierum quæ se adornãt, & conciñant quã accuratissimè possunt : Aliæ student placere omnibus, idque mera vanitas est : Aliæ sibi ipsæ complacent, affectantque pulchritudinem, quia magis quàm deformitas decet, eæque ut plurimum fatuæ sunt, ac suæ, instar Narcissi, formæ speculatrices evadunt : Illæ demum solæ exornant sese absque ulla vitii nota, quæ se componunt adornantque ut maritis suis placeant. Ita in negotio virtutis, velle alteri placere, vanitatis est, perfectioni studere ut perfectus fias, amoris proprii est fœtus: nihil licitum est præter desiderium Deo placendi. Inde fit. 1. Ut animarum istiusmodi cura, eas anxiè non sollicitet, ut formosæ fiant; sciunt enim Sponsum suum moderata cura contentum esse: neque plus sibi pulchritudinis volunt, quàm quod illum ipsis velle intelligunt. 2. Si fragilitate alio-ve modo in culpam aliquam incidant, immoderatè non dolent, quippe in Dei bonitate infinita conquiescunt, seque penitus ad ejus arbitrium conformant: 3. Non adhærescunt pertinaciter ad ullam devotionis praxim, actionéve sibi propositam præterquàm ad eas quæ ipsis præceptæ sunt: neque enim pro arbitrii sui optione serviunt DEO, at ejus beneplacitum sequuntur in omnibus, illud venerantes æqualiter in adversis & in prosperis, in tumultu sicut in tranquillitate, in salutis suæ periculo pariter ac in securitate, in lapsibus ut in progressu, in egestate sicut in affluentia, ne sui quidem profectus jacturæ-ve spiritualis rationibus studentes, sed id spectantes duntaxat, ut compleatur Dei beneplacitum, utpotè quæ non sibi sed Deo satisfacere cupiant, non placere sibi sed Deo. Immò longiùs etiam progreditur S. Bernardus, perfectiusque nescio quid postulat, nimirùm ut quod operamur non tàm ad placendum Deo fiat, quàm propterea quod placet nobis Deus. Cùm enim complacentia sit in bono, eam longè magis in Deo habere debemus, quàm expetere, ut illam Deus in nobis habeat: quamvis qui DEO satisfacere cupit, studeat non tàm esse id quô delectetur Deus, quàm ipsammet Dei delectationem attendat: quamobrem cùm satisfacit DEO, non tàm spectat commodum & lucrum quod sibi obvenit ex eo quòd Deo satisfacit, quàm DEI sui magnitudinem, merentis penitus ut satisfiat sibi. Qua in re perfectam illam reperio solitudinem, ubi creatura sic cum Deo solo versatur, ut ne se quidem ipsammet animadvertat. Quisquis porrò nondum eò perfectionis provectus est, is dicere nequit se ab omni prorsus hypocrisi vacuum & immunem esse.

Verùm quoniam hæc cogitata non pertinent, nisi ad animas sanctissimas, perfectissimasque, earum autem perexiguus est numerus; Ad te redeo vilis abjectaque Anima, vanitatis mancipium, ambitiosa fatuè, ac turpiter hypocrita, quæ nihil nisi complacentiæ vitio agis, aut conquirendi honoris studio. Non vereris displicere DEO tuo, ut hominibus placeas; Studes non esse sancta, sed videri; Veritatem contemnis, tibique mendacium aut similitudo sufficit; Non de possessione virtutum, sed de colligenda earum existimatione laboras: Sed cogita sequentia.

1. Quantum malum sit hypocrisis, quæ virtutes omnes inficit, & convertit in vitia: Chrysolog. serm. 7. appellat venenum latens, fucum virtutum, tineam sanctitatis: crudeli arte (inquit) virtutes truncat, mucrone virtutum, jejunium jejunio perimit: oratione orationem evacuat; misericordiam misericordia prosternit: Vide quãta bona in Pharisæis perdidit, quot jejunia, quot vigilias, quot orationes, quot eleemosynas, & quam stragem fecerit in hominibus virtutis studium profitentibus: Cogita quid in fine vitæ superstes tibi futurũ sit, dicẽte Iobo, *Cõgregatio hypocritæ sterilis*

a. Tu-

2. Tu-ne adeò tibi vilis es, ut tuam æstimationem minùs cures quàm aliorum? dum illi te laudant, tu reipsam damnas, teque ream facit tua conscientia: Memineris in die Iudicij tecum affuturam solam conscientiam: Tunc enim omnes tui laudatores te deserent, & soli tibi relinquêris:

3. Quàm parùm æstimas tuos labores, & tuam virtutem, ut hominum comendationem, tuam mercedem reputes: Et tamem poteras illis actionibus cœlum mereri: nam utrumque intendere non potes, secundùm illud Christi Domini. *Amen dico vobis receperunt mercedem suam:* At vide stultitiam.

1. Quòd commutes mercedem æternam, caducâ: quâ enim re emis hominum gratiam & laudes, emere potuistis vitam æternam.

2. Quod hominum judicia quæras, quæ Angelos judicare debueras: S. Chrysost. serm. de cupiditate inanis gloriæ: Nam quæ de Angelis sententiam sis latura, optaveris à mortalibus his, & impuris, judicium de te fieri, & parem laudem consequi cum saltatricibus, mimis, aurigis & belluarum confectoribus.

3. Quòd tàm paucis hominibus placeas: nam pauci nos vident: Chrysol. loc. cit. Quot cuperes esse tuarum laudum præcones? num centum, aut ducentos? concedamus, si velis ad hominum quatuor millia, sint etiam, si libet, innumeri plausores: nihil tamen hi omnes à gracculis de loco superiori cătantib⁹ distabunt: Verùm si Angelorum spectacula noveris, vel ipsis vermiculis, ejusmodi homines universi videntur abjectiores, araneâ, fumòque, & insomniis infirmiores.

4. Quòd ad breve tempus. Iobi 20. *Hoc scio, à principio quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti: si ascenderit usque ad cœlu superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent ubi est.*

Denique in die mortis, quàm hæc omnia apparebunt inania, & vana, & in die judicii, cùm *Deus illuminabit abscondita tenebrarum* quanta erit inopis conscientiæ confusio? Certè Christus Pharisæos increpans de Hypocrisi, eos appellat, & cæcos, & stultos: quàm clarè videbunt in iudicio se tales fuisse! Tu itaque uni Deo placere studе, ac memineris Deum magnum esse spectatorem, & vindicem, & remuneratorem. Quid igitur alienos spectas oculos? Quid aliorum iudicium moraris? Quæ te alia melior merces potest attrahere, quàm ea quæ donatur in gloriâ? ad quam nos perducat Jesus Christus. *Amen.*

* * *

DOMI-

DOMINICA QUARTA
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO PRIMA.

De multiplicatione panum, & populi studio ut Christum Regem facerent

Vnde ememus panes ut manducent hi? Ioan. 6.

Iesus ergo cùm cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipse solus. Joannis 6.

FAMILIARE fuit magnis Regibus maxima convivia facere suis subditis, ad suarum opum ostentationem, & suæ liberalitatis commendationem: Ita Esther. 1. Rex Assuerus quando tertio imperii sui anno Susis potuit regni sui sedem *fecit grande convivium cunctis Principibus suis, & pueris suis fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & Præfectis Provinciarum coram se, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus*, hoc est, sex mensium spatio: Ita Danielis 5. *Balthasar Rex fecit grande convivium optimatibus suis mille.* Sed ut nemo Deum potentia superare potuit, ita nemo potuit liberalitate vincere. Triplex autem instituit convivium, unum naturæ, alterum gratiæ, tertium gloriæ. Primum per providentiam, qua passim omnes homines, & omnes animantes in terris, aquis, & aëre pascit, secundùm illud, *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Secundum fit per misericordiam, idque convivium duplex est doctrinæ & Eucharistiæ, de primo dicitur Proverb. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immo-*

molavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam: Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis: Si quis est parvulus veniat ad me, & insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis: De secundo dicitur apud S. Matth. 26. *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum,* & posteà, *Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus, novi Testamenti:* & Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Tertium fit in cœlo per magnificentiam, quia ut ait Isaias cap. 33. *Solummodo ibi magnificus est Dominus noster:* & Matth. 22. *simile est regnum cœlorum homini Regi qui fecit nuptias filio suo:* quòd autem pertineat hoc ad gloriam, audi Lucam cap. 12. *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes, amen dico vobis quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Et cùm Lucæ 14. quidam de astantibus Christo dixisset, *Beatus qui manducabit panem in regno Dei:* dixit ei, *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos:* Horum omnium conviviorum fuit figura hodiernum convivium quo Christus suos auditores, & turbam se sequentem pavit, ad quod convivium & nos hodie invitat Ecclesia. Non dubito quin etiam illud ibi futurum sit, quod in nuptiis factis in Canâ Galilææ, *Et erat Mater Iesu ibi:* At illam nos accedamus, & cum Angelo salutemus. AVE MARIA.

QVOD passim homines in admirationem rapit in proposito nobis miraculo, quo Christus quinque hominum millia præter mulieres & parvulos, quinque panibus, & duobus piscibus non solùm aluit, sed satiavit, est admirabilis illa panum, & piscium multiplicatio. Nam factum miraculum probant relicti duodecim cophini: nec illud negligendum est, quod monet Sanctus Chrysostomus, nec pauciores nec plures relictas reliquias, quàm ut duodecim cophinos implerent; ut unusquisque Apostolorum, etiam ipse Iudas suum cophinum deferret, tanti miraculi testem & argumentum. Hîc quales vis dicam divinas Christi manus, an sagenam, an flumen, an lacum, an mare, unde prodeant tot pisces? An arcam dicam, an horreum, an campum & uberem glebam? an navem Africanam, aut Ægyptiam, aut Siculam, unde tanta prodit frumenti copia? Olim Deus benedixit terræ & produxit terra herbam virentem, sed non spicam, paulatim enim herba maturuit: Hîc autem divinæ manus producunt momento herbam, spicam, aristam, frumentum, messem, triturationem, fermentationem, panem coctum! Unica manus, & gleba est, & pluvia, & cœlum, & sol, & area, & fermentum, & fornax. Modicum semen, magnam segetem producit: Hîc pauci panes tot panum millia: nam quot necessarij fuêre ad tot homines saturandos post trium dierum jejunium? Non jam est fructus tricesimus, non quinquagesimus, non centesimus, sed longè supra millesimum. Quid hîc Mosen memorem? Ille panem de cœlo, & manna populo dedit, sed ut verè dixit Christus Ioan. 6. *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum:* Itaque non de manu Moysi, sed in terrâ manna collegerunt, & ipse Moyses opus etiam habuit illud de terrâ colligere; illud autem in sequentem diem non servabatur; immò nec solem ortum ferebat; nec verè panis erat, sed pro pane dabatur: At Christus ipse panem dedit, & ut scias multiplicationis fuisse authoram, *Accepit ergo panes, & distribuit discumbentibus:* & ut scias majorem ipsum esse Moyse, panis quem distribuit, servatur; & ut scias posse servari, duodecim cophini, & colliguntur & servantur. Verùm hoc unum miraculum non debet habere

majorem admirationem, quàm quod quotidie videmus fieri, ex paucis seminibus tot segetes oriri, & tantam hominũ multitudinem, & animalium nutriri, & plurima semper superesse: nisi quod, ut ait S. Augustinus: Hæc quotidiana miracula assuetudine viluerunt: hoc certè majus videtur, quia rarius, nempe, ut ille ajebat, Magnum argumentum raritas:

Quod me magis in eo facto trahit in admirationem; est studium, & voluntas populi: quod cùm in Christo plurima vidissent miracula, cœcorum illuminationem, claudorum erectionem, sanitatem leprosorum, Dæmonum ejectionem, immò etiam mortuorum suscitationem, nunquam tamen cogitarint de eo in Regem assumendo, nisi hujus occasione miraculi, cùm tamen miracula isto majora fuisse, aut saltem non minora videantur: Unde S. Leo serm. 10. de Passione, accusationem Christi à Iudæis factam, quod se Regem faceret, examinans, sic Pilatum alloquitur: Veruntamen ne in totum videatur inanis Iudæorum objectio, discute diligenter præses, quid de Domini operibus notum sit, quid de potestate compertum? Cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, mutis præstat eloquium: febres abegit, dolores resolvit, mortuos resuscitavit: magnum prorsus Regem, ista demonstrant: hæc ille. Nihilominùs tamen id optimo, & justo consilio fecisse existimo: Sic enim judicarunt præcipuum finem imperij esse populum pascere, & eum aptissimum imperio, qui sic populum pascere posset: Nam ut ait Cicero 5. de Republ. Moderatori Reipublicæ Beata civium vita proposita est: Itaque passim Reges Pastores dicti sunt, & regere idem est, atque pascere: & contrà pascere idem est, atque regere: Ezech. 34. promittitur Messias sub eo nomine: *Et suscitabo super eas Pastorem unum, qui pascet eas, servum meum David: ipse pascet eas, & ipse erit eis in Pastorem*: atque ut eo nomine intelligas principatum, addit. *Et servus meus David Princeps in medio eorum*: Ita Michææ 5. ubi fit promissio Messiæ. *Et tu Bethleem Ephrata*, &c. *ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*: quod Evangelista citans ait. *Ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.* Græcè ποιμάνει pascat, quod noster interpres vertit, regat: ita Psalm. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*: pro reget est ποιμανῶ pascet: Ita Homerus utrumque Agamemnonem appellat ποιμένα λαῶν Pastorem populorum: Ita ex Philone in vitâ Mosis, Pastoralis ars ad regnum est præludium, hoc est ad regimen gregis mansuetissimi: Unde ait ipsum in pascendis ovibus sui principatus tyrocinium posuisse: Et idem Philo in lib. de vitâ viri civilis, cœpit, inquit, in hoc genere versari Joseph annos natus circiter 17. præfectus curandis gregibus, quæ disciplina cum civili convenit: Et hoc est opinor cur Poëtæ Reges appellant Pastores populi: Ita David adhuc adolescens in pascendis gregibus artem regendi didicit: Denique Xenophon lib. 8. de Cyropæd. Ita de Cyro scribit: Et ejus oratio memoriæ prodita est, cùm diceret, similia esse opera boni Pastoris, & boni Regis: nam & Pastorem decet id præstare ut pecora habeant feliciter, si tamen pecudum est felicitas: & Regem decet etiam Urbes, atque homines felices facere. Audi etiam quomodo apud Isaiam cap. 44. Cyrus appelletur: *Qui dico Cyro, Pastor meus es*, & omnem voluntatem meam complebis. Cum itaque Christus officium Pastoris obierit, non mirum si requiratur in Regem; unde apud Evangelistam de eo dicitur quod *regnabit in domo Jacob*, pascendo potiùs, quam imperando: nam ex omnibus Patriarchis, Jacob maximè pastoritiam exercuit, quàm Philo appellat Magistratuum præludium, atque exercitationem. Porrò hunc fuisse sensum omnium po-

pulo-

pulorum facile mihi forte ostendere, qui omnes hoc à suis Regibus expectarunt, ut ab eis pascerentur: Ita populus Israël in deserto petiit panem à Moyse : nam si Dominus escam debet mancipio & jumento : quantò magis Rex homini libero ? Et quoniam supra omnia alimenta panis ad vitæ conservationem est necessarius secundùm illud Eccli. 29. *Initium vitæ hominis, aqua, & panis*, & illud Prophetæ *Firmamentum panis: baculus panis:* Hinc factum, ut nullo alio beneficio magis capti sint populi quam panis & frumenti largitione, ita ut eâ ratione multi ad imperium pervenerint. Apud quosdam populos Septentrionales, cùm in cuisdam familiâ panis panis miraculo multiplicaretur, ei regnum delatum est: Quando nominatus est Melchisedech Rex & Sacerdos Altissimi, nisi quando protulit & obtulit panem ? uti dicitur Genes. 27. vovit se Dominum acceptarum in Regem, ac Deum *Si fuerit Dominus & custodierit me, in viâ quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, erit mihi Dominus in Deum.* Ea propter Ioseph in Ægypto magnus factus est, & adoratus à fratribus & Patre, & impleta somnia, quoniam cæterorum manipuli manipulum ejus adoraverunt, & Pater factus est Pharaonis frumentatione, & Dominus super universam Ægyptum frumenti distributione: unde Theodor. q. 37. in Genes. Ratione solius panis, magnus factus est: Hinc ille apud Isaiam cap. 3. cui offerebatur imperium id eâ ratione recusat: *non sum medicus, & in domo mea non est panis*: Quia scilicet populi necessitatibus, & fami non poterat subvenire.

Hinc factum ut qui maximè populares esse vellent largitiones crebras facerent frumenti: Ita apud Romanos exactis Regibus Consules frumentum populo, exiguo pretio distribuêre: Id posteà Tribuni lege latâ: cujus Princeps Cajus Gracchus exiguo pretio frumentum distribuit: Clodius deinde de eo gratis omninò dando, legem tulit: sed sub Imperatoribus res aucta est. Julius Cæsar 150. millibus distribuit: Augustus 200. millibus: Tiberius auxit numerum, & eo perventum ut 320. millibus singulis mensibus distribueretur : Hinc duæ Classes institutæ Ægyptica, & Africana: illa quatuor menses urbem nutriebat, hæc octo: Vide autem quanta esset frumenti largitio, ut ex Canone Severi Imperatoris, de quo Spartianus, quotidie distribuerentur 75. millia modiorum: sed circa Trajani tempora non jam frumentum, sed panis distributus: & quia ad quosdam gradus in 14. Vrbis Regionibus, hinc dictus panis gradilis, quia ad gradus distributus: dictus etiam fiscalis, quia è publico & fisco : Meminit etiam Suidas quorundam panum, quos vocat palatinos, quia ad Palatii gradus distribuebantur, idque tribuit Constantino Magno: ut nimirum scias beneficium panis, titulum esse Regni, atque Imperii : Hinc Reges dicuntur mundi lumina: sunt enim velut astra quæ ordinata sunt ad mundi regimen, dicente Scriptura ex lectione S. Chrysostomi, quod luminare maius factum sit in præfecturam diei, & luminare minus in præfecturam noctis: quæ enim est hæc præfectura ? nimirum ut agricolarum labores non pereant; sed fruges oriantur, & matureſcant : Hinc Sapientissimis Principibus maxima annonæ cura : quia in eâ omne regni firmamentum, & robur secundùm illud, *& panis firmamentum contrivit*: unde puto somnium Madianitæ, qui viderat subcinericium panem, tentoria hostium dejicientem, quod alius interpretatus est gladium Gedeonis: In eodem Iudi-

cum libro varii Duces memorantur, qui populum ab iniqua servitute liberarunt: Inter cæteros fit mentio cujusdam Sangar qui dicitur filius Anath qui percussit de Philistihim sexcentos viros, vomere, & ipse quoque defendit Israël: Qui præcesserat, Aod nomine, in dolo Regem ferro percusserat, figens se munera offerre: Sed huic successit Sangar, ut scias longè majorem stragem fieri ab aratris, quam à gladiis: Aod enim usus gladio, unicum, & dolo percussit: alter autem sexcentos, aperto marte, vomere tantum armatus: plùs enim Imperator annonâ proficit, quàm armis: De Regiâ tribu Ephraïm, ex quâ & multi Reges Israël, & multæ victoriæ, sic loquitur Oseas cap. 10. *Ephraim vitula docta diligere triturам*: Non comparat tauro prælianti, sed vitulæ trituranti, ut scias vim & robur Regni Israëlitici, non fuisse arma, & milites, sed ejus potentiam fuisse in messium abundantiâ: Hûc facit translatio hujus textus quam habet S. Ambrosius lib. de Joseph. cap. 7. *Ephraim vitula, edocta diligere victoriam*, ut scias ubi sit tritura ibi esse victoriam: In 2. Paralip. cap. 26. dicitur de Osiâ fuisse Regem potentissimum & fœlicissimum in victoriis: *Appendebantque Ammonitæ munera Osiæ, & divulgatum est nomen ejus usque ad introitum Ægypti, propter crebras victorias.* Subditur autem de eo, quòd plures turres ædificavit, & in Ierusalem, & in solitudine ad pecora reducenda: Item habuisse multas vineas: *erat quippe homo agriculturæ deditus.* Habes semina victoriarum ipsius: quòd esset homo agriculturæ deditus. Etenim si desit frumentum, nulla spes. Et contrà si adfuerit, certa victoria. Lepidum Aureliani factum ex Vopisco: Is in Orientem arma illaturus, bilibres coronas populo promisit, si victor rediret: vicit, rediit: Cùm populus coronas aureas expectaret, ille coronas ex panibus fecit, qui nunc siliginei appellantur, & singulis quibusque donavit, idque quotidie atque in totam vitam singulis siliginei sunt distributi. Ex quibus omnibus patet legitimum fuisse populi desiderium, ac propositum, *ut eum Regem faceret*, à quo sic esset enutritus: Nam ut ille aiebat, omnium suavissimũ est accipere: Neq; aliâ re faciliùs populus delinitur quàm liberalitate: Itaque de Augusto Tacitus 1. animalium: Militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit.

Hinc factum est ut Christus ad hoc patrandum miraculum, & tantam turbam pascendam, se se Regem præstiterit, nam & illud patravit, & regio sensu, & regio modo.

I. Quod ad sensum attinet, sanè regio impulsu id fecit.

Id 1. discimus ex Marci 6, *Misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem*: Venit itaque in mentem, quis esset, & quis ille populus: Meminit se Davidis filium, cujus erat *pascere Iacob filium suum*: de se dictum, quòd regnaturus esset *in domo Iacob in æternum, & accepturus sedem regni David*: Itaque cùm palabundum vidisset populum, quasi oves sine pastore, voluit eum *pascere in intellectibus manuum suarum*:

2. Id discimus ex eo quod dicat Matth. cap. 14. *Misertus est eis*: Est enim misericordia, sensus planè regius, & humanitate plenus: Nam ut ille aiebat, non decet ullum ab Imperatore tristem discedere: De Iobo dicitur, quòd maximus fuerit inter omnes Orientales, & Rex etiam appellatur in Scripturâ: Ille autem fatetur c. 31. misericordiam secum egressam: & hîc valet judicium Salomonis, qui veram matrem ex teneritudine ergà infantem agnovit: Ira ex eo sensu discernere potes Regẽ à Tyranno, si suorum miseriis tangatur: Ille enim Pater est, hic Domi. David Ps. 46.

Domi-

Dominus excelsus, Terribilis, Rex magnus super omnem terram: cur postquam nominavit excelsum, & terribilem, subjicit Regem, discè à Chrysostomo; sic Propheta dicebat, orbis salutem ostendens: Itaque Sapientiæ 11. utrumq; conjungitur: *Misereris omnium quia omnia potes*: quasi eadem sit mensura potestatis & beneficentiæ: quâ de causâ Chrysostom. homil. 4. in Epistolam ad Philippens. Si quis principem laudare velit, nihil illi adeò decorum adscribet, atque misericordiam: principatus enim proprium est misereri: & Psalm. 44. Sponsa dicitur Regina, *Adstitit Regina à dextris tuis*, ob ejus misericordiâ, vel ut eam impetret miseris à DEO: Esther sic adstitit; cui Assuerus, *Quid vis Esther Regina?* nunquam meliùs sic appellata ex Prosperi sententiâ quàm quando non sine suo periculo voluit populum liberare. Et certè hoc ei Mardochæus insinuarat, ideò eam in hunc apicem venisse: cap. 4. *Et quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, Memento mei dum veneris in regnum tuum*: Cyrill. Catechesi 13. Non dico aliter, ut mei memineris, quàm cùm veneris in regnum tuum: quæ te virtus illuminavit, ô Latro? Ideo, & justè audis, confide; non quòd opera tua digna sint confidentiâ, sed quia Rex adest, qui gratiam confert. Hæc ille. Habes itaque hujus miraculi faciendi, & sensum, & occasionem, Misericordiam; hoc est virtutem Regiam, maximè in suos subditos, eosque desertos, *sicut oves non habentes Pastorem* Marc. 6.

Nec prætermittam miraculi locum, nempe in monte, secundùm illud, *Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis.* Etenim circumstantia montis pertinet ad Regis inaugurationem: Ita Abulensis 3. Reg. q. 36. congerit exempla multorum Regum Israël inauguratorum ad prærupta saxa, ut putet neminem ferè factum regem qui inter hæc non fuerit proclamatus: Ita Hieronymus exponens illud Matth. 17. *Duxit illos in montem excelsum*, ait, duci ad montana pars regni est.

Ac ne putes actionem fuisse sensu inferiorem, in eo facto perfectissimam optimi Regis speciem implevit: Regias omnes virtutes exercendo: ex paucis cæteras collige.

1. Quidem statuit optimum finem regni, atque imperij, nempe suorum subditorum bonum, non autem proprium: Nam ut Aristot. 9. Politic. cap. 10. Tyrannus suum ipsius commodum spectat ac quærit, ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχομένων, At Rex subditorum: Itaq; Christus nõ de se inquirit, quid sit manducaturus, aut quid Apostoli, sed quid ille populus: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Id enim plane Regium, ut Rex non sibi, sed suis vivat. Id Davidis unctione, notat Gregorius in 1. Reg. cap. 16. ubi dicitur, *unxit eum in medio fratrum ejus*, in quæ verba sic disserit Gregor. In medio ungitur, ut se privato amore non diligat, sed ex omni quod præeminet, lucra aliorum quærat: unde & Saül, solus in extrema parte civitatis unctus fuisse perhibetur: quid est ergo quod solus à solo inungitur; nisi quia, de culminis potestate, per amorem privatum debebat intumescere? Hæc illa. Joseph Ægiptiorum moderator sic à Parte Jacob, mori vicino, benedicitur in persona suorum posterorum Deuter. 33. *Quasi primogeniti Tauri pulchritudo ejus*: Cur Tauro comparat, non Leoni, aut Aquilæ? Quia hæc animalia prædam quærunt; Taurus autem non tantum generosus, sed etiam utilis: quare ut ajebat quidam ad Regis imaginem factus est suis cornibus, quasi coronæ radiis illustris. Principes, Cœlis, & Astris comparantur, non sibi, sed nobis lucent: Hinc Synesius libro de Regno alloquens Reges, docet eos in benefaciendo fatigari non debere: Princeps (inquit)

cùm in bonis conferendis liberalitate sit præditus, tùm nihilo magis eâ de re defatigandus est quàm Sol suos, in stirpes atque animantia, radios effundens: neque enim lucere laboriosum est ei, utpote cujus in naturâ splendor & fons ipse luminis continetur: Hinc fortasse Deus 4. Regum cap. 20. Ezechiæ vitam prorogans, signum dedit in Sole retrocedente, & diem majorem faciente: dici augmento (ait Nazianz. in orat. de funere Patris) dierum augmentum confirmans: quia ut ait Augustin. lib. 2. de Mirabil. c. 22. In Sole tanquam in signo convenientissimo, regia vita designatur; Sol enim omnibus prodest. Porrò id singulari modo suprà omnes Reges convenit Christo, ut sua non quæreret sed suorum. Quia, ut ait Tertullianus lib. de Pallio (quâ etiam re se defendebat, quod causarum patrocinium deseruisset) erat olim ista sententia: Nemo alii nascitur, moriturus sibi Vnde quia quisque sibi moritur, vix ullus alteri nascitur: Christus autem nec sibi natus est, nec sibi mortuus: Et propterea Rex optimus fuit Itaq; malè Pharisæi: *Si Rex Israël est, descendat de Cruce*: Sed rectè Bern. serm. 1. de Pass. Immò verò quia Rex Israël est, titulum regni non deserat, virgam imperii non deponat: Et pulchrè Ambr. lib. 10. in Lucam: Noluit descendere, ne descenderet sibi, sed moreretur mihi: Itaque dicere poterat, ut ille olim, non mihi sed meis sitiebam.

Quòd ad II. attinet, seu ad modum: vide etiam an non regiè id fecerit, in uno facto Regias omnes virtutes exercens, & in se veram Regis ideam ostendens.

1. Pietatem: oculos ad Patrem sustulit, & gratias egit.

2. Clementiam: *misertus est eis*: vidit enim quasi oves errantes.

3. Providentiam in suis agnoscendis: *Cùm sublevasset oculos, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum*. Certè vidit pondus regni, & multitudinis. Plin. in Panegyrico: Calculum cum imperio pone, nam quò major multitudo, eò etiam major cura esse debet.

4. Prudentiam: 1. in quærendis rationibus, & in consultando cum suis. Velleius lib. 2. Certè magna consilia magnis adjutoribus egent: Nam ut ait Xenoph. li. 8. Cyropæd. Multi Regis oculi, multæ aures: & ut ait Liv. lib. 44. Princeps, si de suâ unius sententiâ omnia geret, superbum hunc, judicabo magis, quam sapientem: Dixit Itaque Christus ad Philippum; *unde ememus panes, ut manducent hi?* 2. In explorando suorum Consiliariorum judicio: *hoc autem dicebat tentans eum*: 3. In voluntate suâ occultandâ: *Ipse enim sciebat, quid esset facturus*. Nam ut ait Vegetius lib. 3. fieri quid debeat, cum multis tracta: quid facturus sis, cum pauciss imis, vel potiùs ipse tecum: 4. In manifestandâ necessitate, cùm ab eis modum quæreret: *Vnde ememus panes*; & Marci 6. *Quot panes habetis? ite, & videte*: 5. Denique in manifestando miraculo, jubens ut post prandium, colligerent fragmenta, ut in duodecim cophinis quos implessent ex his quæ superfuerant, cognoscerent quanta fuisset panum multiplicatio, unde separatim singulos jussit ut colligerent.

5. Modestiam: 1. In quærendo consilio: Item 2. quod non ipse solus præstaret miraculum; neque enim Princeps omnia per seipsum obire debet, sed per suos, imperium sibi reservans: Itaque non tantum in Christi manibus multiplicati sunt panes, sed & in manibus comedentium, uti notavit S. Hilarius.

6. Justitiam distributivam ita omnibus largiendo, ut nemo egeret, nemo alteri invideret: unde ait Textus & de panibus & de piscibus tantum esse datum *quantum volebant*.

7. Sapientiam in ordinando; & in evitandâ confusione; quæ aliter necessariò accidisset, in tantâ multitudine virorum, mulierum, & par-

& parvulorum ; jubens centenos, ac quinquagenos sedere, quod ego maximum puto fuisse miraculum: ut tanta multitudo mortalium à duodecim Apostolis, tàm brevi tempore, sub finem diei, singuli, & panis & piscis portionem, *quantùm volebant* acciperent; Tum ut à tanta multitudine reliquiæ reciperentur, nemine contradicente; Rectè ab aliquo dictum est, eiusdem esse & mensam instruere, & exercitum ordinare: Hoc autem quod hîc accidit planè, imperatorium, & regium, & eiusdem qui totam mundi familiam suâ sapientiâ ordinavit, quâ eâdem & hoc convivium disposuit.

9. Liberalitatem & magnificentiam in eo Epulo, in quo tàm multi excepti sunt, sine ullo hominum discrimine, ubi omnes acceperunt *quantùm volebant*, unde etiam omnes ad satietatem acceperunt, iuxta illud; *Ut autem impleti sunt*: Ad hæc ex fragmentis quæ superfuerunt collige magnificentiam Deo dignam, neque enim tantùm necessaria dedit, sed supra necessitatem: Basil. Seleuciæ or. 33. hanc mihi cogitationem dedit: Nam si inquit pro modo necessitatis dationẽ commensus fuisset, decoris illius gratiâ adultera esset: neque is qui fecisset, satis evidenter Dominus agnosceretur, quippe qui necessitati serviisset: nunc autem profusior quàm necessitas postularet suppeditatio authoris, potestatem facit: Hæc ille. Noli hîc iactare convivium Assueri & epulum multorum Regum, & Privatorum Romæ, hæc enim ab ambitione, non ad subditorum necessitatem: Adhæc, quàm sæpe contingit, ut liberalitas liberalitate pereat, ut ait S. Hieronymus: Imò ut ait Tacitus 2. Annal. Quàm sæpe ærariũ ambitione exhaustũ, per scelera supplendũ est: videas plerosque è rapinis liberales esse: rapiunt unis, ut dent aliis, gemino plerumq; scelere: Recte quidem ille: Sed hæc Christi magnificentia, ac liberalitas plane regia est: Non quæsivit unde raperet, sed *unde ememus panes, ut manducent hi*? Itaque de suo aluit, nam de suo quinque panes emit, & duos piscículos, plura empturus, si plura emi potuissent, unde sic monuit discipulos, *quot panes habetis? ite, & videte*: Marci 6. cætera supplevit de sua potentia, & de thesauro divitiarum suarum: ac ne putes liberalitatem liberalitate perire; plus supersest de dono post usum, quàm ante fuisset: quinque enim fuerant panes, & duodecim cophini supersunt: ac sicut sol postquàm radios ex se emisit, tantumdem supersest lucis, ac nunquã minuitur; sicut mare undas eructat, & ex se & fontes effundit & flumina, nec unquam minuitur aut decrescit: ita nec divina illa liberalitas minui aliquando potest, nedum deficere. Ex dictis.

Collige 1. quâ te Deus ratione gubernet: Tu enim quisquis tandem sis, pars es Regni ipsius, & illi cum Davide Psal. 44. canere potes. *Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicã nomini tuo, in saculũ, & in saculum saculi*: Etenim ut ait Augustinus sic unum quasi omnes, sic omnes quasi unum: hoc est in rem præsentem, nihil tuâ causa minùs, quàm omnium: ut intelligas quâ securitate vivere possis, & quàm verè & justè dicere cum Davide Psalm. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*: in corporalibus, & spiritualibus: *In loco pascuæ, ibi me collocavit*: *Super aquam refectionis educavit me*: *animam meam convertit*: nempe errantem, & eam deducit: ac reducit: *Deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum*. *Nam & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es*: Loquitur de insidiis luporum, & latronum: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Id est, si fatigatus sim, me ipse sustẽtat: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulãt me*. Id est, adversitatib⁹ quæ mihi objiciũtur, opponit varias cõsolationes: quas pergit explicare: *Impinguasti*

in ole-

in oleo caput meum , & calix meus inebrians quàm præclarus est: ac ne putes defuturam horum bonorum perseverantiam, subdit: *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ: & ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum* : Jam vide quid timere ac diffidere debeas sub tàm potenti, & clemente regimine.

Collige 2. Incredibilem mortalium ingratitudinem, qui tot beneficiis à Deo provocati legitimum suum Regem non agnoscunt: neq; ipsi obediunt: Ps. 102. *Benedic anima mea Domino, & noli obliviscì omnes retributiones ejus : qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordiâ, & miserationibus: Qui replet in bonis desiderium tuum , renovabitur ut aquilæ juventus tua.*

Collige 3. Hinc existere summam Eleemosynæ dignitatem, quâ fit ut quilibet pauperi Rex fiat: Etenim beneficio homo homini DEVS: Et quidem apud veteres Divinitas illis hominibus tributa est qui cæteros adjuverunt, aut opem tulerunt, aut beneficio affecerunt: Ita Tripolemus, Ceres, Bacchus, & alii, quòd fruges, & vites hominibus ostendissent: Tu idé potes, cùm præsertim te utatur Deus ut pauperi subvenias: Adde quòd negari non potest, exiguâ eleemosynâ regnum comparari: Audi enim quid dicatur, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, esurivi enim, & dedistis mihi manducare*: Quantum illud est, ut des panem & regnum accipias? quantum illud, ut quod tam multi fuso sanguine, innumeri multis laboribus sibi comparant, hoc idem tibi emas eleemosynâ exiguâ, etiam calice aquæ frigidæ, si nihil aliud habeas ? Ac vide virtutem eleemosynæ quæ non modò nihil diminuit bonorum, sed auget, ita ut plus tibi supersit postquam dedisti, quàm haberes, antequam dares. Vidisti exemplum in hodierno miraculo: audi quid dicat Apostolus 2. Cor. c. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet* : hoc ad litteram verum est, & in sensu morali quoad Eleemosynam: *& qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet* : Hebraismus est, & idem est quod largè, & copiosè, unde alii vertunt in magnificentiâ: *Unusquisque prout destinavit in corde suo*, id est, ut quisq, vult: Ambrosius: secundùm præceptum cordis sui: *non ex tristitiâ, aut ex necessitate*, id est, non ægrè, aut ex imperio alterius, aut ne videatur aliquis minùs facere quàm alii: *hilarem enim datorem diligit Deus*, id est voluntarium. *Potens est enim Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum*: Hîc pollicetur Apostolus, futurum, ut Deus qui omnia potest eleemosynam ita refundat in dantem, ut cùm habeat quòd ipsi sufficiet ad necessitatem, semper abundet, ut omnia charitatis officia exequi posset: Id confirmat testimonio Davidis, *Dispersit dedit pauperibus justitia ejus manet in sæculum sæculi :* licèt enim videatur quod sparsum est in pauperes periisse, fructus tamen justitiæ seu Eleemosynæ non perit, mercedem enim reddit Deus: *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrũ, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ*: Nam quod facit in temporalibus, faciet etiam in spiritualibus, *ut in omnibus abundetis*: quam abundantiam, cumulabit gloriâ, ad quam nos perducat Christus.

Amen.

DOM.

DOMINICA QUARTA
IN QVADRAGESIMA.
CONCIO SECUNDA.

Cur Christus fugerit cùm eum Regem facere Iudæi voluerunt.

Iesus ergo cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipse solus.
Joannis 6.

ADMODVM frequens & usitatum est in sacra Scripturâ, ut in luculentis magnificisq; conviviis quæ proponit, deligantur complures qui ad ea convocent atq; invitent universos: Ita Proverb. 9. ubi Sapientia *proposuit mensam suam. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcẽ, & ad mœnia civitatis: Si quis est parvulus veniat ad me: & insipientibus locuta est, venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Similiter apud S. Matth. c. 22. postquam dictum est: *Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo:* Additur: *Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias:* Atq; ut significetur, omnes vocari, dicitur consequenter: *Iterùm misit alios servos dicens, Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, & alia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias.* Idem munus hodie mihi commissum est, ut vos ad Christi convivium invitem, ad quod licet venerit magna hominum multitudo, & pro tantâ multitudine quinq; tantùm sint panes hordeacei, & duo pisces, quia tamen Christus sic jubet *facite homines discumbere*, vos etiam ad hoc admirandum conviviũ invito, præsertim quia post saturata quinque hominum millia, tantùm superfuit ex panibus, ut ex collectis fragmentis duodecim cophini repleti sint, qui satis esse possunt ad innumeros mortales pascendos: corporaliter quidem, si Deus vellet: sed spiritaliter post tot sæcula totã Ecclesiam, & nos quoque, si modò animis, uti oportet, adesse velimus: atque ut id fiat utiliter opem à cœlo accersamus: hanc nobis B. Virgo deposcet. AVE MARIA.

QUOD Scriptura sancta, ac præcipuè novum Testamentum altæ sit intelligentiæ, id docuit Isaias cum Redemptorem nostrum vocavit βαθυφῶνον hoc est profundi sermonis: Ita Christus Matth. 13. se vocat thesaurum absconditum in agro, quem antequam reperias diu scrutari oporteat: Eodem sensu S. Gregorius divinam Scripturam appellat fluvium in quo agnus ambulare, & Elephas natare possit; primum ob litteræ simplicitatem; alterum ob intelligentiæ profunditatem: Atque ut cætera omittam, id ex hodierno Evangelio discere possumus, quod cùm in speciem nihil continere videatur præter simplicem miraculi narrationem, si tamen rectè intelligatur præclarissimam de Christo doctrinam continet; atque ut quæ sunt præcipua attingam; Tria potissimum, quæ magnam in se habent admirabilitatem.

Primum est panum multiplicatio facta in CHRISTI manibus, & Apostolorum, ait Ambros. & manducantium, ait S. Hilar. eò usque ut ex quinque panibus saturata sint hominum quinque millia exceptis parvulis & mulieribus, quorum fortasse numerus non erat minor. In quo expendendo miraculo, licet mortales plus immorari soleant, minimum tamen videtur intelligentibus, quia idem quotidie fit in naturâ, in seminum, & segetum multiplicatione: sed ut advertit S. Augustinus Tract. 24. in Joan. Licet majus miraculum sit quod quotidie tot hominum milliones, & animalia nutriantur DEO cibum subministrante; hæc tamen quotidiana miracula assiduitate viluerunt: Unde subdit. Majus miraculum est gubernatio mundi totius, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus; & tamen hoc nemo miratur; illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarum est.

2. Quod habet admirabilitatem ut dixi superiori concione illud est, quòd cùm Judæi in Christo plurima vidissent miracula, cæcorum illuminationem, claudorum erectionem, sanitatem leprosorum, Dæmonum ejectionem, immò etiam mortuorum suscitationem, nunquam tamen cogitarint de eo in regem assumendo, nisi hujus miraculi occasione, cùm tamen alia miracula isto majora fuisse, aut non saltem minora videantur.

Verùm hunc populi sensum non admodùm mirabilem nobis videri debere ostendi, tùm quòd ita facti sint populi ut eos nihil plus afficiat quam venter: tùm quod ut uberiùs dixi; sic passim homines etiam sapientes judicarunt, præcipuum imperii finem esse populum pascere, & eum aptissimum imperio, qui sic populum pascere posset. Verùm quoniam de utroque actum est, superest ut de tertio agamus.

3. Itaque quod in nostro Evangelio continetur est fuga CHRISTI Domini: *Cum enim Iesus cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipse solus*, quod quanquam mirabile alicui videri posset, quoniam de facto Rex erat, & naturâ & institutione Divinâ, secundùm illud Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*: Unde Ioann. 18. roganti Pilato Num esset Rex: *Ergo Rex es tu? respondit ei, Tu dicis, quia Rex ego*, immò subdidit se ad hoc esse natum, ut hanc veritatem testaretur: *Ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in hunc mundum, ut testimonium perhibeam veritati*; & omnium Scripturarum una vox fuit, ipsum fuisse Christum seu Regem in lege promissum: Ex quo constat non futuram in ipso injustam regni usurpationem: licet inquam hæc ita essent, maluit tamen illud populi studiũ, maturâ suâ fugâ prævertere: sanè justissimas ob causas: & eas quidem fortasse vobis parum notas: sed age illas aperiamus: saltem ex multis has paucas subjicio.

Prima

Prima fugæ Jesu Chuisti causa extitit, ut nos edoceret, fugam omnem non esse probrosam, generosoque animo indignam, quemadmodum in bello nonnunquam recepti laudabiliores sunt, quàm futuræ pugnæ: quod quidem induxit S. Ambrosium ut diceret libro de Fuga sæculi capite 4. non erubescamus fugere; gloriosa enim hæc fuga est, à facie peccati: ad cujus rei probationem hæc subjicit exempla: Sic fugit Jacob, Matre suadente: sic fugit Moyses à facie Regis Pharaonis, ne eum aula Regia coinquinaret, aut irretiret potentia: sic fugit David à facie regis Saül, & à facie Absalon; denique fugiens agebat incrementa pietatis, qui & insidiatori pepercit & parricidæ salutem rogavit. Hæcille. Vera hujusce ratio est, quia duo sunt peccatorum genera: Nos alia pelliciunt blanditijs & illecebris; alia vi ac violentiâ pertrahunt: Melior faciliorque ratio vincendi priora, fit effugatio; Superantur altera resistendo, & adversùs ea certando: at peccatorum omnium quæ fugâ vincuntur, duo præcipua sunt, ambitio & luxuria: Quod ad primum attinet: Angelus præcepit magno Arsenio, ut ex aula recederet, fugeretque de sæculo: Fuge Arseni, Arseni fuge: Ita Moyses ut ait Apostolus Hebr. 11. *Fide reliquit Ægyptum non veritus animositatẽ Regis*, quod & mox dicebat Ambrosius: Et hoc quotidie videmus evenire spiritalibus etiam hominibus: Quotusquisque enim est qui in aula suam conservet innocentiam? Scilicet aulæ splendor oculorum aciem perstringit, & quæ, cùm abesses damnare consueveras, in ipso usu eadem tibi placere incipiunt, & ab accusatore transis in defensorem. Itaque illo sensu & proposito Christus aufugit, non quod ipse fugâ egeret, sed ut nobis fugiendi exemplum daret. Sed super omnia, fugienda sunt vitia carnis? secundùm illud Apostoli 1. Corinth. 6. *Fugite fornicationem*: Nam cum in cæteris vitijs, ut ait S. Thomas, quantò magis quis considerat particularia, eò minus invenit unde delectetur, magis verò quod abhorreat: In hoc autem vitio, particularium consideratio, & cogitatio vehementiùs afficit, atque incendit, nam ex imaginatione facillimè commovetur caro ad opus, quod maximè secundùm carnem est: hũc igitur hostem, qui valet vincere, fugiat, id est, ipsas etiam primas, & solas hujus generis cogitationes, atque phantasmata, penitus ab animo repellat, & minimas occasiones sedulò vitet. Cujus illustre habemus exemplum in Patriarcha, Ioseph, qui uti dicitur Genes. 39. Cùm ab hera de stupro sollicitaretur, cùm ipsa tantum verbis ageret, sibi ipse egit verbis, ut crimen dehortaretur. *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es. Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Sed postquam apprehensâ laciniâ vestimenti ejus, eum sollicitavit ad facinus: *Relicto in manu ejus pallio suo fugit & egressus est foras.* In quam rem sic Philosophatur Ambrosius libro de Ioseph: Non pluris fecit vestimenta corporis, quàm animi castimoniam: Reliquit tanquam non sua, quæ adultera suis manibus detinebat: & aliena judicavit, quæ tactu impudico poterant comprehendi: Magnus quippe vir, qui venditus, servile tamẽ nescivit ingenium: adamatus non redamavit; rogatus non acquievit, comprehensus aufugit, qui cum uxore Domini conveniretur, teneri veste potuit, animo non potuit: ac ne ipsa quidem verba, diu passus est; contagium enim judicavit, si diutiùs moraretur, ne per manus adulteræ, libidinis incẽtiva trãsirent: itaque vestem exuit, crimen excussit, & relictis quibus tenebatur exuvijs, spoliat⁹ quidẽ, sed nõ nudus aufugit, qui erat tectior indumento

mento pudoris: non est enim nudus, nisi quē culpa nudaverit. Sed satis. Quod si hæc verissima sunt, quid te putas castum futurum inter tot occasiones, & libidinum incentiva? Putas, te innoxium victurum inter delicias, inter cœtus virorum, & mulierum? fuge Arseni, fuge sæculum, nec te vanâ fortitudinis specie delude. Ita periit David, ita periit Salomon, ita periit Samson. Disce exemplo Christi fugere. Gloriosa enim hæc fuga est fugere à facie peccati.

Secunda causa fugæ Filii Dei fuit ut declararet nobis, se fuisse Regem, meliore titulo quam favore & benevolentiâ populi beneficio devincti; atque ut non videretur debere sceptrum suum & coronam plebi, frustulo panis allectæ: cùm naturaliter suâque ex stirpe Rex esset, neque alieno arbitrio, factus quasi tributarius ipsorum beneficentiæ, gratiæque debitor. Quâ de conditione Regis in Christo, dicere nunc plura supersedeo, cùm de eâdem illâre sim alio in loco dicturus

Tertia fugæ Christi causa fuit, ad significandum nobis, nunquam fidendum esse populorum gratiæ ac studio, commotæque plebis æstui. Et quidem ejus exitum attende: ijdem ipsi qui statuerant illum abripere, ut ad Regiam dignitatē eveherent, altero post die recusarunt in eum credere, & postquàm oculis suis vidissent pleraque miracula quæ fecerat, in seque ipsis postremum istud experti fuissent, novum signum, aliudque miraculum ab illo expetiverunt, quasi priora non sufficerent. Quonam porrò abijt ingens ille æstus animi, quò vehemens studium grataque diei hesternæ memoria evasit? Sed aliquid amplius vide: Certè ijdem homines post visum miraculum suscitationis Lazari, cùm eum magno triumpho duxissent Hierosolymam, cum faustis acclamationibus *Hozanna Filio David*, paucis post diebus eundem ad mortem postularunt *Tolle, tolle, crucifige. Nolumus hunc regnare super nos: Non habemus alium Regem, nisi Cæsarem.* Equidem nullum fretum, nullum mare Adriaticum, nullus Euripus, plures habeat mutationes, quàm habeat mundus, quàm habeat vulgus: Vide miserabiles exitus summorum Regum. Romulus à suis discerpitur: Cæsar in Senatu ab iis quos maximis beneficiis devinxerat, transfoditur: Tullius Hostilius à privigno interimitur, & à filiâ Tulliâ conculcatur: plurimi Imperatores Occidentis & Orientis à suis militibus & à Prætorianis occiduntur: An putas te unum excipiendum? Tibi uni mundus existet fidelis? tu solus eris securus? Certè hoc Christi monitum Matth. 10. ad omnes pertinet: *Cavete autem ab hominibus*: & illud aliud, ibid. *Nolite arbitrari quia pacem veni mittere in terram: non veni pacem mittere sed gladium: veni enim separare hominem adversus Matrem suam, & Nurum adversus socrum suam: & inimici hominis domestici ejus.* Vide quali Domino servias, hoc est mundo, hoc est populis, hoc est aulæ, hoc est principibus, & in universum hominibus. Quid non facis ut placeas, ut habeas approbatores, & laudatores? Quam securiùs, & quàm generosiùs egit Apostolus uti scribit 1. Cor. 4. *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer aut ab humano die, sed neque meipsum judico*: Quod si neque tibi fidere vales, quomodo id poteris alijs? Ab aliis pete exemplum, neque persuadeas qui aliis fuerunt infidi, tibi uni fideles esse futuros. Tu id apud te reputa, dùm aliam fugæ Christi Domini causam inquiro.

4. Igitur causa fugæ Christi Domini hæc fuit, ut ostenderet mundanos honores non modo esse contemnendos, sed etiam omni ratione esse fugiendos. 1. Quia vani sunt: 2. Quia periculosi: 3. Quia violenti. 4. Quia seditiosi: quæ si vera sunt respectu omnium honorum mundanorum, multo magis respectu Regiæ Dignitatis: nam quod omnibus honoribus mun-

mundanis convenit, certè supremo potissimum convenit.

Dixi 1. Honores mundanos vanos esse: quia nihil habent solidi, sed inania sunt nomina, & pura somnia. Hoc significavit Isaias cùm cap. 4. sibi dictum scribit. *Clama: & dixi: quid clamabo? omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos agri, exsiccatum est fœnum, & cecidit flos*: Id exponens Gregor. 17. Moral. Iniquorum quippe potentia fœni floribus comparatur, quia nimirum carnis gloria, dum nitet, cadit; dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Vnde ad filios suos sic loquitur Matthias 1. Machab. cap. 2. *Et à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus, stercus, & vermis est: hodie extollitur, & cras non invenietur, quia conversus est in terram suam, & cogitatio ejus periit.* Hinc factum ut Sapiens cap. 6. Sapientiæ, per omnes vitæ hujus partes discurrerit, ut hanc rerum vanitatem describeret. *Quoniam spes impij, tanquam lanugo quæ à vento tollitur*: Lanugo est levis admodùm pulvis qui ludibrium ventorum est, aut exiles flocculi qui super arborum frondes apparent: *tanquàm spuma gracilis quæ à procella dispergitur*: quod maximè fragile est supra aquas, spuma est, quam agitatio minima dissipat ac delet; *& tanquàm fumus qui à vento diffusus est*: fumus qui ab igne prodit, & ventus qui in aëre creatur, simul se commiscent, pariterque transeunt, nec quidquam nobis relinquunt nisi vanitatis rerum humanarum imaginem cujus homines ipsi veram nobis speciem præbent: *Et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis*: quoniam nihil constitit, sed aufugit tanquam veredarius cursor qui præterierit, & cujus sola nobis recordatio manet. Quæ verba Sapientis expendens S. Damianus libr. Epistola 17. Qui tot momentanearum rerum exempla congessit, non tam vile quid esse, omnem mundanam gloriam, quàm nihil esse significavit; unde passim authores ut id exprimant. undique colligunt symbola vanitatis, & rerum, ludicrarum, ut earum vanitatem nobis describant. Sed nemo de eave rius judicare potest quàm ij qui illa potiti sunt in vita sua, & ejus experientiam habuere; Audi, quomodo loquuntur Sapientiæ, cap. 5. *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis*: vide quid prodesse poterit. *Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam*: &c. *aut tanquam avis quæ transvolat in aëre*, &c. *aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum*: &c. *sic & nos nati, continuo desivimus esse*, quibus verbis, nihil significantiùs dici potest ad exprimendam rerum omnium vanitatem: unde pulchrum Samuëlis monitum 3. Reg. capit. 12. *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt.* Gregor. in eum lucrum. Quidquid enim hoc sæculo lætum delectabile, sublime, aut prosperum cernitur, vanum profectò est, quia difficilè habetur, & citò amittitur. Et hoc pertinet ad DEI providentiam, ut omnia mundana talia essent, ne qui ea possiderent superbirent: aut qui amitterent, desperarent: ne ut ait Naz. Ora. 7. vel adversitas solatio, vel prosperitas fræno careat. Hinc rectè monet David Psalm. 38. *Ne timueris cum dives factus fuerit homo*: quod exponens Augustinus: Noli expavescere divitias & gloriam sæculi, quoniam caduca ista sunt, & citiùs abeunt, quàm veniunt: somnium est iste thesaurus: evigilas, & recessit. Hinc puto factum ut Scripturis non nisi ferè in somniis repræsentati sint honores futuri, & hominum exaltationes: Ita Josephus vidit in somniis futuram suam in Ægypto exaltationem: *videte somnium meum*: Ita Pharao vidit in somniis septem annos prosperitatis:

In somnio ostensa Reginæ Esther exaltatio, & victoria Gedeonis: In somnio promissa Salomoni Sapientia, divitiæ, gloria: In somnio ostensa Josepho restitutio Pincernæ Pharaonis; ostensæ omnes Monarchiæ Regi Nabuchodonosor; Danieli victoria, & successus Regum innumerorum, & multa similia, quæ tantùm in somniis ostensa sunt: Quia ut ait *Ambros. lib. de Joseph. cap. 6.* omnis potentia sæculi somnium est, non veritas. Itaque Tertull. in Apologet. omnia, imaginaria in sæculo, & nihil veri: benè itaque dixit *Augustinus* somnium est iste thesaurus, evigilas, & receßit: Sed nihil dici potest expressius, quàm quod Deus præcipua mundi imperia ostendit Nabuchodonosori non tantũ in somniis, sed etiã sub figurâ Idoli, quo nihil vanius dici potest: Nam ut ait Apostol. 1. ad Cor. 8. *Nihil est idolum in mundo*, quod apud Isaiam vocatur mendacium, & certè ajunt maximum, quia maximam veritatem negat omnium: Verùm igitur est quod dixi summam esse in honoribus mundanis vanitatem.

Dixi 2. Honores mundanos esse periculosos, de quib⁹ in universum dici potest quod dixit *Augustinus* de favore Principum; Per magna pericula ad majus periculum pervenitur. Certè ad omnes via lubrica est, unde in viâ quâ ad illos itur, plurimi cadunt, & cùm ad illos perveneris, gressus, & status est in ancipiti: itaque eò perveniße, nec felicitas est, neque securitas. Quod non sit felicitas, patet ex eorum qui pervenerunt testimoio. Cùm Regi Antigono anus quædam de adepto regno gratularetur: Si scires, inquit, ô Mater, quàm multorum malorum sit hic pannus, ostendebat autem Diadema, eum in stercore jacentem non tolleres: *Apud* Vopiscum, cùm amici Saturninum ad Imperium vellent extollere, sic eos allocutus est: Nescitis amici, quid malum sit imperare: nam & gladii, & tela nostris cervicibus impendent, imminent hastæ, undique spicula; Ipsi custodes timentur: ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate: non iter pro authoritate: non bella, pro judicio: non arma pro studio: Nam quod Imperatorem me cupitis in mortis necessitatem me trahitis: sed habeo solatium hoc mortis, quod solus perire non potero. Hæc ille. Sed quàm illud miserum, omnes tibi esse suspectos. Salustius in Jugurtha: Ingenia Regum, prona ad formidinem: Item quàm miserum ut omnes verearis: ut enim ille ajebat; Necesse est illum omnes timere, quem omnes timent. Quàm miserum ut cogaris esse in omnium odio. Seneca in Thebaide. Regnare non vult, esse qui invisus timet. Simul ista mundi conditor posuit Deus, odium atque regnum. Unde cum alter alteri pœnas oraret, responsum est illi: Pœnas & quidem solvet graves, regnabit. Deniq; quis non credat, cùm eo perveneris, te magnam pacem esse consecutum? sed contrario planè eventu: Verè enim dixit Salustius, Maximo Imperio, maximam curam inesse. Vide quid dicat Seneca in Cons. ad Polyb. Omnium somnos illius vigilantia defendit: omnia otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Jam quòd nulla etiam sit securitas, hinc patet, quòd non diu honores possidentur, sed brevi caditur: unde Seneca in Thyeste. Quem dies vidit veniens superbum, hunc dies vidit fugiens jacentem. Et Agamemnon in Troade sic fatur: Magna momento obrui vincendo didici. Quod ille vincendo didicerat, innumeri pereundo didicerunt.

Dixi 3. Violentos esse, nimis frequente experiẽtiâ in omnia tempora, & in omnia regna. Certè passim videbis aditus & exitus Regiarum humano sanguine respersos esse. Unus Abimelech Gedeonis spurius filius ludicum 9. ut ad regnum perveniret 70. fratres legitimos super unum lapidem, quasi super

idem

idem altare ut hostias peremit: innumera sunt hujus rei exempla: unde illius vox: Si jus violandum imperij gratia violandum est; aliis in rebus pietatem colas. Et apud Senecam sic loquitur Polinices in Thebaïde: Pro regno velim patriam, penates, conjugem flammis dare. Imperia pretio quolibet constant benè. Ita Absalon ut Patris loco regnaret, quæ scelera non commisit?

Dixi 4. Seditiosos esse: hinc illa vox in nostro Evangelio. *Cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum Regem*: quæ vox seditionem importat. Bene itaque Christus Dominus fugit, ut nos doceret honores mundanos omni modo fugiendos esse, contra quàm facere solent plerique mortales qui omnibus modis illos insequuntur, nulla habita ratione conscientiæ, Iustitiæ, Fidelitatis, fœderis, amicitiæ, legum, & juris humani, atque divini, præsertim si de honore supremo agatur. Sed exemplo Christi Domini, quàm multi fugere didicerunt! Itaque solitudinem multitudini prætulit, & Vrbibus, aspera montium. Fugit autem ad orationem, quia nemo in oratione discet eas dignitates acceptare: Vide varia in plurimis exempla in Ambrosio, Gregorio Nazianzeno, Iudicaële, & Iudoco Armoricæ Principibus, & in aliis innumeris qui dignitates recusarunt, aut fugerunt, aut reliquerunt.

Verùm suprà omnes illius fugæ causas, hanc esse verissimam arbitror. Nempe quòd Salvator nobis demonstrare voluit, aspirare se ad aliam Regiæ dignitatis speciem, alio nutrimenti genere, alimentoque pretiosiori quod hominibus præparabat. Vt hoc melius intelligatur.

Nota 1. antequam Filius Dei sermonem exorsus fuisset de divina Eucharistia, quia res erat valdè extraordinaria & fidem omnem superans, præparasse illum animos miraculo multiplicationis panum. Hoc significavit Ioan. 6. Quando dixit iis qui post hodiernum miraculum, postridie eum quærebant. *Amen amen dico vobis: quæritis me, non quia vidistis signa*, id est miracula, *sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.* In quibus verbis, illud miraculum in panibus, & piscibus editum, ad corpus alendum, & explendam famem, comparat cum alio majore, multòque magis stupendo miraculo, quod promittit, dandi cibum qui non perit, ut est cibus terrenus sed qui permanet in vitam æternam: hic est cibus, de quo dixit posteà: *Accipite, & manducate, hoc est enim corpus meum*: quem cibum in hoc Ioannis loco, se daturum promittit, inquiens: *quem Filius hominis dabit vobis*: Probat enim se posse facere quod promittit, eo quod sit Deus, utpote Dei Filius: Id enim significat, quod subjungit: *Hunc enim Pater signavit Deus*: quem locum interpretatus S. Hilarius 8. de Trinit. Signavit enim per Sacramentum nativitatis, ejusdem naturæ unitatem: hæc est enim, inquit, natura sigillorum, ut omnem in se impressæ speciei exprimant formam: & in hoc sensu dixit Paulus ad Philippens. 2. *Qui cum in formâ Dei esset*: Et Hebr. 1. *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus.* Ergo quia miraculum, & illô quidem quod in panum multiplicatione edidit, maius, promittebat, necesse erat de sua omnipotentia admonere, ne dubitarent, quibus promittebat: Fuit ergo priùs illud miraculum, posterioris præludium, atque præparatio, ut scilicet maius aliquid sperarent, quod dignum esset non tantum Propheta, sed Filio Dei.

Nota 2. Si unquam se Iesus Christus pro Rege gessit, Regiamque dignitatem suam ex-

exhibuit, feciſſe id in inſtitutione divinæ Euchariſtiæ. Quamobrem, propriè loquendo, in eo Sacramento Regis munus exercet.

1. Quoniam illud inſtituens ſenſum Regium mentemque ſuſcepit. Audi enim quid dicat Sanctus Joannes capit. 13. *Sciens Ieſus, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit:* Vide quo ſenſu Sacramentum inſtituerit: quod nimirum omnia poſſet, ſicut Pater; & quod ei à Patre omnia eſſent commiſſa, nam manus poteſtatem deſignat; item ſciens ſe eſſe Filium Dei naturalem, ad quem eſſet rediturus, & ad ejus dexteram ſeſſurus; denique ſciens ſe brevi homines relicturum; itaque hoc tempus ſibi ſolum eſſe reliquum, quo ſolent homines illud oſtendere quod maximè ſentiunt; opus fecit dignum ſuâ omnipotentiâ, ſuâ celſitudine ſuòque amore extremo: ſecundùm illud, *cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*: Itaque fecit ſuorum operum conſummationem, & ſic affectus hoc Sacramentum inſtituit.

2. In eo, quod illud ſuſceptum Regio ſenſu, executus eſt magnificentia planè Regia, ſuperans in divino eo convivio, ſumptus & magnificentiam Regum omnium terrenorum. Quid hîc memorem convivium Regis Aſſuëri de quo cap. 1. Eſther. *Tertio igitur anno Imperij ſui fecit grande convivium*, &c. *ut oſtenderet divitias gloriæ regni ſui*, &c. *multo tempore centum videlicet & octoginta diebus*, hoc eſt ſex menſibus. Item epulum Regis Balthaſaris, de quo Daniel cap. 5. *Fecit grande convivium, optimatibus ſuis mille*: aut convivium Herodis Antipatris in die ſuo natalia, ubi pro ultimo ferculo appoſuit caput Joannis Baptiſtæ, multis mundis pretioſius: aut Ptolomæi Regis Ægypti, qui non niſi uniones diſſolutos, aut avium pretioſarum cerebella appoſuit: aut Luculli qui cœnam amicis appoſuit 150. millibus aureis æſtimatam; aut Regiæ Cleopatræ, quæ unico potu ebibenda dedit Antonio 250. millia, aureorum: quæ omnia Chriſtus longo intervallo ſuperavit, nam ſeipſum Deum in eſcam reliquit: Zachar. 9. *Quid enim bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Quod ſi Chriſtus humano epulo viſus eſt regiam dignitatem meruiſſe, quantò magis hoc divino id meritus eſt: Itaque S. Valerianus homil. 16. de bono Martyrij. Diſcite ergo, inquit, ex hoc Deum diligere, qui ſe quotidie cœleſti imperio ſanguinis ſui effuſione commendat. Certè quàm illud Regium omnes omninò nationes, quotidie tot ſæculis paviſſe, integro ſemper convivio? Apud Caſſiodor. lib. variar. epiſt. 9. Theodoricus Rex Italiæ Regalis menſæ miniſtrum ſic extollit: Dum epulas ſolicitâ ordinatione diſponis, non ſolùm noſtro palatio clarus, ſed & gentibus neceſſe eſt reddaris eximius, & ſtupent abundantiam unius menſæ tantas ſervientium turbas poſſe ſatiare, ut judicent conſumptare creſcere. Sic ille. Ita ex divinâ Euchariſtiæ abundantiâ, maxima oritur Chriſti commentatio Malach. 1. *Abortu Solis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus; & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Sanctus Cæſarius S. Baſilii frater, relatus à Franciſco Turriano tract. 2. de Euchariſtia, cap. 25. rem optimè exprimit: Credimus verbo Dei propriè & firmè eſſe divinum Corpus, quod ſuper menſam ſanctam conſecratur, & inexhauſtè participatur: nec enim Sol finem facit præbendi ſplendorem indigentibus luce; neque mare per ſuppeditationem ſalis impertitum, de vaſtâ magnitudine decedit; neque ignis infinitas lucernas incendens flacceſcit, non deficiente qui flammam excitet; neque rurſus aër reſpiratione omnium animantium decreſcit. Id ſignificatum in hodierni miraculi fine quando collecti ſunt duode-

odecim cophini ex reliquiis panum multiplicatorum: Nam ut ait S. Ambros. lib. 7. in Lucam, Fidei census nunquam exinanitur: licet totum dederit, totum habet, quia quod donavit, non amittit.

3. Quia in eo Sacramento optimi Regis officium implet, etenim & pascit populum, & vestit, & defendit, & regit, secundùm illud Davidis Ps. 22. *Dominus regit me, & nihil deerit, in loco Pascuæ ibi me collocavit: super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit,* &c. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me: impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est!*

4. Quia eo modo inter nos vivit, sicut Imperator in medio populi, aut exercitus sui, illud implens quod dixit Ezech. c. 37. juxta versionem 70. *Percutiam illis fœdus, & ponam Sancta mea in medio eorum in sempiternum*: Per Sancta, intelligo carnem Christi vivificam, & suâ virtute sanctificantem. Sic enim Paulus interpretatur Sancta ista Actor. 13. *Quod autem suscitavit eum à mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis Sancta David fidelia: Ideoque & aliàs dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionẽ*: Ita frequenter dicimus in sacrificio Missæ, *Sancta tua*, intelligentes Corpus & Sanguinem Christi. Hæc igitur Sancta in medio nostrùm sunt, quia in Ecclesiis quæ sunt in medio nostri, reposita sunt. Itaque subdit, *Et erit tabernaculum meum in eis*. Non igitur tantùm in nobis est Christus, secundùm illud, *Quoniã inhabitabo in eis*: sed etiam in medio nostri, ut impleatur illud, *Ponã sancta mea in medio illorũ*: unde consuetudo Ecclesiæ collocandi Sancta in Tabernaculis: & inde magnâ fiduciâ habitamus in Vrbibus, & adimus Ecclesias, ubi scimus esse nostrum Sanctificatorem: sicut ait idem Ezechiel ibid. *Et scient gentes, quia ego Dominus sanctificans eos, eo quod Sancta mea in medio eorũ sunt*: Sicut olim Tabernaculum in deserto, & Arca in medio castrorum & populi collocabantur.

5. Id patet ex honore qui ei defertur in Sacramento: Nam licet Deum ubique, & in omni occasione veneremur, nullibi tamen tantus honor deferatur externus Deo, quantus in hoc Sacramento, ubi verè se Regem præstat. Vide enim quâ pompa, & qua magnificentia deferatur: Item quàm religiosè tractetur. Vide ejus Basilicas, & templa: Vide vasa aurea, & argentea: Vide ornamẽta, tapetia, imagines, statuas: Vide Ministros, & Ministrorum diversos ordines, quo ritu, & quibus ceremoniis delectos, & initiatos: Vide innumeram cereorum multitudinẽ, & alia plurima quæ satis ostendunt, Regi cuidam supremo præstari obsequia. Sed si liceret, intueri Angelos præsentes, quo timore, qua reverentia quo cultu assistãt! Qui hoc viderat, teste S. Nilo. B. Chrysostomus ideò hoc mysterium semper appellat φρικτὸν formidabile, atque horrendum; ut scias in hoc Mysterio Christum verè Regem agere.

QVID ex hoc toto discursu supereſt, nisi ut cum Christo in Eucharistia existente, ita nos habeamus, ut cum Rege solent Aulici: *Humanũ dico propter infirmitatẽ carnis vestræ*: Videamus itaque qua ratione se gerant Aulici in Curia coram Rege, qua modestia, qua reverentia, qua ad Regem attentione. Pudeat homines Christianos plùs homini mortali deferre quàm Deo.

Hic excitandi Auditores, & ad reverentiam Deo in Templo exhibendam, ubi Christus in altaribus jacet, & ad puritatem mentis & corporis in sacra Communione: ut nihil tanto Rege indignum faciant, quin potius imitentur Angelos & in cœlo, & in templo: nam utrobique idem Rex adest; & utrobique eodem cultu, & eodem honore dignus est. AMEN.

FERIA SECVNDA
DOMINICÆ QVARTÆ
IN QUADRAGESIMA.

CONCIO PRIMA.

Invehitur in profanationem Templorum per irreverentiam.

Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.
Joan. 4.

CUM tam admirabilis fuerit Christi mansuetudo, ut quantacunque iniuria lacessitus, nihil unquam rependerit, secundùm illud 1. Petr. 2. *Qui cum malediceretur non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injustè.* Et Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*: & c. 42. *Non clamabit, neque accipiet personam nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terrâ judicium, & legem ejus insulæ expectabunt*: unde fit ut hodie in Evangelio tanta Christi severitas ferè usque ad iracundiam describantur, dum facto de funiculis flagello magna indignatione expulit è Templo ementes & vendentes, & mensas nummulariorum effudit. Nimirùm erudire nos voluit, cùm res Dei agitur legitimam esse zeli materiam, unde adjcit; *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Itaq; qui sunm honorē, necquæsivit, nec defendit, sui Patris honorē tam acriter defendit, tam strenuè quæsivit; cōtra quā facere solent mortales, qui si injuriam acceperint, omni modo vindicare solent, & hominum injurias punire; sed si Deus fuerit offensus vel blasphemiâ, vel sacrilegio parùm curant, & vix puniunt. Inter cæteras autem adversus Deum offensas, illæ non sunt omnium minimæ quæ in templis & locis satis committuntur: quarum gravitatem ut quantùm par est æstimem⁹, gratiā deposcam⁹ Spiritus S. ad quā obtinendā juvabit nos Virgo Sanctissima, quā verbis Angelicis salutam⁹. AVE MA-

RIA. SI

SI puri Spiritus essemus, inquit Sanctus Chrysostomus, exhiberemus Deo cultum purè spiritualem, uti faciunt Angeli: sed quia sicut doctè disserit Sanctus Joannes Damasc. lib. 4. de fide orthodoxa, cap. 13. ex visibili simul, & invisibili, hoc est, ex ea natura quæ intelligentiâ percipitur, & ex ea quæ in sensum cadit, constamus; ideò duplici adorationis genere, illum rerum omnium parentem, & architectum afficimus. Sic & mente, & corporis labijs psallimus; aquâ simul ac spiritu baptizamur; & duplici modo Domino copulamur, nempe dum Sacramenta, & Spiritus gratiam percepimus. Porrò inter externos cultus quos Deo reddimus, non ultimum locum obtinent Templa, in quibus ferè omnia quæ ad cultum Dei externum pertinent; ut oratio, sacrificia, sacramenta, & alia id genus, peraguntur. Nam licet Deus ubiq; coli possit, quoniam Deus ubique est, unde Philo hoc universum, numinis Templum esse dixit; & quidem cœlum ejus Templi est sacrarium, Donaria sunt Astra, Sacerdotes & Æditui sunt Angeli; immò Cleanthus apud Epiphanium dixit Mundum esse quoddam perpetuum: Tamen peculiariter in templis cultus est Deus, ut paret ex consuetudine omnium Nationum? unde ita Lex præcipit Deut. 12. *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris: sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus.* Id à simili explicat Felix IV. ante annos mille, in Epistola quam scripsit ad omnes Episcopos de Consecratione Ecclesiarum. Sicut enim inquit, non omnes passim offerunt sacrificia sed Sacerdotes; Ita nec ubique; sed in locis Deo sacratis, quæ nos templa vocamus: de quibus hoc pronuntio; Ecclesias Christianorum summum esse decus nostræ Religionis; & easdem summum sensibile dedecus.

Quod pertinet ad decus summatim tango capita: In Ecclesijs enim tria spectari possunt; 1. Earum Ædificatio, deinde consecratio, denique Usus: & in ordine ad illa tria, quæ ad Ecclesiarum gloriam pertinent, Tria sunt Magnificentia, Sanctitas, Religio seu divinus cultus; in Ædificatione Magnificentia; in Dedicatione Sanctitas: in Cultus divini, ac Religionis exercitio, Usus Templorum. Sed de his aliàs à nobis dictum est, nec hoc argumentum præsentis est instituti.

Verùm alterum uberiùs à nobis tractandum est, nempe Templorum tractationem summum esse Religionis Christianæ dedecus, ne sit nobis mirum quòd Christus adeò commotus fuerit contra Templi profanatores, quos sum̃â indignatione expulit dicens, *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Certè enim justissima est S. Chrys. querela, nostrisque temporibus quàm ipsius accommodatior, quam facit Homil. 36. in 1. Cor. Ecclesia nunc est similis mulieri quæ à veteri prosperitate excidit, multis in locis sola habet symbola antiquæ illius felicitatis, & monilium quidem solas ostendit thecas, & arculas, divitijs autem est privata: ei, inquam, nunc est similis Ecclesia: Neque hoc solùm dico propter dona, non enim esset grave, si hoc solum esset, sed etiam propter vitam, & virtutem. Hæc ille, & plura alia. Sed venio ad probationes.

1. Enim quid memorem quibus Christianorum Templa dedecoribus 1. Ethnici, 2. Hæretici, 3. Impij homines profanarunt? quâ ratione altaria, vasa, Sacramenta, vestes, imagines, Sacerdotes, & sacros Ministros, varijs contumelijs affecerunt?

Equidem hæc consideratione digna sunt: In primis quod ex omnibus religionibus, nulla unquam Templa majori dedecore affecta sunt, quam Christianorum. 1. Quia alia vel mutata in melius, ut cùm à Christianis in suos usus traducta sunt; vel ex ignoratione & errore profanata, ùde impietas tantũ fuit exterior,

non interior; Nostra autem veris criminibus, & sceleribus profanata sunt. 2. Alia ferè ab Infidelibus ipsis; nostra autem à Christianis. Quid non enim Donatistæ, & Circumcelliones in Africa; Quid non in Germania Lutherani; Quid non in Gallia Calviniſtæ pergerunt? Quas Jeremiæ lachrymas non postulat hic locus? Theren. 4. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum?* 3. demum quia nulla major Christianæ Religioni irrogata fuit contumelia quàm in profanatione Temporum. Etenim Religio Christiana in personis ac locis continetur; at licet in personas atrociſſimè sævitum sit, id tamē cessit in Religionis gloriam; hinc enim Martyres extiterunt, & summarum virtutum illustria exempla: Sed Templorum Christianorum violatio non cessit nisi in dedecus Religionis, quod certè deplorandum est.

2. Ratio est, quia in nulla Religione irreligiosiùs habentur Templa quàm apud Christianos. Sanè omnis Religio vel falsa est, vel vera: si falsa, Paganorum fuit: si vera, iterum duplex, imperfecta, & perfecta: prima est Judaica, quia ait Apostolus Hebr. 7. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex; introductio vero melioris spei per quam proximamus ad Deum*; perfecta autem est Christiana, secundùm illud Apostoli Rom 10. *Finis autem legis, Christus*; Et Hebr. 10. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*; Et 1. Cor. 10. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem corruptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt* Et 1. Cor. 31. *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus, quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Sed vide qualiter Ethnici in suis Templis se gesserint. Ingressuri, monitu Sacerdotum calceos deponebant ut scribit in sua Apologia Justinus Martyr; Ingredientes in fana (inquit) solebant ἀποδύεσθαι calceos deponere; Sacrificaturi caput obnuebant, ne externis objectis distraherentur; Silentium pertinaciſſimè observabant; & si S. Chrysostomo credimus depicta olim visebatur in templis imago silentij. Quid memorem juvenis Ephœbi factum generosum ac religiosum sacrificanti Alexandro assistentis, qui brachium sibi aduri passus est ne aliquid turbaret, de quo Valerius Maximus, & S. Ambrosius? De Iudæis quid loquar? Certè apud illos tanta fuit Templi Salomonis veneratio, ut ne parietes quidem tangere populo licuerit; quam ob causam alij quidem superinducti sunt parietes, velut profani, qui sacros illos parietes tegerent, ut author est Gregor. Nazian. orat. 29. & petitur ex 3. Reg. capite 6. Nos verò quali modestiâ adimus Templa? quo habitu in illis manemus? Placet Chrysostomi stylum usurpare; Audi quomodo loquatur homil. 36. in 1. Cor. certè conqueritur Christianos pejus & immodestiùs esse in templis, quam in domibus privatis, immò quàm in foro, quàm in balneis, quàm in plateis, & sæpè quod horrendū est quàm in prostibulo. Vide enim quò fastu, & quò habitu ingrediuntur in Templa; quò non auderent in aulā, immò neque in domum privatā. Quò istæ salutationes in tàm Sancto loco? Jam vide quò habitu aut sedeas, aut stes, aut genu flectas, aut procumbas: Quò pertinet illa oculorum libertas, loquendi, & confabulandi licentia, & & sæpe ridendi immodestia? quæ omnia videnum cedant in Ecclesiæ dedecus. 1. enim quâ ratione magis dehonestari possunt nostra Tēpla, quàm ut illis ea facere audeas, quæ nullibi facere auderes. 2. quia hinc fortissimum argumentum peti potest contra Religionis nostræ veritatem; fieri enim vix potest, ut eò dementiæ homines venerint, ut si vera crederent quæ de Templis dicuntur ea in illis committerent.

3. Ratiò

3. Ratio est. Quia de facto summa scelera in Templis perpetrantur, ita ut homines alibi magis innoxiè se gerant quàm in illis. Equidem hic libenter vellem, pudori nostro parcere, & Matris meæ dedecus tegere: Sed quid dissimulare possum quod modis omnibus se prodit, & quod si tacuero, vel ipsi parietes loquentur? Hic enim dicere libeat, quod ait Propheta Habacuc c. 2. *Quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter jacturas ædificiorum est respondebit.* Legimus in Historiis aliquando in templis Paganorum, & in foro, Deorum statuas & virorum illustrium imagines aliàs sudasse, aliàs etiam illacrymasse: certè si Deus permitteret, non dubito quin in Templis nostris ipsa marmora ubertim lachrymas funderent, ac lugerent. Legimus in Historiis imaginem Crucifixi Aureliis in Templo S. Petri puellarum, magnam vim calidissimarum sudisse lacrymarum: *At* quas jam eadē Christi effigies non modò lachrymas calentes fundere non posset, sed etiam sanguineas, ut quæ in Templis scelera admittuntur, deflere? De sanguine fuso Abelis dictum est Gen. 4. quod vocem de terrâ mitteret, *Vox sanguinis Abel fratris tui clamat ad me de terrâ*: quantō magis sanguis Christi quotidie in altaribus fusus? Ego itaq; tacere non possum, quod tot ora, tot linguæ, tot voces, tot clamores dissimulare non patiuntur. Sed ut quod dicimus majorem habeat authoritatem, & illustriorem propositionem, Ezechielem Prophetam audiamus qui c. 8. spiritu prophetico scelera quæ in templis committūtur mirabili artificio describit, progressu facto à minoribus ad majora.

Narrat itaque se capillo capitis apprehensum, divinitùs sublatum fuisse inter cœlum & terram & deductum *in Ierusalem in visione DEI, juxta ostium interius quod respiciebat ad Aquilonem.* Sed ut sequens visio meliùs intelligatur, supponendum est duplicis generis peccata admitti in templis; Alia sunt publica, & plena scandali, quæ omnibus patent: alia sunt occulta quæ exteriùs non apparent, nisi facto quasi foramine: incipiamus ab externis, & publicis: *Ecce*, inquit Propheta, *ab aquilone porta altaris, Idolum zeli in ipso introitu.*

Nota 1. Idolum zeli fuisse Idolum Baal, quod dicitur Idolum zeli, vel ut vertunt Septuaginta Interp. Idolum possessionis, vel possessoris, hoc est Baal: vocatur autem Idolum zeli propter rationem positam in textu, *ad provocādam æmulationem* secundum Deut. 32. *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus.*

Nota 2. Illud zeli Idolum cùm esset in introitu, omnibus introëuntibus patuisse, & ita rectè significare peccata illa publica quæ fiunt in Templis, & ea quidem rectè designata per Idolum, propter sacrilegium. Nam quis referat quibus actionibus non dissimulanter offendatur in Templis gloria DEI; quo fastu quâ superbiâ, quâ irreverentiâ sese gerere passim homines in eis soleant? Modestius equidem ut jam dixi se habent in plateis, in domibus privatis, in foro, in Curiâ, in Palatio, in Aulâ. Quid dico? hæc loca sunt honestatis, timoris, & verecundiæ saltem civilis, & urbanæ. Audeo dicere cum Chrysostom. loc. cit. in Ecclesiâ impudentiùs se gerunt quàm in Theatris, quàm in publicis conventibus, quàm in Tonstrinis, quàm in Tabernis. Olim nec suspiria, nec tusses, nec singultus, nec excreationes illic ferebantur: Quid nunc minora querar? jam in templis omnia admittuntur, risus, cachinni, plausus, salutationes, confabulationes, scommata, mercimonia, immò etiam stuprorum, & adulteriorum contractus, & stipulationes. Statutū erat Idolum zeli ad provocandam æmulationem: Tu hæc audeas in Templo, quod ne in domo quidem privatâ auderes? nec testem Deum, nec præsentem revereris? *Et ecce ibi gloria Dei Israel.* An nescis Ecclesiam esse solium gloriæ

Deiscur ejus majestatem non reformidas? *An* ignoras Ecclesiam esse Dei *Sponsam, ornatam viro suo*? Nescis altare, uti Nyssenus loquitur, esse Mysteriorum Dei thalamum? Cur ipsius Dei Sponsam, cur ipsius thalamum, cur infami & sacrilegâ constupratione, ipsius cubile dehonestas? *Ad provocandam æmulationem.* Nescis Deum, Zelotem peculiari nomine appellari? quid contra ipsum excitas Idolum zeli? Certè si inter homines supra omnes affectationes Zelotypia timenda est, quia ut ait Sapiens Cant. 8. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut Infernus æmulatio*: quanto magis timendus est ipsius Dei zelus? Etenim ut ait Moses Exodi 20. *Dominus Deus tuus fortis zelotes*, & c. 34. *Dominus zelotes nomen ejus*: Deus est æmulator. Ex gemino affectu supra omnes vehementissimo conflata est zelotypia, ex amore, & irâ: amor summus est affectuum, ira omnium affectuum vehementissimus, uterque est in zelo: cape si potes amoris Dei magnitudinem: fer si potes iræ ejus vehementiam, quem Iobus sic affatur, cap. 9. *Deus cujus iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem*: & tum collige si potes, & comprehende divinę zelotypiæ vim admirabilem, & intolerandam. Leges humanæ viro adulteram uxorem in flagranti delicto interficienti solent ignoscere, quoniam præsumunt hanc offensam omnem patientiam superare, nec esse veniæ capacem, nec homini dare spatium an liceat, unde Scriptura sic loquitur Proverb 6 *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima*: Sed quantò magis si adulterium committatur in domo mariti? quid si in nuptiali thalamo? quid si in oculis mariti? Equidem hæc omnia tanta sunt, ut ne abjectissimus homo ea patienter ferat in principe. Ex hâc cogitatione animum in DEUM revoca: Tu DEI Sponsam, tantâ dote sibi devinctam, tot ceremoniis, tanta religione obligatam; in ejus domo, in ejus conspectu, in ejus sinu constuprare, ac dehonestare audeas? nihil DEI indignationem, nihil iram, nihil vindictam, nihil æmulationem veritus? Oza audaciùs Arcam tetigit labentem, & mortuus est pro temeritate: Bethsamitæ curiosiùs inspexere, & mortui sunt ad septuaginta millia: ac deinde miramur post exempla multos morte repentina abripi, morbis vexari, domos subvert, nec causam cogitamus, esse Idolum Zeli? Et hæc faciunt *ut procul recedam à sanctuario meo*: Sicut enim mulierem constupratam vir proprius negligit, atque dimittit; ita non mirum si Deus videatur Templa nostra deseruisse: unde enim fit, ut non sic olim, meliùs oremus in Ecclesiis; unde fit ut non impetremus; ut sanctiores nõ evadamus; ut ab Ecclesiis nostris tot Sancti Spiritus dona, tot charismata recesserint; atque ut ait Chrysostomus nobis tantum eatum rerum monimenta relicta sint? nisi quod sæpe Deus videatur templa nostra deseruisse: Psal. 73. *Incenderunt igni sanctuarium tuum, in terrâ polluerunt tabernaculum nominis tui*: &c. *signa nostra non vidimus, jam non est propheta, & nos non cognoscet amplius*: & Psal. 59 *Nonne tu Deus qui repulisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris*? Scio, Auditores, me minora rebus dicere, sed necesse est crimina esse detestabilia, quæ omnem orationem superant: Etenim factis dicta superamus: Et certè adi tu ipse qui me audis, adi nonnulla Tẽpla quò juvenes, quò nobiles, quò fœminæ *ornatæ ut similitudo Templi*, confluunt: Hîc vide, hîc cerne quæ fiant: Mirare quod ait S. Hieronymus in Ecclesiis periculosiùs castitatem servari, quàm in plateis quàm in foro. Quas ego aliquando voces non excepi, plenas scelere, plenas impietate, plenas sacrilegio? unde non immeritò prophe-

ta I-

ra Idolum nominavit : hæc enim ad Idololatriam perveniunt , ad DEI contemptum , ad Religionis irrisionem , ad cultus profanationem: Et præcipuè à Magnatibus, & Nobilioribus : ut illud impleatur, quod verè sit Idolum possessionis, vel possessoris, uti Septuaginta interpretati sunt, Idolum Baal: Sed hæc de externis.

Jam de internis eôdem ordine , quô Propheta discurramus.

Et adhuc conversus videbis abominationes majores : Nam cùm scelera externa magna sint, majora tamen scelera interiùs committuntur : Siquidem pudor etiam multos cohibet, præsertim tempore sacrificii , & cùm præsentes habent, quos vereantur : Sed quod externis sceleribus deest, id internis accedit. *Et introduxit me ad ostium atrij: Et vidi, & ecce foramen unum in pariete. Et dixit ad me: Fili hominis fode parietem* : Rectè admonet S. Hieronym. in hunc locum , designari peccata occulta quæ fiunt in Templo, unde necesse fuit , ut foderetur paries, ut viderentur : ea tamen facile suspicari possumus, ex habitu externo, ex facie, oculis, corporis agitatione , ex fronte, ex vestibus, unde dixit Propheta : *Et vidi, & ecce foramen unum in pariete* : foramen illud sunt actiones externæ , ex quibus de internis suspicari possumus: sed perfossus paries est revelatio facta Prophetæ & denudatio cogitationum, & affectuum : *Et cum fodissem parietẽ*, ait Propheta, *apparuit ostium unum. Et dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic* : nimirùm ostendit scelera quæ in occulto committuntur in Ecclesiis : vocatautè abominationes pessimas propter execranda sacrilegia , neque enim parùm in Ecclesiis peccatur, & quæ ibi peccantur , aliquid habent Idololatriæ, quia plurimùm religioni , & cultui divino adversantur. Porrò hunc ordinem servat Propheta, ut à minoribus ad majora progrediatur, & tria potissimũ occulta peccata recenset quę in templis committuntur: Primum peccatum sic exprimit. *Et Ingressus vidi* , quia scilicet nisi ingrederetur, non videret , occultum est enim peccatum. *Et ecce omnis similitudo reptilium, & animaliũ, abominatio & universa idola domus Israel, depicta erant in pariete, in circuitu per totum. Et septuaginta viri de senioribus domus Israel & Iezonias filius Saphan , stabat in medio eorum stantium ante picturas , & unusquisque habebat thuribulum in manu suâ , & vapor nebulæ de thure consurgebat : Et dixit ad me. Certè vides fili hominis quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris , unusquisque in abscondito cubiculi sui: dicunt enim : Non videt Dominus nos : dereliquit Dominus terram.* Non puto fieri posse ut peccatum hypocrisis vividioribus coloribus quàm his verbis depingatur: Est enim hypocrisis ; vera religionis labes, quæ ferè sola nobis pro religione relicta est: hûc enim recedit hodierna devotio: *Ait* itaque Propheta. *Et ingressus vidi*, ut scias omnia ferè esse hodie ficta, neq; externæ fidei , neq; demissis oculis, nec manibus elatis, aut expansis credendum esse. O si liceret , ingredi in devotorum, & devotarũ animos! *Et ingressus vidi*, sed quid vidit : *Et ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio*, &c. Quis unquam credidisset, tàm horrenda monstra esse in Templis occultata? Exaggeranda singula. Certè hæc sunt; quæ in animis , & in pectoribus geruntur; omnia vitiorum portenta: vide cogitationes nefandas , vide abominãdas repræsentationes: hæc omnia occultãtur illa fictâ devotione; & speciosâ religione: *Et Septuaginta viri, & Iezonias*, &c. *stabat in medio eorum stãtium ante picturas : & unusquisq; habebat thuribulum in manu suâ* : hæc est species hypocrisis: Etenim apud omnes thuribulum , signum est orationis, *dirigatur Domine oratio mea, sicut incẽsum in conspectu tuo*: habere itaq; incensũ in manu est speciem orantis habere, sed dùm hoc habent;

quidi

quid putas facere? *Stant in medio ante picturas*, scilicet dum orare credimus, vide interim eorum cogitationes, *& ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio*, &c. Hæ sunt nimirum imaginationes horrendæ, & phantasticæ quæ habentur in sacris, & quod horribile est, interim orant, *& vapor nebula de thure consurgebat*, & interim inter orandum peccatum Idololatriæ committitur: Quod verò quidam Iezonias inter eos numeratur filius Saphan summi sacerdotis, & dicitur stetisse in medio stantium; significatur, cùm in omnibus sit detestabilis hypocrisis, maxiimè autem in homine Ecclesiastico, unde peculiaris de illo fit mentio: ut autem scias hypocrisim non esse tantùm cujusque de populo, ideò notat Magnates, eosque magno numero Septuaginta viros *de senioribus domus Israel*: Vide autem hypocritæ sensum, & securitatē: *Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terrā*: hic est sensus ejus: illorum oculis servit à quibus videri se putat, unde se adornat exteriùs: Quia verò non se putat videri à Deo, propterea sacrificat abominandis suis desideriis: dicit enim *non videt Dominus nos*: securitatem autem in eo ponit, *derelinquit Dominus terram*, quasi Deus rerum humanarum curam nullam habeat: Sed veniet tempus, cùm fodietur paries, & videbuntur abominationes, detegetur hypocrisis, tuæ patebunt Idololatriæ, & Idola tua revelabuntur, veniet & tempꝰ, cùm Deus, palā, in luce, totiq; mundo dicet: Certè *vides fili hominis quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisq; in abscondito cubiculi sui*, illius nimirū de quo dixit Christus Matth. 6. *Cum oraveris intra in cubiculū tuum & clauso ostio ora Patrē tuum in abscōdito & Pater qui videt in abscōdito reddet tibi*: ac ne putemꝰ parvū hoc esse peccatū, certè ego labem vocare soleo Religionis Christianæ: nulla enim ferè est apud nos vera virtus, nulla syncera religio, omnia fiunt simulatione, & infami hypocrisi teguntur magna vitia, scilicet inde votio, odia, ambitio, vindicta, avaritia, vanæ cogitationes, impietates, perfidiæ, sacrilegia: sed ut ait Apostolus. *Nolite errare, Deus non irridetur, quæ enim seminaverit homo, hæc & metet*. Redeamus ad Prophetam.

Et dixit ad me, Adhuc conversus videbis abominationes majores quas isti faciunt. Nempe à minoribus ad majora gradum facit: *Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quæ respiciebat ad Aquilonem: Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem*: Alludit ad infamia Gentilium sacra, in quibus in gratiam Veneris magno luctu, Adonidis, ejus amasij, lethum multis lachrymis prosequebantur, & ejus resurrectionem ingenti gaudio, & lætitiâ: Significat autem in sensu prophetico abominabilem, nefandam Templorum prostitutionem per infamiam libidinis: eò enim omnis pudor, atque religio concidit, ut jam Templa in prostibula, Aræ in fornices sint mutatæ: quò quid detestabilibus cogitari possit nescio.

Certè cùm in omni loco castitas sit necessaria, potissimùm in Templis desiderata est & apud omnes gentes ista lex recepta fuit quam affert Cicero 2. de Legibus, ad Deos castè adeunto: Ita Tertull. lib. de cultu fœmi. c. 1. Sacri Templi, quod in nobis Spiritus Sanctus consecrat, æ dituam, & antistitem constituit pudicitiam: sed uti sunt nostri mores, nullibi graviùs prostituitur pudicitia quàm in Templis. 1. enim quid infames cogitationes persequar, quid desideria, quid vota, quid orationes? *Sedebant plangentes Adonidem*: Quid hæc Impie ac profane in Templo cogitas ante Virginis Aram, & Altare, coràm Christo, in ipso puritatis thalamo, nec exhorresci? judicas num mentiar? 2. Quò pertinet illa cura vestimentorum, capillorum, & ornatus, dùm ad Templum accedis, nisi ut omnium oculos allicias, atque inflammes?

3. Quid

3. Quid de industria quædam eligis Templa, quid certam horam, nisi quò scis convenire cœtus tu juvenum, tu fœminarum: 4. Quô spectat illa in Templis vaga oculorum libertas? Quid in omnium vultus illos conjicis, ac toties adulterium committis quoties intueris? dùm formosiorum judicium instituis, acsi in Templis impudicitiæ merces prostarent. 5. Quid illi nutus impudici, quid oculi, quid palpebræ loquuntur? sed ut ad majora veniam: 6. Quid referam quod in Templa ex pacto convenitur, quasi in ijs sit minùs secura castitas? Hîc Matres filias perdidêre, hîc mariti uxores, hîc heræ famulas. Hîc videntur, & emuntur meretrices, hùc Lenæ accurrunt, & querela S. Hieronymi locum habet, ut propè periculosius sit lascivis puellis, ad loca Religionis, quam in publicum prodire. Equidem ibi impudici paciscuntur adulteria, ibi licitantur fornicationũ pretia: ibi puella prostituitur, Virginitas pretio distrahitur: quod alibi non vacat, hîc Religionis commoditate fit opportunum. Fuit olim tempus cùm in Templis Virginitas consecraretur, sed nunc in Ecclesijs deperditur: Audacter aliquid dicam quod horrorem incutiat; plùs in Ecclesijs delinquitur, quàm in prostibulis: eò enim plures adire nõ audent, certè ex mulieribus puriſſimæ, sed cùm omnes festinent in Templa; quæ alibi tutæ sunt, domi, in foro, in publico; illæ tutæ nõ sunt in Ecclesia. Vos ego ô Juvenes cõpello, vos ô Nobiles! quorum non modo nõ est exigua pietas, sed tanta impietas, ut Religionem omnem abjecisse videamini; quid certatim in hæc loca sancta accurritis, quô consiliô, quâ voluntate, quô votô? Num pudet stantes adstare mysterijs, statu instabiles, oculos huc atque illuc vibrare, ubique pulchritudinem venari, aspicere, judicare, aduri? Tu Impie num locum cogites, num altare, num sacrificium, num fusum sanguinem, num anxios Sacerdotes, num Angelos contremiscentes, num Seraphim acclamantes, num cœlum apertum, num Dei sedem, num ipsius præsentiam, num majestatem? Quid facis ô homo, exclamat Chrysostomus homil. 74. in Matthæum, Mulierem speciem curiosiùs perscrutaris, nec horrescis, tantâ Templum Dei afficiens contumeliâ? prostibulum-ne tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? Nam in foro erubescis, & times, ne quid te videat mulierem insectari: In Ecclesia verò Dei, cùm ipse Deus te alloquatur, & ab istis deterreat, eô ipsô tempore maximè fornicatione & adulterio uteris, quô tibi magnâ voce intonatur ut hæc fugias: nec horrescis, nec stupes? Ignoras filios Aaron quòd ignem alienum intulissent in Tabernaculum, igne vindice fuisse consumptos? quod expendens Paulinus Epistolâ 3. docet, ignem alienũ videri accendere, qui cupiditatis alicujus ignem in sacrario sui cordis accendens, audet appropinquare altaribus Domini. Certè hinc plerùmque graves à Divina vindicta castigationes: hinc ut loquitur Apost. 1. Cor. 11. *Ideò inter vos multi infirmi, & imbeciles, & dormiunt multi*: Quod de se adhuc perdito Juvene, fatetur Augustin. lib. 3. Confess. cap. 3. Ausus sum etiam in celebritate solemnitatum tuarũ intra parietes Ecclesiæ tuæ concupiscere, & agere negotium procurãdi fructus mortis (sed vide supplicium) unde me verberasti gravibus pœnis, sed nihil ad culpam meam. Verùm quid reliqua nostrorum dedecora persequar? Etiam quod nefas cogitare, ea sæpè in Ecclesiis agitata sunt, quæ punirentur facta in fornicibus: ut in nostra tempora verè etiam objecerit Tertul. in Apolog. cap. 43. inter aras lenocinia tractari; in ipsis plerumque ædituorum & Sacerdotum tabernaculis; sub ijsdẽ virtutis & apicibus, & purpuris, thure flagrantem libidinem expungi, id est, perfici; sed & meo, & vestro pudori parco.

Hoc unum addo solummodò, cùm hoc scelus in utrumque sexum cadat, signanter tamen Prophetam de mulieribus dixisse: *Et ecce ibi mulieres sedebant, plangentes Adonidem*: Fateor quidem hoc sæculum viris impudicis abundare; Fateor plurimas esse castissimas, & probas mulieres; verùm non possum negare, maximam hujus abominationis de qua loquimur causam, esse mulieres: Quid enim ait Propheta, *Et ecce ibi mulieres sedebant?* Quid sine necessitate, tot horas sedent, otiosæ nimirum, sine occupatione, sine oratione, sine devotione? Neque enim tandiu manent ut orent, sed certè ut videantur; & ut ait Tertull. lib. 2. de cultu fœmin. cap. 11: propter ipsum conventum, & mutuum videre, ac videri, omnes pompæ in publicum proferuntur. Deinde cur ad Ecclesiam veniunt sic vestitæ ut omnium in se oculos convertant: sinus apertus, humeri nudi, brachia detecta, omnis ornatus in luxuriam compositus, facies miniata, capilli cincinnis & peregrino pulvere ornati: Quid mirum si omnium oculos in se convertant? si quâcunque incedant, illac etiam feriant, & tela undique ejaculentur? Non ipsi Sacerdotes tuti sunt, non Diaconus, non ministri, non in altari operans, non ipsi Angeli, si B. Paulo credimus, cũ jubet mulieres ob Angelos velari, certè ob reverentiam, vel per Angelos intelligit, ipsos sacrorum Antistites. Vide mulier, vide quô periculo, quô damno, sic orneris, sic incedas, sic incendas? Non te pudet in eodem loco, ubi Virginis Filius quotidie immolatur, te fieri impudicitiæ hostiam, & luxuriæ victimam? Ille carne suâ, & suo corpore homines pascit ad imortalitatẽ; Virginitatis, & castitatis amorem instillat, libidinis ardores extinguit: Tu verò tuâ carne, & tuo corpore, oculos inficis, animos allicis, libidinem excitas, ardores accendis? Ita-ne corpus corpori opponis, caracem carni, amorem amori, faces facibus, & dùm ille hominis servat, tu homines perdis? Et postea existimas te levem culpam admittere? Sed memento dùm adolescentium in te excitas suspiria, & vota, te Adonidem plangere. Quàm multa in Ecclesijs de Castitate, de Virginitate docentur? quotidie præcepta Apostoli recitantur, quotidie Petri doctrina intonat: Et tu in eâdem domo scholam libidinis excitas, plusquam noces tuâ præsentiâ, quàm suis Apostolus proficiat documentis. Denique ne aliquid omisisse videar, quô te magis ream esse demonstrem: Non cogitas te in Ecclesia tam multorum cineres premere, quæ olim formosæ, olim delicatæ, olim amatæ, jam jacent in putredine, & in vermibus, te admonentes futurum aliquando, ut cadaver tuum fœtens, putridum, luridum, à tuis expulsum, & habitum in horrore huc deferatur. Si te hæc non moveant, equidem nescio quâ tandem re moveri possis. Vide quid excusationis habeas, dùm in Propheta pergo, & manum ultimam appono.

Et dixit ad me: Certè vidisti fili hominis: adhuc conversus videbis abominationes majores hus: Et introduxit me in atrium domus Domini interius, & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum, & altare, quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis, &c. deinde, *& ecce applicant ramum ad nares suas*: Et loco quem indicat Propheta, quod vocat atrium domus interius, ostium templi Domini, inter vestibulum, & altare, satis patet esse atrium Sacerdotum, quo Solis Sacerdotibus licebat ingredi, unde quibusdam venit in mentẽ credere, Prophetam loqui de peccato Sacerdotum, quod vocat, majores abominationes, quia ratione gradus sui, & ratione officij, & loci sanctioris gravior culpa efficiebatur. Porrò meminit gravissimæ idololatriæ, quam Deus maximè caverat, nempe adorationis Solis: Cùm enim Orientales pro Deo colerent

Orien-

Orientem Solem, unde ipsis in consuetudine, ut oraturi ad Orientem se converterent, Deus ut populum suum averteret, voluit ut atrium templi Orientem respiceret, Sanctuarium autem Occidentem, ut populus Israël oraret versus Occidentem ad appositam partem ei ad quam Gentiles orabant; quod si non essent in templo, voluit ut in omnes partes indifferenter orarent, hoc tantùm observato, ut versus templum funderent orationem, uti feciſſe Danielem legimus, qui cùm esset in Babylone ter in die apertis fenestris versus templum orabat: Itaque cum Sacerdotes in templo Orientem Solem adorarent, oportuit ut dorsum templo, id est, Sancto Sanctorum, & altari, obverterent; unde dicitur. *Dorsa habentes contra templum Domini & facies ad orientem, & adorabant ad ortum Solis*, quam Job appellat iniquitatem maximam, quia pejor esse non potuit idololatria, quàm si creaturæ ad hominum ministerium creatæ, honor Deo debitus redderetur. Quod verò addit, *& ecce applicant ramum ad nares suas*, indicatur mos adorantium: etenim palmas gestabant in manibus, & in signum adorationis osculabantur: Vnde nomen adorationis, quasi ad os positio: Hinc Iob. cap. 31. *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum Altissimum.*

Verum ut non nego fieri posse ut ab aliquibus Sacerdotibus maximæ impietates committantur, quæ certè sunt maximæ abominationes: (nam ut ajebat Heli 1. Reg. 2. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* quem locum sic vertunt Sancti Hiero. Ambr. & Aug. Si peccaverit populus, orabit pro eo Sacerdos; si autem Sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo?) Tamen nil nos cogit, ut talem abominationem, ad solos Sacerdotes referamus; cum de omnibus, sive Laïcis, sive Clericis textus ille meo quidem sensu possit intelligi. Et ut mentem meam super eâ re aperiam.

Nota 1. Sicut in Templo Hierosolymitano loca fuêre distincta Laicorum, & Sacerdotum; Et sicut non licuit populo ingredi in atrium Sacerdotum; Ita in Christianorum Ecclesiis, separatus est semper locus Sacerdotum, qui circa altare fuit, à loco Laicorum quibusdam cancellis, quos Græci κιγκλίδας vocant, quorum fit mentio in Concilio Chalcedonensi actione 1. de quibus Theodor. libr. 5. Histor. cap. 17. Cancelli solis Sacerdotibus patent; unde eos Nazianzen. in quodam suo carmine, eleganter vocat certum divorum, hominumque limitem: Deos vocat Sacerdotes, ut prius vocarat Angelos: S. Dionys. Epist. 8. appellat valvas adyti, sicut Ezechiel ostium Templi Domini vel atrium domus interius.

Nota 2. Licet hos cancellos nemo è populo penetrare posset, ne Magistratus quidem, neque Imperator; unde Sanctus Ambrosius ex Sozomeno lib. 7. cap. 14. jussit Theodosium Imperatorem stare πρὸς τὰς κιγκλίδας, ad cancellos; immò ne Monachi ipsi, ait Dionys. Epistol. 8. quibus valvæ adyti clausæ erant; ex quo colligis nimis facilè Sæculares illuc intrare: Tamen certis temporibus licuit ad illum thronum Dei gratiæ accedere, ut nimirum dona quisque sua, ut cõsuetum olim fuit, aris imponeret. Ita de Valente Imperatore scripsit Theodor. libr. 4. cap. 17. Sacris operante Basilio Magno, obtulisse τῷ θυσιαστηρίῳ δὲ εἰωθότα εἰωθότα δῶρα altari consueta dona, vel ex quâdã animi devotione, ut Christiani oscularentur altaria, ut subindicat Ambr. Ep. 14. Ita Gorgonia Nazianzeni soror, dũ manib⁹ arã teneret, & ardenter Deũ oraret, ingenti miraculo sanata est: Sic quoq; hodie etsi sæculares eos cancellos penetrare facilè non debeant,

beant, tamen ad eos accedunt aliquando propter usum Sacramentorum. Hoc posito, de eôdem isto usu hunc locum Prophetæ accipere volo, & dico : Abominationem illam pessimam de quâ loquitur, nihil esse aliud quàm sacrilegam Sacramentorum, ac præcipuè Eucharistiæ usurpationem : de quâ jure merito quærit S. Th. 3. p. q. 21. art. 5. an sit peccatorum gravissimum. Significatur autem ille abusus per dorsi conversionem ad Templum, & Solis adorationem, tum propter contemptum, tum propter signum infidelitatis: Et hîc, Auditores, tractandum esset de abusu Sacramentorum Confessionis & Communionis : & ostendenda summa Christianorum impietas in eo abusu: sed neq; per tempus, neq; per argumenti gravitatem id licet : quapropter in nostrâ deploratione hic hæremus : Non erit tamen quin advertam Prophetam dixisse, fuisse quasi viginti quinque viros dorsa habentes contra altare, ut sciamus hanc impietatem, Sacramentorum scilicet neg[illegible], & sæpe abusum, maximè à viris admit

Porrò hæc omnia peccata, & abominationes de quibus hactenus, ex circumstantiis crescunt, 1. Quòd singulari modo in conspectu Dei fiant, Jer. 11. *Quid est quòd dilectus meus in domo meâ fecit scelera multa?* & dicitur de Sodomis, Ge. 13. *Homines Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis*: Et Ezech. 16. *Et fecerunt abominationes coram me*: Hoc enim pertinet ad summam impudentiam.

2. Quòd sit summus Religionis neglectus: Quid enim jam timere poteris, si nec Deum times in Regiâ suâ? *Quam terribilis est locus iste!* ajebat Jacob, *Non est hic aliud nisi Domus Dei, & porta cœli.*

Quia id turpissimum est, ut ibi offensionem incurras, ubi maximè Deum placare debueras: ut ibi nova vulnera accipias, ubi vetera sanare debueras: proquâ re facit illud Ambr. lib. 1. de Cain & Abel. cap 9. An nescis quàm grave sit, in oratione contrahere peccatum, ubi speras remedium? certè Deus per Prophetam docuit grave esse maledictum, dicens, *Et oratio ejus fiat in peccatum* : Hæc Ambrosius.

4. Quia sic vulnera fiunt immedicabilia: ubi enim sanaberis? Nam uti modò dicebamus 1. Reg. 2. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?*

5. Quia ex ratione loci, augetur malitia ob sacrilegium, ita ut omne peccatum ex loci illius circumstantiâ fiat gravius propter indecentiam: unde multa transeunt in aliam speciem mortalem ; ut in palatio Regis ensem nudasse, crimen est.

6. Quia ex peculiari nomine Dei, scilicet Zelotis, singulariter offenditur peccatis: nam Idolum in Templo erectum vocatur Idolum zeli ad provocandam æmulationem. Hinc factum ut Christus, alioqui in parcendo mitissimus, ut patet ex Magdalenâ, & muliere adulterâ, ferre non potuerit violationem Templi; *Fecistis*, ait, Matth. 21 *domum meam speluncam latronum.* Et hodie, *cum fecisset quasi flagellum de funiculis omnes ejecit de Templo, & nummulariorum effudit as, & mensas subvertit,* & abegit pecudes & homines : Zelus quippe domus Domini vorabat eum: Hinc fit ut summa sit Dei indignatio, vel cum exit de Templo, vel cum Templis non parcit : Tunc enim non est misericordiæ locus, cum rei ab Altaribus avelluntur, cum vultum avertit à sacrificiis. Itaque audi quomodò orationem concludat visionis Ezechiel, & ex minis iræ magnitudinem collige. *Et dixit ad me; Certè vidisti fili hominis: nunquid leve est hoc domui Iuda, ut faciant abominationes istas quas fecerunt hic : quia replentes terram iniquitate, conversi sunt ad irritandum me?* id est, postquàm criminibus loca omnia compleverunt, nec Templis meis pepercerunt; *Ergo & ego faciam in furore: non*

pariet

parcet oculus meus, nec miserebor: & cum clamaverint ad aures meas voce magnâ, non exaudiam eos. Singula verba essent expendenda: sed non vocat.

Quid igitur inde concludemus nisi zelum pro domo Domini? *Domine dilexi decorem domus tuæ*: 1. Ad Sacerdotes mihi sermo, ad quos pertinet cura templorum: Certè *si sal evanuerit, in quo salietur?* 2. Ad alios, & duplici proposito: primò ut pro se id maximè caveant; deinde pro aliis: Recordentur quanta olim in primis Christianis fuerit Templorum reverentia, & videant, quô zelô ad illorum exemplum ardere debeant pro gloria DEI. Meminerint esse Angelos, adesse DEUM, &c. & propterea *tollant calceamenta de pedibus suis: terra enim in qua stant sancta est*: eô demùm modò discant adorare Deum in hoc loco, quô mereri possint intrare aliquando in cœleste illud Templum in quo adorent in sæcula. Amen.

FERIA SECVNDA VEL TERTIA

DOMINICÆ QUARTÆ

IN QVADRAGESIMA.

CONCIO SECVNDA.

Cur tam paucis Deus sese ex toto communicet.

Iesus autem non credebat semetipsum eis. Joannis 2.

HÆC duo æqualiter admiranda: 1. quòd creatura se Deo non credat: Ps. 77. *Non est creditus Deo spiritus ejus*: Alterum, quòd Deus creaturæ se Deo credenti, non se credat: cui enim creatura cõfidat, nisi Deo? Cui autem Deus se credat, nisi credenti se Deo? Quod enim creatura se Deo non credat, crimen est: quod creaturæ Deus se non credat pœna est: hujus autem rei causam hodierna die quærimus. AVE MARIA.

DUO mihi planè certa sunt, & satis manifesta, Vnũ est Deũ ex se propẽsissimũ esse ad sui cõmunicationẽ, plusquã Solẽ ad illuminãdũ, terrã ad producendũ, mare ad generandũ: Id petitur ex ratione ejº bonitatis, quæ ex natura sua propẽdet ad benefaciẽdũ: nã de eo dicitur, ejº natura bonitas, & opº misericordia. Hinc existunt in Divinitate communicationes internæ, ac naturales, idque necessariò: unde Filii productio, & spiratio Spiritus

Sancti. Hic quoque oritur eximia illa in Deo inclinatio ad sui extra se communicationem, & quasi effusionem: Cùm enim à Sancto Dionysio dicatur esse superplenus, quemadmodum vas superplenum effunditur; & Divinitas ubi seipsam infinitam implevit, extra se funditur in creaturas: utque in Oceano ratione eximiæ plenitudinis existit fluxus marinus, sic in Deo existit quædam superefluens quasi dimanatio propter infinitatem.

2. Mihi quoque certum, quemadmodum flumina in loca declivia inferuntur ita divinam beneficentiam, & communicationem potissimùm in homines fieri, ac Deum peculiarem quandam propensionem habere ad se illis communicandum: Hinc 1. varia Dei nomina respectu hominum, uti Regis, Domini Redemptoris, Magistri, Legislatoris, Patris, Sponsi, & aliorum multorum. Hinc 2. in Deo duplicis generis attributa distinguimus, quædam absoluta, alia relativa. Hinc 3. illa Divinæ Majestatis humiliatio, ut homo fieret, ne majestas homines summoveret, unde Incarnatio dicta est Oeconomia ac dispensatio, quâ voce Sancti Patres significant deflexum à rigore, seu condescensum. Hinc etiam 4. legimus in Scripturi varia hujus divinæ benignitatis exempla, quibus, se se familiarissimè ad homines demisit: Nam in Cantico Canticorum, & in plerisque vitis Sanctorum habemus quasdam Dei communicationes adeò familiares, ut nonnisi stuporè nobis relinquant.

Vnde itaque fit, ut Deus tàam paucis hominibus se se ex toto communicet, secundùm illa Evangelistæ verba, *Ipse autem Iesus non credebat semet ipsum eis*? Atque ut mireris magis id in omni hominum genere contingit: Etenim quàm paucis sui cognitionem communicat, ac confidit? Electio inter tot nationes, unius populi. Ac deinde quàm paucis fidem communicavit? *Notus in Iudæâ Deus*: Deuteronom. 14. *Te elegit ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quæ sunt super terram.* Inter fideles autem quàm paucis amorum perfectionis? Inter eo? verò qui perfectionem profitentur, quàm paucis se, & sua omnia credit? In Regibus exemplum accipe Eccli. 49 *Præter David, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt, nam reliquerunt legem Altissimi Reges Iuda, & contempserunt timorem Dei.* Id Moyse figuratum est de quo ita Dominus Num. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, invisione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est; ore enim ad os loquor ei: & palàm, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt: Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi*? Ita nuc pauci sunt, quibus se ex toto Deus dedat. Atque hujus rei rationem investigo.

I. Ergo esse potest maximâ ex parte hominum hypocrisis, eâq; triplex. 1. est quoniam aliud cogitant, aliud loquuntur Eccli. 2. *Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Matth. 15. *Benè prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Nam nec cor concordat lingua operibus, duplicem fraudem nectentes: ut enim advertit S. Chrys. licet dicatur, *Multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa quæ faciebat*, tamen non intendebat. Itaque subdit. *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis* eò quod *ipse nosset omnes*: atque ut scias non externa curasse, sed spectasse interna, subdit: *Ipse enim sciebat, quid esset in homine* Quod autem ait, *& opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine*, ostendit homines vulgo decipi, quia his tantùm duobus modis alios norunt, vel per seipsos; & tantùm vident externa; vel ex aliorum sermone, qui & ipsi decipere possunt, & decipi: *Ipse autem sciebat quid esset in homine.*

Reflexio

Reflexio. Quàm multis hodie id contingit. Videas enim plurimos in ſpeciem, Chriſtianam fidem profiteri, quippe qui in Eccleſiam veniant, cùm verè tamen non credant. Itaque *Ieſus non credit ſemetipſum eis*: unde fit ut quæcunque dicimus de rebus divinis, ea non capiant, neque intelligant Ioan. 8. *Sermo meus non capit in vobis*: ideoque nec commoventur, quia *Ieſus non credidit ſemetipſum eis*. Pone tibi ob oculos Iudam Iſcariotem in cœnaculo dũ Chriſtus tàm præclara diceret; Aderat ille corpore, animo vagabatur: cùm itaque earum rerum quæ diceretur crederet, nulla ratione commovebatur: Vide diſſimilem aliorum ſtatum. Dominus ſtatim ab ipſo initio: *Deſiderio*, inquit, Luc. 22. *deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequàm patiar*; & paucis interjectis, cùm ſeipſum turbaſſet, ſermonem injecit de Traditore: hîc omnes commoti ſunt Apoſtoli Ioan. 13. *Aſpiciebant ergo ad invicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret*: Ille non magis cõmotus quàm rupes, quàm ſaxum. Quis Apoſtolorum ſenſus cùm eis pedes lavarẽtur, ex uno Petro potes conjicere: *Domine, Tu mihi lavas pedes? non lavabis mihi pedes in æternum*. Sed cùm ſingulis corpus Chriſti, & Sanguis ab eo porrigeretur? Sed cùm illam admirabilem precationem habuit? Hîc Iudas ad omnia tàm ſtipes & immotus, ut in medio Chriſti ſermone foràs diſceſſerit, ut traditionis ſuæ telam perficeret: Et ex ſua parte Ieſus, quaſi de Iuda diffideret, de multis eo præſente non locutus eſt, quæ eo abſente magna animi alacritate diſſeruit. Hoc notavit D. Ioan. cap. 13. cùm enim diſceſſum Iudæ narraſſet, ſubdit. *Cum ergo exiſſet* (de Iuda loquitur) *dixit Ieſus: Nunc clarificatus eſt Filius hominis: & Deus clarificatus eſt in eo*: & multa alia tam tenera & tam aperta, ut nõ niſi filiis & amicis dici debuerint, non autẽ confidi perfidis, ignotis & extraneis.

Sed quoniam hæc hypocriſis paucorum eſt, ad alteram tranſeo quæ in eo conſiſtit, quòd pauci admodum Deum ſincerè quærant, propter ipſum, non autem ſui cauſa; & querela Apoſtoli veriſſima eſt ad Philipp. 2. *Omnes quæ ſunt quærunt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti*: omnes dixit quia ferè omnes, & pauci ſunt, qui aliter faciant. Inde fit igitur ut pauciſſimis admodùm ſe DEVS committat. Adverte inter homines univerſaliſſimam cauſam cur tam multæ proditiones exiſtant, ac vix reperias qui alteri fidere, aut poſſit, aut debeat, eſſe communem illam generis humani peſtem, quòd ſe homines in omnibus quærant, aut commodum ſuum, aut gloriam, aut voluptatem. Hinc nulla vincula ſunt ſecura, non ſanguinis, non affinitatis, non conjugii, non amicitiæ, non honeſtatis, non beneficiorum: immò etiam nec Religionis, nec juramenti. Quæ autem crimina inter ſe homines admittunt, eadem etiam ad res Divinas transferunt; cum itaq; ſoleant etiam cum Deo agentes ſui potiſſimum rationem habere, hinc fit ut pauciſſimis admodum Deus ſe ex toto committat: *Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine*. Hinc exiſtit in hominibus perverſiſſimus donorum Dei uſus, quorũ fructũ, quæ laus eſt & gloria, non ipſi Deo, uti juſtũ erat, ſed ſibi iniquiſſimè attribuunt. Veniat in mentem Parabolæ agricolarum Matt. 21. quibus Pater familias vineam ſuam locaverat, qui proditorie filium heri ſui, hoc eſt hæredẽ interemerunt. *Venite*, inquiũt, *poſſideamus hæreditatem: hic eſt hæres, Venite, occidamus eum*: Vide contrarium exemplum in Domino, in Evangelio hodierno vel craſtino, Ioan. 7. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me*: Et poſteà. *Qui loquitur gloriam propriã quærit, qui autem quærit gloriam ejus qui miſit illum, hic verax eſt, & injuſtitia non eſt in illo*. Ergo ob ejuſmodi injuſtitiam, non credit Ieſus ſemetipſum hominibus.

Sed ne Filii tantum fidelitatem jactare videar, vide etiam ſervi, ut à ſimili petas exemplũ. De Ioanne Baptiſta loquor qui diſcipulos ſuos

suos ad Jesum mittebat, gaudebatque Dominum sui decrementis crescere; unde ajebat, *Illum oportet crescere, me autem minui*: Et cùm à discipulis, & æmulatoribus Christi, fidelitas ejus sollicitaretur; audi quid respondeat, Joan. 3. *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. Qui de sursum venit, super omnes est.* Egregia sanè similitudo: Sponsus, & amicus Sponsi non sunt æqualis conditionis: ad Sponsum, Sponsa pertinet; Amici autem munus est, hominis gratiâ in sponsalitiis Sponsum comitari, ipsum cum Sponsâ colloquentem audire, & in hoc gaudere, non autem Sponsam appetere. Per hæc significat Christum esse Sponsum Ecclesiæ, se autem Amicum Christi, non Sponsum ipsum: non igitur ægrè ferre debebat, neque injustum existimare, quod plures ad Christum venirent, hoc enim erat Sponsam suo Sponso copulari, neque ei invidere oportebat, cùm id esset velle sibi Sponsam usurpare; immò gaudendum erat, quòd Ecclesia, quæ est Sponsa, suo Sponso uniretur: ad Joannem autem pertinebat Sponso? astare, ministrando, testimonium perhibendo, eum cum Spōsâ jam colloquentem & docentem audire, & in hoc gaudere. Hæc Ioannis comparatio adulterii quorundam turpitudinem mihi repræsentat, qui cum Dei donis fornicantur, & inde gloriam quasi partum nasci sibi volunt; quæ res multos repellit à Dei communicatione, unde fit ut ab eis sua dona auferat, uti aliquando tollet ab Idololatris creaturas, quibus sunt abusi: *Et ipsa creatura liberabitur à servitute in libertatem*: & à multis hominibus tollet veritatem quam ex Apostolo detinent in injustitiâ: Osée 2. *Sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant iniquitatem ejus.*

Tertia hypocrisis est: Quia vix est ullus qui se se ex omni parte & ex toto committat Deo, ac Deum sine ullâ restrictione quærat, secundum illud Psalm. 77. *Generatio prava, & exasperans, generatio quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo, Spiritus ejus*; Quid mirum igitur si ejusmodi hominibus non credat semetipsum Iesus? Vide exemplum in Caïno, *qui cum benè offerret, malè dividebat*: ait Scriptura ex *Vers.* 70. In Saule qui ut ait Gregor. nunquam se Deo perfectè dedit, nec prophetiam implevit, *mutaberis in virum alium*: unde quod aliàs innuimus dicitur unctus lenticulâ olei, ut scias ei gratiam diminutam collatam fuisse. Talis quoque fuit Iudas qui se nunquam ex toto Deo dedit: hoc vide in omnibus occasionibus. Exemplum pariter in populo, in deserto, sub Iudicibus: sub Regibus: unde cœpit Deum tædere super Israël. Hoc autem vide in nobis: Quis enim se se Deo ex toto commisit? Quis nihil excipit cum Deo? Ille famam, ille aliorum offensam, ille pecuniam, ille sanitatem, hic corpus. Quis vult omnia, quæ Christus velit erga se fieri? Quis pati omnia, & æqua mente recipere? Quis paratus est ea omnia facere, quæ noverit esse ex Dei voluntate? Non igitur mirum si se Deus ex toto non credat: hoc enim nobis perpetuum esse debet, ita DEUM erga animam se gerere, ut ipsa se gerit erga Deum: itaque si fuerit prodiga, erit ille prodigus, si parca, parcus, si diffidat, diffidet: secundum illud Psalm. *Cum bono, bonus eris, & cum perverso perverteris*, quæ ad literam de Deo intelligenda sunt.

Porrò illud etiam notatu dignum est, defectum illum sanctitatis plerumque ita esse occultum ut soli Deo pateat, quia amore proprio nihil callidius est, & amorem gloriæ rectè appellavit Plato ultimū animæ amiculum, non solùm quia ultimus exuitur, sed etiā quia cæteris

cæteris operitur, & occulitur. *Ipse enim sciebat quid esset in homine* : Certè Job de seipso fatetur cap. 9. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*. Sed cùm se homines ignorent: *Pravum enim est cor hominis, quis* alius *cognoscet illud*? nisi *ego Dominus*: & non mirum. *Renum enim scrutator est*, & ut dicitur hodie non se credebat, *eò quòd ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.*

II. Causa esse potest eorum imperfectio: ita enim causam explicat S. Augustin. Quid sibi vult hoc (inquit) illi credebant in nomine ejus, & ipse Jesus non credebat semetipsũ eis? an fortè non credebant ei, & fingebant se credidisse? sed non diceret Evangelista, *multi crediderunt in nomine ejus*: Magna ergo res, & mira: credunt homines in Christum, & Christus non se credit hominibus: præsertim quia Filius Dei est, & utique volens passus est, & si nollet, numquam pateretur: sed tales sunt omnes Catechumeni: si dixerim Catechumeno, credis Christo; respondet credo; & signat se: si interrogemus eum, manducas carnem Filij hominis, nescit quid dicimus, quia Christus non se credidit eis. Hæc ille. Alludit ad morem veterem, quo doctrina de Eucharistia non nisi initiatis proponebatur: Ex quo tamen colligimus ideo Christũ multis se non credere ob virtutem imperfectam. Itaque ex Chrysost. non credebat illis majora mysteria: Vide quid Judæis fecerit, quos habuit ut pueros sub elementis mundi: Item Apostolus eosdem appellat carnales, & opponit Spiritualibus: *Spiritualis autem judicat omnia*. item vocat pueros, itaque dixit, *Lac vobis potũ dedi non cibum, nondum enim poterat is*. Initio, Samuẽli nondum revelatus erat Dominus, & *ipse nesciebat Dominum* : Ita multis contingit ob statum imperfectum. Sed prôh Deus! quã multi in eo statu perseverant, Puer centũ annorum morietur. Luget Chryl. Christianos quotidie venire in Ecclesiam nec doctiores fieri in virtute. Porrò ea fidei imperfectio, duplex assignari potest: 1. quia non quibuslibet credebant: 2. quia non debitam habebant causam fidei affectu. Id significavit Evangelista dicens, *Multi crediderunt in nomine ejus, videntes ejus signa quæ faciebat*: Unde Christus exprobrabat quibusdam: *Nisi signa & prodigia videritis non creditis*, cùm tã multas aliunde causas credendi habuissent, ut testimonium Ioannis, Scripturas & Christi prædicationẽ & exteriùs, & interiùs operantẽ. Quàm multi aut spe, aut timore ad Christum accedũt, quibus seipsum ex toto non credit.

III. Causa est hominum infidelitas, ac scelerata perfidia. 1. Cùm ne homo quidem sibi ipsi fidelis sit, ita seipsum quotidie decipit, quomodo non etiam aliũ? 2. ab experientia: quã enim sæpè fidem Deo juratam perfregit, ita ut vita omnis nostra in pœnitentia degatur; est enim aliqua, ut ait Tertull. pœnitentia pœnitentiæ, ita ut in unumquemque cadere possit expostulatio infidelitatis. 3. Quia nulla est creatura quæ fidem hominis datã rescindere non possit, uti patet experientiâ: 4. Quia in bonis Dei quàm sæpè homo, Sponsam Deo quæsiturus, sibi contra fidelitatem despondet, quia nimirum dona sibi comissa sibi usurpat, unde Deus jure merito sua subtrahit, nec deinceps tàm facilè credit *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis eò quod nosset omnes*. Vide quàm meritò: ubi enim se credidit, quid non in eũ admiserunt? ac vel ex uno disce discipulo, cui crediderat, 1. pecuniam, & ipse eam furabatur: 2. gratias gratis datas, & omnia ad gloriam & lucrum direxit: 3. dignitatem Apostolatus, quâ usus est ut tradendi opportunitatem acciperet: 4. Seipsum, dùm osculũ præbuit, quô Magistrum in manus hostium dedit: Ei autem non nescius ea credidit, sed cùm eum penitùs agnosceret, non credidit interiùs semetipsum

ei. Videautem quò perveniat hominum perfidia: Vt scilicet securus non sit Deus inter eos. Atque hujus loci sensus germanissimus est: hoc enim vult Evangelista: *Multi crediderunt, in nomine ejus videntes ejus signa quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis*: hoc est, non tamen securus inter eos vivebat, itaque non se dabat in eorum familiaritatem: nec uti cum domesticis & Apostolis vivebat: sed uti aliquando præcepit discipulis, *Cavete ab hominibus*. Ita invitatus à cognatis, cum eis ascenderet Jerosolymam, negavit se ascensurum ad diem festum hunc, scilicet palàm: Et aliàs de eo dicitur. *Iesus autem abscondit se ab eis, & exivit de Templo*: Et aliàs *Non enim vocabat in Iudæam ire, quia quærebant ipsum interficere*: Videautem exemplum in Herode: is enim cùm audisset natum Regem Judæorum, ut eum deprehensum interficeret, finxit se velle adorare, sed impij Regis astutia, & perfida delusa est. Quàm inter paucos securus est Dominus! In quo duo discimus, 1. est parùm esse fidendum hominibus carnalibus de rebus divinis; 2. videndum ne tales ad Deum accedamus, erga eum infideles & perfidi.

IV. Causa est hominum superbia, secundùm illud Iobi 28. *Vnde ergo sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ? abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cæli latet*. Hoc enim est quod exultans in Spiritu Christus dicebat Patri. *Confiteor tibi Pater quia abscondisti hæc à Sapientibus*, &c. *& revelasti ea parvulis: Ita Pater quoniam sic placitum fuit ante te*: Vnde sæpe Pharisæos, & Scribas admonebat, ut Ioan. 5. (eras vel hodie.) *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?* Vide hoc in praxi: Et ratio est, Quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: Ad hæc, qui Deum agnoscit, cætera præ illo contemnit, quod facere non possunt super bi? Denique quoniam sui amor, & propriæ excellentiæ opinio à multis impedit, & incompossibiles sunt Spiritus Dei, ac Spiritus inflatus mundi.

V. Causa est hominum inconstantia ob quam nonn potuit Christus in se credentibus se concredere, nec licet in se verè crederent, utpote quos videbat quâcunque occasione abducendos. Itaque licet dicatur. *Multi crediderunt in nomine ejus*, benè tamen subditur. *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis. At* quidem vide 1. quanta sit hominum inconstantia, atque exemplum sume ab ipsis Iudæis; Quot mutationes in deserto post visa tàta miracula? minimâ occasione populus ille discedebat à Deo. Vidit à tergo Pharaonem, statim cœpit murmurare: Tùm ut ex itinere fatigatus est, & ubi deficere farina cœpit, tùm quoque cœpit nauseare super manna: Item cùm amaræ aquæ: Tum in siti: posteà in absentiâ Mosis: Tùm in punitione: Posteà in ambitione Sacerdotii: Deinde ex dilatione ingressus in terram: Insuper tædio difficultatum, unde toties in deserto prostratus & afflictus: Itaque illis exprobrat David Ps. 77. *Generatio prava, & exasperans, generatio quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo Spiritus eius* Postquam autem pervenit ad Terram, quàm crebræ in illo mutationes! experiri voluit omnia genera Idololatriarum, utque illi exprobrat Deus per Prophetas, *Sub omni ligno frondoso prosternebaris Meretrix*, unde illum mittit ad exteras nationes, quæ licet veros non haberent Deos, sed cùm adulteris viverent, non tamen mutabant religionem suam, sed in eâdem perseverabant, leren. 2. *Transite ad insulas Cethim, & videte, & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte si factum est huiusce modi, si mutavit gens Deos suos, & certè ipsi non sunt dij populus vero meus mutavit gloriam suam in Idolum*: & ideò Prophera commoverur & exclamat: *Obstupescite cæli super hoc, & porta cæli desola-*

desolamini vehementer: Et ex tàm crebrâ mutatione sic illum propterea appellat, idem Propheta c. 18. *Avis discolor hæreditas mea mihi*, quod de Pavone intelligit Hieronymus de quâve sic Tertullian. lib. de Pallio cap. 3. Multicolor, & discolor, & versicolor, nunquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa quando alia, toties denique mutanda, quoties movenda. Talis etiam fuit hîc populus in Christum, nam eodem die, & credebat, & in eum lapides tollebat: Quæ major inconstantia, quam quô die in Vrbem tantò plausu receptus est, eôdem die impransus ab Vrbe discesserit, & sexto die pòst ad necem sit postulatus? Quàm diversæ illæ voces: *Hosanna Filio David*, & illæ, *Tolle, tolle, crucifige*. Non mirum itaque si Christus qui hujus gentis norat ingenium, non se crederet etiam credentibus sibi.

Sed ut ex multis quæ hinc colligi possent unum aliquod capiamus. Imaginem inconstantiæ in alio vidisti, in te veritatem aspice: Quæ enim major inconstantia, quàm aut Judicii nostri, aut Voluntatis mobilitas? Quod mare pluribus fluctibus, quod cœlum pluribus mutationibus, obnoxium est; quàm vita nostra sibi est dissimilis? Sed quam ipsi anni? Ipsi etiam menses, immò una dies, una hora? Probamus, improbamus; volumus, nolumus; optamus, fastidimus: Quot res incipimus, sed quam unquam perfecimus? quàm in virtutibus varii sumus? quàm in affectibus? eodem tempore diversa dicimus, immò intra paucotum verborum numerum.

2. Vide unde oriatur in nobis illa inconstantia. 1. Ex magnâ rerum ignoratione: 2. ex rerum omnium fuco, & deceptione: 3. ex mutatione corporis, & animi; nam uti corpore sumus affecti, ita etiam plerumque mente; corpora autem nostra ab omnibus rebus patiuntur. Sed præcipua ratio est origo nostri, quod ex nihilo sumus: Hinc enim ortum habent omnes nostræ mutationes: Hinc nulla creatura est impeccabilis ut quo suo pondere identidem relabitur in nihilum: Hinc in creaturâ, nulla firmitas, nulla securitas: *ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus*: Et Amos 6. *Qui lætamini in nihilo*: quoniam ut dicitur Sap. 2. *Ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquàm non fuerimus*.

3. Vide quam Deo nota sit illa nostra inconstantia. *Eò quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine, Ipse enim sciebat, quid esset in homine*. Præclarè Augustinus. Plus noverat artifex quid esset in opere suo, quàm ipsum opus quid esset in semetipso: Creator hominis noverat. Quid esset in homine; quod ipse creatus homo non noverat. Nonne probamus de Petro, quia non noverat quid esset in ipso, cùm dixit. *Etiamsi oporteat tecum mori, non negabo*: Audi quia Dominus noverat quid esset in homine. Tu mecum usque ad mortem? *Amen dico tibi, priusquam gallus cantet ter*, &c. Homo ergo nesciebat quid esset in se, sed Creator hominis noverat quid esset in homine: hæc ille. Nos quidem certè, & sæpe ignoramus præsentia: Enim nemo scitan amore, an odio dignus sit: Futura autem nos planè latent. Tu quidem fidestas, sed quàm multi ceciderunt. Ac licet Deus nos tractet secundùm præsentem Justitiam, tamen in multis, futurorum habet rationem: *Ipse enim sciebat, quid esset in homine*. An forte Iudam non norat, & qualis præsens, & qualis futurus: Vnde ajebat. *Vnus ex vobis diabolus est*: quibus positis.

Vide an non rectè Christus non se concredat hominibus quos perfidos futuros prævidet? O cordis humani perversitas! O inconstantiæ omnium bonorum pestis ac naufragium! Ac miraris cur Christus se tibi non credat? Ne tamen communem humanæ naturæ conditionem accuses: Sicut Deus suspendit terram in orbe; sicut arenam adeò fragilem ita

ita solidavit, ut ad eam confringat tumentes maris fluctus; Ita plerumque animum mentemque hominis adeò firmat, ut se se illi omninò dedat atque inde existat ille suavissimus mutuæ amicitiæ fructus, scilicet perfecta Dei & Creaturæ consensio: ex quâ vera pax & tranquillitas in bono, incrementum gratiæ; perseverantia in amore Dei, Sancta mors, & vita æterna, ad quam nos perducat Christus.

Amen.

TOMI SECVNDI FINIS.


Th
3317